25,886/B

A. af.

Joh. Kratz
med. Dr.
1796.

II ic.

55150

SEMIOTICE PHYSIOLOGICAM ET PATHOLOGICAM GENERALEM COMPLEXA.

IN VSVM
PRAELECTIONVM
ACADEMICARVM

CONSCRIPSIT
CHRIST. GODOFR. GRVNER
MEDICINAE DOCTOR
BOTANICES AC THEORIAE MEDICAE IN VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, FACVLTATIS MEDICAE ET ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ADSESSOR, SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SODALIS HONORARIVS.

HIPP.
Praeterita dicito, praeſentia cognoſcito,
futura praedicito.

CVM PRIVILEGIO SAXONICO ELECTORALI.

HALAE MAGDEBVRGICAE
IMPENSIS VIDVAE GEBAVERI ET FILII.
MDCCLXXV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO
ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO
DAN. GVILIELMO
TRILLERO
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTORI
CONSILIARIO AVLICO ELECTORIS SAXONIAE, MEDICINAE PROFESSORI PRIMARIO IN ACADEMIA VITEBERGENSI, ET ILLVSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARVM BONONIENSIS SODALI.

PATRONO
ATQVE FAVTORI SVO
SVMMOPERE COLENDO

VIRO
ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

ERN. GODOFREDO BALDINGER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTORI

PROFESSORI MEDICINAE IN VNIVERSITATE LITTERARIA GOTTINGENSI, ET FACVLTATIS MEDICAE ADSESSORI, ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM, ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS HASSIACAE SODALI

CET.

PATRONO
ATQVE FAVTORI SVO
OPTIMO

VIRO

ILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

IOANNI FRIDERICO

HVFELAND

MEDICINAE DOCTORI

SERENISSIMAE DOMVS VINARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO

CET.

PATRONO

ET

FAVTORI PRAE CETERIS

COLENDO

VIRIS
ERVDITIONIS PROBITATISQVE
LAVDE CONSPICVIS,
VETERIS AC NOVAE MEDICINAE
GNARISSIMIS

HINC
IVSTIS VTRIVSQVE AESTIMATORIBVS,

VIRIS
DE
REPVBLICA LITTERARIA,
PATRIA
ET DE SE IPSO BENE MERITIS

HANC
SEMIOTICEN GENERALEM
D. D. D.

VNAQVE
SE RESQVE SVAS DE MELIORI NOTA
COMMENDAT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Ea eſt ſemiotices praeſtantia atque vtilitas, vt, qui de ea iure meritoque dubitare poſſit, ſciam neminem. In ea enim omnis quaſi diſciplinarum medicarum communio eſt, et omnis medici vis cernitur, quippe multum eius intereſſe debet ſcire, ex iis, quae iam in aëgro accidunt, qui qualisque morbus ſit, periculum habeat, nec ne, medicamentis opus ſit, an ſolo victu, moliendum aliquid videatur, an praeſtet ſpectatorem agere, et morbi vim ita refraenare ac moderari, vt ſolius naturae beneficio ſuperata conquieſcat, et corpus integrum dimittat. Sed iſta ſignorum ſcientia etiam ad medici fidem et dignitatem ſpectat, ſi et praeſentem morbum diſcernere

valet,

valet, et futurum euentum praeſagire. Hac via ſola efficiet, vt aeger et illi libenter obſequatur, et, ſanitate reddita ſic, vt medicus praedixerat, laude debita eum cumulet, tantique habeat, quanti vix vllum alium.

Hinc magnus ſemper fuit, eſt, erit HIPPOCRATIS, et omnium omnino veterum honos atque gloria, qui, etſi multis adiumentis carerent, quibus hodie fere abundamus, tamen curatius morborum naturam ex quibusdam notis intellexerant, quippe ea, quae ſedulitatem exigunt, non veriti didicerunt naturae myſteria inueſtigare, et quae inſtructi et adiuti certa indubitataque experientia, non illa temeraria et ridicula, quam noſtri empirici et practici Zimmermanniani identidem iactitant, ſaepius veriſſima obſeruarant, ea operoſe colligere, et in poſterorum commoda fideliter litteris conſignare. Qua de re nec mirum cuiquam eſſe debet, quod ſigna illa, quae Cous ſenex annotarat, quae CAELII AVRELIANI et GALENI ſtudium adiecerat, quae poſteriorum medicorum opera et diligentia vel confirmarat, vel reſtrinxerat, hodienum ſalua, ſarta, tecta, vtiliſſimaque reperiantur ad morborum genera varia dignoſcenda et praeſagia iuſta efficienda, eamque accurationem, qua nihil maius vel laudabilius eſt, maiorum patrumque noſtrorum memoria tanti aeſtima-

aeſtimata eſt, vt in hos, tanquam exempla, intuerentur, eorumque veſtigiis vlterius inſiſtere allaborarent. Hinc non poterant non proxime ab archetypis abeſſe, et optimum quemuis cum in admirationem rapere, tum ad imitandum concitare. Eſt certe mihi tam perſuaſum, quam quod perſuaſiſſimum, priſcos illos medicos, quos hodie multi incuſant et contemnendos indicta cauſſa exiſtimant, etſi ob vtilitatem, quam praeſtant, meliori fato digniſſimi ſint, hac ſola neceſſaria et plauſibili praedicendi arte commendabiles cuicunque medico eſſe, et futurum neminem, qui ab eorum lectione non doctior et ad artis miniſteria inſtructior recedat. Quae medicinae pars, quia multum ſtudii, laboris temporisque deſiderat, fere a permultis negligitur, et ſatius eſſe videtur farraginem medicamentorum noſſe, quam eas notas, et quid quouis in morbo denuncient, diligenter animo imprimere. Haec praecipua cauſſa eſt, cur iſta ars inde ab diuino HIPPOCRATE parum incrementi cepit, et multi, dum medici perſonam tueri debent, ſe identidem dant turpiter, praeſertim ſi de morbi euento ſermo eſt. De quo praeclare LOMMIVS *): *Multis ſatius eſt, compendia quaedam medendi quaerere, et his cumulare opes, atque miſerorum caedes miſcere, quam longe ſudoribus indefeſſa-*

*) In Epiſt. ad Senat. Bruxell.

defeſſaque mentis intentione morbos ſtudere cognoſcere, atque aeſtimare, ac tum primum his ipſis incolumi conſcientia auxiliari. Fit adeo ex ignoratione rerum harum, vt temere illi vel in rebus deſperatis ſalutem promittant, vel in ſecuris omnia metu terroreque compleant. Memini ego complures me videre haud infimae notae medicos, qui per acutam febrem, etſi multa eſſent virium infirmarum atque exitii ſigna veriſimilia, magnificis tamen ſalutis promiſſis (quoniam id forte temporis vrina vtcunque maturuerat) miſeros conſolarentur. Verum poſt vt morbi exitus aegro calamitoſus, ita ignominioſus medico erat. Plures his ſunt, qui cum febricitantem vident ſub grauiſſima acceſſione deſipere, et loqui aliena ſimulque, brachia et pedes nudare, ac varie ſpargere, tum e cubili magno impetu magnisque vocibus exſilire, verberare proximos quosque, neque neceſſarios, neque familiares agnoſcere, caloribus extorreri, acutiſſimis doloribus affici, ac ſiti prope enecari; haec, inquam, cum vident, concocta quantumuis naturae viribus ea, vnde morbus eſt, materia, exterrentur, et more pauidarum muliercularum ad extremum rem rediſſe omnem pronunciant. Verum faceſſentibus per iudicationem (κρίσιν graece dicunt) turbis his illico reſolui morbus incipit, ac vani metus leuari, magno falſi praeſagii contemtu. —

Negare

Negare equidem non auſim, dari hoc tempore viros multos, eosque clariſſimos, qui obſeruationes medicas conſcribant, conſcriptasque in vulgus dent, et hac via, dum curatius et ad viuum varia morborum genera exprimunt, pomoeria artis noſtrae prorogare tentent. Id vnum tamen in votis eſt, exſurgat tandem aliquis, qui ex hac obſeruationum ſilua ſigna ſola, quatenus ad morbum praeſentem vel futurum pertinent, quaſi excerpat et in vſus communes prodire iubeat. Ex quo et vtilitatis plurimum in artis medicinalis ſtudioſos, et haud parum laudis in auctores tantae tamque praeclarae rei redundare debet, quippe ſic ea, quae a medico in artis exercitio prae ceteris requiruntur, cognitio morbi futurique exitus praeſagitio, ſemper quaſi ad manus habere resque ſuas feliciter peragere poteſt.

Dolendum ergo eſt, tyronum ſtudiis hac in re nullo fere modo prouiſum eſſe, et ſignorum doctrinam ita neglectam atque poſthabitam, vt vix ac ne vix quidem haberent, quos in addiſcenda perardua illa et perneceſſaria medicinae parte auctores atque duces ſequerentur. Non me fugit, proſtare praeter veteres PROSPERVM ALPINVM, LOMMIVM, VATERVM, WVCHERERVM et fortaſſe quosdam alios, qui omnem ſemiotices ambitum

bitum complexi fuiſſe putantur; Quorum meritis detrahere, nefas foret; Id tamen aperte confiteri liceat, eorum libris ineſſe multa obſoleta, multa, qnae ſecula praeterita eorumque opiniones redolent, multa manca, nec ſatis limata, multa ſine ordine ac certa auctorum fide proferri, multa denique deficere, quae hac noſtra demum aetate curatius deſcripta et explicata ſunt. Si qua vero bene ac ſingulatim percenſentur, tantum non ſemper ad ſemioticen ſpecialem ſpectant, quae etiamſi ſua vtilitate non deſtituatur, et paſſim, cum morbi ſinguli a magiſtris pertractantur, ſimul doceatur, tamen, me quidem iudice, felicius in ea verſabitur, qui generalem ante perſpexerit, quam ad illam audiendam ſe accingat.

Foret ergo de medicis tyronibus actum, niſi veterani et magiſtri hanc curam notarum medicarum in ſe ſuſciperent, iisque nouis, quae ſubinde acceſſerunt, in molem aliquam effingendis, diſcipulis copiam facerent et potiora indicia vno quaſi obtutu peruidendi, et, magiſtro verbis praeeunte, vera a falſis, certa ab incertis, manca et mutila a perfectis ſecernendi.

Haec Te praemonere volui L. B. ne noſtram operam ſuperuacuam putes, leuem quidem illam et propter temporis anguſtias

omni-

omnibus numeris non abſolutam, at omni, qua par eſt, diligentia et accuratione conſcriptam. Ego certe de ſemiotice generali nunquam cogitaſſem, ſi quis libellus exſtitiſſet, quem inter praelegendum ſequi potuiſſem, aut certe amiciſſimus BALDINGERVS perfectum de notis medicis opus edidiſſet. Interea commilitonibus cariſſimis obſequi et debui, et volui, cum praeterito ſemeſtri aeſtiuo meam operam et ſtudium precibus efflagitarent, ideoque collegi, quae paſſim apud HIPPOCRATEM, GALENVM, PROSPERVM, LOMMIVM ceteroſque omnis aeui medicos praeſtantiſſimos commemoratu dignisſima videbantur, digeſſi, ordinaui, et tandem, praelectionibus finitis, in eo laborem meum conſumendum cenſui, vt teſtes enunciationum mearum adferrem locupletiſſimos. In ea enim ſemper opinione fui, vt in hiſtoria multum intereſt ſcire, quis rem aliquam atteſtetur, ita etiam in ſemiotice quaerendum auctorem eſſe, a quo talis obſeruatio profecta eſt. Qua de re aequi harum rerum iudices et arbitri, ſpero, non inique ferent auctorum locos adſcriptos, quippe exinde facile iudicare poterunt, fides habenda ſit, nec ne.

Praeter haec eam legem mihi ſcripſi, vt nec neceſſaria oſcitanter negligerem, nec minutias captaſſe viderer, vnaque, dum pulſus Sinen-

Sinenſium et recentiorum Gallorum breuibus explicandi erant, ne qua in re officio meo defuiſſe iudicarer, temperari mihi non potui, quin potiora pulſuum genera, prouti ab auctoribus commemorantur, aeri incidenda curarem, vt haberent auditores ceterique lectores iuſtas imagines, ſine quibus iſta pulſuum doctrina perobſcura eſt.

Recenſum eorum virorum, qui in ſemiotice ante me verſati ſunt, agere nec volui, ne in eorum merita iniurius eſſe viderer, neque etiam potui, ſiquidem multi hoc de argumento libelli nondum ad manus peruenerant.

De reliquo clariſſimos quosque medicos, in primisque celeberrimos artis noſtrae profeſſores, oro rogoque, vt, ſi qua in re deliquerim, me perhumaniter hortentur, moneant, corrigant, ſibique habeant perſuaſiſſimum, me omnem moturum lapidem, vt et tanto fauore dignus videar, et eorum conſilio libellus meus limatior fiat.

Vale igitur, L. B. et coeptis noſtris fauere perge. Scripſi Ienae d. VI. Calend. Maias cIↃ IↃ CCLXXV.

PRO-

PROOEMIVM.

§. 1.

Semiotice ſ. *Semiologia* ea medicinae pars eſt, qua quaeuis vitae, ſanitatis, morbi, mortis, ſigna, ſiue bona, ſiue mala ſint, ex corporis humani natura medicorumque decretis eruuntur, recenſentur, diiudicantur, exindeque omnes omnino corporis actiones atque euentus morborum praeſagiuntur.

§. 2.

Ex his colligitur, hanc artem ſanorum quidem ſaluti proſpicere, ſed potiſſimum eo cerni, vt ea morborum genera, quae iam aegrum exercent, ex praeteritis quaſi eliciantur, futurorumque praedicta, nec non futura morborum ſymptomata, diuturnitas, breuitas, exitus in ſalutem, aut mortem, cum vel ſine periculo, aut cum recidiui mali metu, naturae perappoſite fiant.

§. 3.

Quae cum ita ſint, haec certe doctrinae medicae pars medico videbitur eſſe *perneceſſaria*, nec ſine ea medicus verus magnusque vllo modo aliquis eſſe poterit. Morbus enim quiſque adiuncta habet ſua ſymptomata, quae aut communia ſunt, aut propria quaſique indiuidua. Priora genus morbi, poſteriora formas conſtituunt. Hinc conficitur, medicum felicem vereque doctum non niſi eum fore, qui haec ſigna memoria complectitur, atque ſingula ſuo loco et tempore adhibere didicit; bonum vero medicum neminem, qui haec ignorat, quoniam ſine illis nec medicamentorum farrago et pyxides multum proſunt, nec morborum nomina.

§. 4.

Porro eſt ſemiotice perquam *vtilis*, cum medico, tum aegroto. Hic enim ſcire auet, ſalusne ſperanda ſit, an prorſus deſperanda. Quo audito, ſi ſanae mentis eſt, eo facilius imperanti medico morem gerit, et hac via aut breui ad vitam ſanitatemque reuertitur, aut etiam, rebus conclamatis, ſaluti ſuorum et ſuae ipſius poſt fata exſpectandae proſpicere poteſt. At vero Medicus ſi vniuerſa et ſingula morbi cuiusque ſigna cognita habuerit, hac ex diſciplina id commodi conſequitur, vt et eius naturam, indolem, formam, bene intelligat et a ceteris internoſcat, atque, praeuiſis iis, quae fieri ex naturae lege poſſint vel debeant, eliget curationis rationem accommodatam ac profuturam, ideoque prudenter praeſagiendo honori conſulet: Hac enim ſola via medenti datum eſt culpa ſe atque ignorantia liberare.

Schol. Caueant medici, ne quid nimis. Sunt enim medici, qui omnem ſignorum materiem negligant, adeoque nullius frugis.

Sunt

Sunt alii, qui ſine vlla cognitione ac dilectu, ſi qui acuto morbo aut febre cum eruptionibus corripitur, eum deſperatum ac conclamatum cenſeant, et ſigna morbi a ſignis iudicationis diſcernere haud valeant. Hinc error multiplex et famae maculae crebrae, artis contra medicinalis conuicia multa, quaſi vero eius eſſet, ignaros huius rei tam arduae atque praeſtantiſſimae vel inuitos corrigere. Sunt denique medici, iique vere *Hippocratici*, qui omnem ſignorum ambitum ſcienter dimetiantur, atque ſigna bona a malis, fallacia et inſidioſa a tutis ac veris, certa ab incertis propria, nec ſeparabilia a temporariis atque ſubitis, decretoria a naturalibus cet. diſcernere noverunt. Quamobrem prudens medicus aut nunquam errare falliique poterit, aut certe perraro, et ſi quando fiat, citra culpam ſuam atque damnum aegri errabit.

§. 5.

Neque *iucunditate* ſua deſtituitur iſta ſignorum medicorum ſcientia. Etenim nihil ſuauius eſſe debet, quam perſpicere, ac prouidere, quae ſint abſtruſiores morborum latebrae, quae inſidiae, quae indubitata indicia, quae vires naturae ac morbi, quae incrementi, ſtatus, decrementi ratio, qui denique exitus futurus ſit. Nam, monente *GALENO* [a]), *generoſi medici atque arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum praecognoſcere, cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens inſtituat. Eadem ratione principium morbi*

 atque

a) De Criſib. I. 3. p. 485. T. IV. *Opp.* ed. Froben. 1549.

atque augmentum, non vbi iam perfecta ſunt, cognoſcere, ſed multo antea praeſtabat agnoſcere. Accedit voluptas ſumma, quae hac ex re atque bene factorum conſcientia oritur, gloria denique, dignitas ac fiducia aegri certiſſima, modo euentus praedictis reſpondeat.

§. 6.

Quibus ſe ita habentibus, ſequitur, vt hac ſignorum ſcientia ſola *medici praeſtantia* contineri debeat. Qui ſi hiſce armis probe inſtructus eſt, verus profecto eſt vitae necisque arbiter, ſapiente Stoicorum ſapientior, regibus potentior, quoniam prudenter et praeceptis artis appoſite agendo, moliendo, mouendo, pericula vt plurimum propulſat, at vero inſcienter pugnando, morbi natura eiusque indiciis aut non cognitis, aut temere neglectis, aegros iugulat.

§. 7.

Sunt autem duo potiſſimum conſideranda medico, primum, vt ſciat, vnde haec ſigna peti debeant, deinde vt ea bene ordinare atque prudenter adhibere didicerit.

§. 8.

In corpore hominis ſemper adſunt quaedam incommoda, quae inſtar hoſtis aut aperte infeſtant, aut per inſidias. His reſiduae naturae vires reſiſtunt; Quae ſi ſuppetunt morbo profligando, ſanitas priſtina recuperatur; Sin vero impares ſunt, hoc ex conflictu oritur nouus morbus, aut ipſa mors ſequitur. Porro ex hac morbi viriumque proportione repetuntur praeſagia vt ſalutis ac mortis, ita etiam breuioris longiorisue temporis, quo malum finietur. Haec in vniuerſum corporis animique mala pro ſignis habentur, et partim *ſenſibus apprehendi*

hendi poſſunt, partim *cogitando* reperiri, partim *coniectando* erui.

§. 9.

Haec ſigna varia varie a medicis ordinantur, variaque habent nomina. Sunt enim aut *propria morbi*, aut *communia* ſ. *συνεδρεύοντα*. Haec vero iterum vel *in vnum ac ſolum morbum* competunt, ſed *non ſemper*, vel *ſemper* quidem, ſed *non ſoli* conueniunt, vel etiam *nec ſoli*, *nec ſemper* quidem. Illa contra ſunt, quae *in vnum morbum ſemper* atque vbiuis accidunt, eumque ab reliquis internoſcendum praebent. Sed profecto pauciſſimis morbis illa interſunt. Diuiduntur etiam ſigna in

a) *Anamneſtica*, quae vel ab commutationibus morbum antegreſſis repetuntur, vel, tanquam praeſentia mala, adhibentur a medico ad praeterita detegenda.

b) *Diagnoſtica* ſ. *Demonſtratiua*, quae ex iis, quae iam in aegro eueniunt, elucent, atque praeſentis morbi conditionem naturamque declarant. Eſt tamen ſaepenumero, vbi ſine anamneſticis diſci non poſſunt. In his vnum interdum quaſi eminet; quo viſo, illico morbus ipſe cognoſcitur: id quod appellant *pathognomonicum*. v. c. flauus oculi color indicat morbum regium.

c) *Prognoſtica*, quae aliquanto poſt initium morbi apparent, quibusque euentus cernitur. Etenim non male *Galenus* [h]): *Praeſentium cognitio nihil aliud eſt, ac affectuum inuentio: cognitio praeteritorum nihil etiam aliud, atque inuentio cauſſarum, quae affectus inducunt: — Haec ſi inter ſe conferantur, futura praeſentiuntur.*

h) De Praeſag. ex pulſ. IV. 10. p. 469. IV.

tiuntur. At *Diagnoſtica* denuo multis eſſe videntur aut *generalia* ſ. *indicatiua*, quae morbi praeſentis cauſſas, ſymptomata, et locum affectum declarant, ſuntque illa iterum *coniecturalia* ſ. *communia* et *aſſidentia*, quae ſaepius adſunt, abſunt, aliis demum ſuperueniunt; aut *Demonſtratiua*, *propria*, *pathognomonica*, quae ſemper morbum aliquem comitantur: Haec vero putantur eſſe *inſeparabilia*, quae adiuncta vni eidemque morbo ſemper ſunt, vel *ſeparabilia* ſ. *propria late ſic dicta*, quae morbo cuidam ſaepius quidem accidunt, at non ſemper, nec eo gradu, quo opus ad internoſcendum foret. Semper tamen haec indicare debent actionem corporis laeſam, adeoque cauſſam ipſam morbi primariam. Ex his etiam intelligitur ſignorum diuiſio in *eſſentialia*, et *accidentalia*, interdum *aequiuoca*.

Aliis haec ſigna ita ordinare placet, vt ſint morbi

Praeſentis | *Praeteriti* | *Futuri*

Diagnoſtica | *Anamneſtica* | *Prognoſtica*

Certa vel *Incerta*

Pathognomonicum ſ. *non.* Apud veteres *Aſſidens* dicitur.

Vni morbo appoſitum ſ. *Pluribus.*

Pathognom. proprium ſ. *Characteriſticum* aut *Commune.*

Ex multis ſignis conſtans, vel *Non.*

Compoſitum | *Simplex.*

Porro

Porro a *natura* ſua et indole dicuntur *bona*, ſi res aegri in vado ſunt aut certe non deſperandae; *mala* vero ſ. *maligna*, ſi contrarium fiat. Vtriusque vero gradus varios variaque inde deducta nomina vide apud *Donatium* [c]). Similiter *ſalutaria* et *exitioſa* explicanda ſunt: a *modo et tempore*, quo aegros exercent, aut *ordinaria* vocantur, aut *acceſſoria*.

Reſtat diuiſio ſignorum in 1) *Iudicatoria* ſ. *decretoria* i. e. quae in morbis ſubitam rerum commutationem ac perturbationem inducunt, et aut veluti cauſſae et ſigna conſiderari debent, v. c. vomitus, alui deiectio, aut tantum pro ſignis haberi, v. c. caligatio oculorum, inquies, vigiliae, delirium cet. et 2) In *Symptomata iudicatoria*, i. e. quae poſt morbum ſequuntur, nec per ſe iudicant: Ab HIPPOCRATE [d]) magno dicuntur *decretoria non iudicantia*.

Schol. Apud HIPPOCRATEM diſtinguuntur τεκμήρια et σημεῖα. Illa ſunt *ſigna propria* ſ. *pathognomonica*, haec *communia*. Qua de cauſſa praeclare GALENVS ad h. l. Progn. Comm. III. 41. p. 817. IV. *De accidentibus decretoriis afferri verbum, SIGNVM, conuenit, INDICIVM vero nequaquam conuenit. Sola enim ſigna ſimul et indicia nominantur, ex quibus licet certo coniicere aliquid de ſalute et internecione aegri* cet.

§. 10.

Debent igitur *ſigna anamneſtica* a medico non negligi, quoniam illorum miniſterio facile ad praeſentis

c) Rei Med. Stipend. II. 20. p. 53. ſeq.

d) Cf. *Lemoſ.* De Opſ. Praedic. Rat. III. 6. p. 102. a et L. II. 1. p. 39. b.

ſentis morbi cauſſas, ſedem atque naturam intelligendam peruenire poteſt, idque cum maxime tum, cum coniecturali opus eſt cognitione.

§. 11.

Signa diagnoſtica ſunt morbi

1) *Imminentis*, quae ab corporis functionibus aut labaſcentibus, aut prorſum ſublatis, a viribus naturae fractis aut infirmatis, a morbo quodam populariter graſſante cet. ſumuntur.

2) *Praeſentis*, quae facile intelliguntur ex iis, quae iamiam in aegro fiunt, vel ex cauſſis antegreſſis, ex iis, quae morbo comitantur, ex ſignis iſtis, quae cuidam morbi generi propria et conſequentia ſunt, ſiue a cauſſis proficiſcantur, ſiue ab humoribus ſordibusque excretis, ex victus ratione, ſenſuum internorum externorumue laeſione, habitu corporis commutato cet. Quae certe docere poſſunt medicum, *interna* ſint, an *externa* vocanda, quae pars affecta ſit, quo tempore morbus finiri debeat. Etenim quo plura et vehementiora ſymptomata vrgent, eo breuior habendus morbus erit; et contra. His praeceptis, tanquam fundamento, innituntur cum maxime in febribus acutis

a) *Signa cruditatis*, i. e. quae a principio morbi apparent, ſumunturque a tempore, quo durauit, legibus medicis, humorum excretorum indole; v. c. vrina, ſudore cet.

b) *Signa coctionis*, i. e. quae humidorum ſolidorumque mutationes ſerius declarant, et partim repetuntur a tempore, partim ab ipſis ſymptomatis, partim ab humoribus excretis.

c) *Signa*

c) *Signa iudicationis*, ſ. *decretoria*, *iudicatoria*, quae ſtatis diebus, inde ab HIPPOCRATE hac de re inſignibus, vſu veniunt, coctione praegreſſa, cum impetu et incremento quodam morbi ſubito, laeſione corporis animiue functionum magna, bonis cum aegri rebus ac leuamine cet. Vnde intelligitur ratio, cur nonnulli medici etiam adferant *ſigna principii*, *incrementi*, *ſtatus* ſ. *vigoris*, *decrementi*. Sed de his alio loco pluribus.

§. 12.

Signa prognoſtica deriuantur a morbi natura, ſiue corpus vniuerſum teneat, ſiue partem, a ſymptomatum vehementia, clementia, bonitate, malignitate, a cauſſarum magnitudine ac multitudine, ab humoribus excretis ac ſuppreſſis, eorumque conditione in cruditate, coctione, iudicatione, a virium vitalium modo, ab habitu corporis, moribus cet.

§. 13.

Reliquum eſt, vt medici hanc ſignorum congeriem *ſcienter adhibeant*. Fieri vero illud omnium optime poterit, ſi ſedulo ac diligenter in eo allaborent, vt quorumuis ſignorum vim ac poteſtatem perſpiciant, ex veterum recentiorumque medicorum ſcriptis praecipua deligant, et memoriter apprehendant, ac potiſſimum ſciant, quae vel generi, vel formae morbi conſentanea ſint, ſemper, an interdum reſpondeant.

§. 14.

Sunt vero, vt omnis medicinae, ita et ſemiotices auctores ac magiſtri *veteres medici*, ſiquidem cum natura ipſa illi habitarunt et conſenuerunt. Qua ex re factum eſt, vt, quicquid ſignorum litteris conſignatum reliquerunt, illud, natura duce ac

comite, ad viuum exſcripſerint, nihil temere, nihil praeiudicata opinione, nihil denique aut perraro certe, ſumtionibus precariis deriuarint. Magna hinc eorum principum, nec interitura gloria, dignique illi habiti ſunt inde a priſcis temporibus, in quos, tanquam in exemplum, intuearis, et in obſeruando imiteris. Nec iniuria. Latent enim in eorum monimentis optima quaeuis ſemiotices ſanioris ſemina, quae non poſſint non commodo eſſe, modo ea rite perſpecta habeas, iisque vti ſuo tempore ſapienter ſcias.

v. IO. FREIND Comment. de febribus, p. 4. ſq. Opp. ed. Pariſ. 1735. THOM. GLASS Comm. de febribus ad Hippocratis diſciplinam accommodati, Ien. 1771. et HENR. COPE Demonſtratio Medico-pract. Prognoſticorum Hippocratis, cet. Ien. 1772. ed. BALDING.

§. 15.

Sed cautio adhibenda hac in praeſagiendi arte multa eſt, ne fallaris. Multum enim

1) Intereſt ſcire, vndenam terrarum haec medicorum decreta profecta ſint, quae regionum, caeli, victus, vitae generis cet. ſit ratio, eaque via ſola ſcopuli ſubterfugi ac deuitari poſſunt, quibus illi forte adhaereſcant, qui ſi quod ſignum aut vniuerſe dictum a veteribus videant, quod particulatim verum eſt, aut aliquod quaſi otioſum ac improbabile, illico eos ridendos negligendosque putant.

2) Ne ſis inter legendum nimis credulus et ad approbandum facilior. Multa enim a medicis ſigna proferuntur, quae nec ſunt, aut ſaltem adhibita aliqua lege ac conditione ſunt, praeſertim

ſertim ſi ſectam ſpectes. Exempla praebent Pneumatici, Galenici, Paracelſiſtici et Helmontiani, Chymici, Stahliani, Mechanici, Eclectici.

3) *Signa generalia a ſingularibus* rite diſcerni debent, itemque *ſignorum gradus*, ſemper, an interdum cum morbo fiant; Quod dum obſervat HIPPOCRATES e), in lectione eius bene attendas epitheta, quibus vſus eſt ad periculi magnitudinem vel paruitatem declarandam. Sed longe aliter ſentiunt multi noſtrae aetatis medici, ſeque dant turpiter. Negari quidem non poteſt, in quauis morbi ſpecie ſigna quaedam apprehendi oportere, quae generi reſpondeant, ſed nihilo ſecius opus eſt dilectu eorum, quae propriam mali naturam referunt, et ad internoſcendum valent plurimum. Quam legem ſi ſecutus fueris, poteris facile cum morbi genus reperire, tum formam ipſam conſtituere, ideoque meliorem ac tutiorem curationis viam adhibere.

4) Caue, ne ex *ſignis communibus* morbi nomen praedictaque repetas: Haec enim ſine propriis ſaepenumero minus tuta et fallacia ſunt, et, auctore GALENO f), *vnum forte multis debilibus fidelius exiſtit*, etſi negare non auſim, plura communia haud raro poſſe in propriorum locum ſuccedere. Sed hic ingenio et iudicio opus eſt.

5) Conſi-

e) Ap. *Galen.* de Criſ. I. 13. p. 502. IV. *Taurell.* Method. Med. Praedict. P. III. p. 334. Prae ceteris vero haec explicuit *Lemoſius* de Opt. Praedic. Rat. III. 2. p. 94. b. ſeq.

f) De Criſ. I. 13. p. 502. IV.

5) Conſideranda eſt curatius ſignorum natura: Non enim omnibus eadem vis atque poteſtas eſt aut ad ſalutem, aut ad mortem, neque, ſi qua per ſe bona ſunt, hanc ob cauſſam certa valitudinis documenta ſunt, etſi mala ſemper magis metuenda. Quare in hoc iudicio ſpectari debent aër, anni morbique tempora, regio, victus, aetas, conſuetudo, vires, functionum integritas ac laeſio, morbi forma, magnitudo, acceſſiones cet. Sine his nunquam certa praedictio eſt.

6) Vide, ne ſigna, quae coniuncta et affinia ſunt, iis, quae diuerſi generis ſunt, temere immiſceas. Saepe enim a cauſſis longe diuerſiſſimis proficiſcuntur. Id certum eſt, haec affinitatis indicia interdum veram morbi notionem oſtendere, interdum vel exercitatiſſimos fallere, vt bene Ill. ZIMMERMANNVS g) docuit.

7) Caue, ne in quouis morbo omnia omnino ſigna quaeras, quae ab auctoribus commemorantur. Sic multi cenſent, ſed vehementer errant. In vniuerſa enim morborum narratione requiritur, quicquid ſignorum aut ſemper, aut certe ſaepius accidit: at vero multa abeſſe poſſunt, ſalua morbi notione, modo ea ne deſint, quibus vis et poteſtas eius cum maxime continetur. Videndum tamen eſt, ne quod ſymptoma primarium negligas: Damnum exinde ſequitur ineuitabile, ſiquidem quo magis ad illa, quae in morbo fiunt, attenderis, eo facilius poteris, quae ad euentum pertinent, a ſe inuicem diſcernere.

8) Me-

g) Von der Erfahr. T. I. B. 3. c. 4 p. 288.

8) Memento dari morbos, in quibus ſigna certa et indubia deſunt, et tamen inſolitis horrendisque ſymptomatis [h]) terrent: In his poſt fata cadauer explorandum eſt, et docta ignorantia laudabilis.

9) Vide, ne ante ſtatum morbi euentum praeſagias, eaque re in errorem ac contemtum aliorum incurras, ideoque nec primo oculorum obtutu iudices: id quod et in perpaucis morborum generibus valet, et artificis vere *Hippocratici* eſt.

10) Medici eſt, multis in caſibus non certo, ſed probabiliter praedicere. Res certe perquam ardua eſt, et praecipue in morbis complicatis [i]) non negligenda.

11) Nemo in ſemiotice pathologica bene verſabitur, niſi qui phyſiologicam primoribus, quod aiunt, labris deguſtarit. Vires enim naturae ſuperſtites cum viribus morbi comparandae ſunt, et ſemper ante actae vitae ratio habenda.

§. 16.

His praemiſſis, facile haec medicorum decreta [k]) intelligi poterunt, *mala eſſe morborum ſigna, quae modum excedant, praeter naturam morbi vel temporum accidant, ab aegro citra conſuetudinem fiant, aut ſi res eius ſubito in peius mutentur, quaſique errent volubiles; non fidendum iis eſſe, quae non ex ratione iuuant; bona ſigna ſaepe mali ominis eſſe, mala vero non item; acutorum morborum praedictiones non ſatis certas eſſe ad ſalutem mortemue exprimendam;*

h) *Zimmerm.* l. c. p. 290. ſeq. et *Boerh.* Morb. Rarior. Hiſt. Frft. 1771. ed. *Bald.*

i) *Zimmerm.* l. c. p. 283.

k) *Taurell.* Meth. Praed. Med. P. III. p. 338. ſeq.

mendam; aegrorum delictis morbi naturam perturbari aut accelerari poſſe perniciem; exitialia ſigna eſſe, quae a principum viſcerum vitio dimanant, quae vires exhauſtas docent, immo vero partium deſtructionem, haec vero in acutis mortem portendere, in mitioribus diuturnitatem; morbos, qui remittunt, tutiores iis eſſe, qui nunquam; ſigna praua ſi qua ab initio morbi appareant, periculoſiora iis eſſe, quae paullo poſt conſequuntur, vtraque vero, ſiue bona, ſiue mala ſint, magis attendenda videri, ſi diebus decretoriis vrgeant; poſt ſtatum acutos morbos vt plurimum periculo vacare, niſi quid aeger aut medicus delinquat; ſignorum vim et poteſtatem variam a variis cauſſis pendere; ſymptomata, quae morbi fomitem exſtinguunt, bona praedicanda videri, mala vero, quibus morbus exacerbatur, eamque ob cauſſam grauia in acutis mortem inferre ac indicare ſolere; contra minus pertimeſci oportere, quae cauſſam paruam et euidentem habent, ideoque illa morborum genera, quae ſubito oriuntur, plerumque magis ſecura eſſe reputanda, quam quae diutius et vehementer adfligunt; minus periclitari, quorum naturae morbus conſentaneus eſt, ſiquidem nemo facile contrariis malis corripitur, magis vero, ſi qui robuſtiores ſint, quam qui valetudinarii; morbos, quae membrum validum afficiunt, eſſe vehementiſſimos periculique plenos, at tamen haud raro facilius excutiendos; bonum praeterea eſſe, ſi morbus ab interioribus corporis partibus ad externas, a nobilioribus ad ignobiliores et a loco affecto diſſitiſſimas deferatur, ſi acceſſiones ſtato tempore reuertantur, certe ex ratione anticipent; malas vacuationes eſſe, quae morbi vehementiae debentur, quae variae ſunt atque ſincerae, ac vires nimis deiiciunt vel mortem ipſam accerſunt, cet.

§. 17.

§. 17.

Supereſt, vt, quem ordinem in explicanda ſignorum medicorum doctrina ſequamur, paucis ediſſeramus. En tabulam!

Pars I. SEMIOTICE PHYSIOLOGICA.

Cap. I. *De ſignis ſanitatis ex mutatione corporis naturali* ſ. *aetate.*

II. *De ſignis ſanitatis ex actionibus*

A) *Vitalibus.*

B) *Animalibus.*

C) *Naturalibus.*

D) *Sexus.*

III. *De temperie, vt ſigno ſanitatis.*

IIII. *De ſingularum corporis partium habitu, vt ſanitatis ſigno.*

Pars II. SEMIOTICE PATHOLOGICA.

Cap. I. *De actionibus vitalibus, vt ſignis.*

Sect. I. *De pulſu, vt ſigno.*

Subſect. I. *De pulſibus Sinenſium.*

II. *De praecipuis ac perneceſſariis pulſuum generibus.*

III. *De praecipuis pulſibus Galenicis.*

IIII. *De pulſibus nuper excogitatis* ſ. *organicis.*

Sect. II. *De reſpiratione, vt ſigno.*

Cap. II. *De actionibus animalibus, vt ſignis.*

Sect. I. *De motu tonico, vt ſigno;* Eſt vero ille

Subſ. I. *Excedens modum,* quo continentur

A) *Irritabilitas Halleriana nimia.*

B) *Horror.*

C) *Rigor.*

D) *Sternutamentum.*

E) *Riſus.*

F) *Tuſ-*

F) *Tuſſis.*
G) *Singultus.*
H) *Pauor.*
I) *Tendinum ſaltus.*
K) *Conuulſio.*

Subſect. II. *Deficiens*, quo nomine comprehenditur

A) *Debilitas.*
B) *Laſſitudo et torpor.*
C) *Oſcitatio.*
D) *Vocis defectio* ſ. *Aphonia.*
E) *Animi deliquium.*

Subſect. III. *Mixtus*, eoque, noſtra quidem ſententia, referuntur

A) *Tremor.*
B) *Palpitatio.*

Sect. II. *De ſenſibus externis, vt ſignis.* Huc pertinent

Subſect. I. *Viſus.*
II. *Olfactus.*
III. *Guſtatus.*
IIII. *Auditus.*
V. *Tactus.*

Sect. III. *De ſenſibus internis, vt ſignis.*

Subſect. I. *Somnus, vigiliae, inſomnia.*
II. *Conſtantia mentis et delirium.*
III. *Fatuitas et obliuio.*
IIII. *Dolor et ſtupor.*
V. *Vertigo.*

Cap. III. *De actionibus naturalibus, vt ſignis.*

Sect. I. *De actionibus primarum viarum laeſis, vt ſignis.* In his collocantur

Subſect. I. *Sitis.*
II. *Deglutitio et manducatio.*

Subſ. III.

Subſect. III. *Appetitus et fames.*
IIII. *Ardor ventriculi, ructus, flatus.*
V. *Nauſea et vomitus.*
VI. *Digeſtio et ſucci nutritii praeparatio.*
VII. *Deiectio atque vermes.*
Sect. II. *De actionibus ſecundarum viarum* ſ. *Secretionibus* et *egeſtionibus, vt ſignis.* Huc ſpectant
Subſect. I. *Saliuae fluor et ſputa.*
II. *Tranſpiratio et ſudor.*
III. *Vrina.*
Cap. IIII. *De actionibus ſexus, vt ſignis.*
Sect. I. *De actionibus ſexus potioris laeſis.*
II. *De actionibus ſexus ſequioris laeſis.*
Cap. V. *De iudicatione morborum, vt ſigno.*
Sect. I. *De dierum decretoriorum veritate ac dignitate.*
II. *De cruditate, coctione veraque iudicatione,* illaque fieri ſolet
Subſect. I. *Per gangraenam.*
II. *Per abſceſſus* ſ. *Suppurationem et eruptiones cutis varias,* quas Graeci ἐξανθήματα appellant.
III. *Per expulſionem humidorum,* idque *emiſſariorum miniſterio.*
Sunt vero praecipuae viae, quibus morbi iudicantur,
A) *Profluuia ſanguinis varia.*
B) *Sudor.*
C) *Saliuae fluxio et ſputa.*
D) *Vrina.*
E) *Vomitus.*
F) *Deiectio.*
G) *Coniunctio plurium egeſtionum.*

Cap. VI. *De morbis recidiuis, vt ſignis.*
Cap. VII. *De ſignis malignitatis.*
Cap. VIII. *De ſanguine reliquisque humoribus, vt ſignis.*
Cap. IX. *De habitu corporis, vt ſigno.*
Sect. I. *Corpus bene valenti ſimile vel diſſimile.*
II. *Nimium atque ſubitum ſtaturae incrementum.*
III. *Nimia macritudo vel tumor.*
IIII. *Calor et frigus corporis, mador et ſiccitas cutis.*
V. *Color corporis vniuerſi aut partium vitiatus.*
VI. *Pruritus et cutis vlcuſcula longa.*
VII. *Caput externum.*
VIII. *Facies eiusque partes.*
A) *Facies vniuerſe dicta.*
B) *Tempora.*
C) *Auriculae externae atque ſordes aurium.*
D) *Frons.*
E) *Nares.*
F) *Genae atque maxillae.*
G) *Labia et mentum.*
H) *Os, dentes, atque gingiuae.*
I) *Lingua et fauces.*
K) *Facies Hippocratica.*
L) *Collum et ceruix.*
M) *Dorſum.*
N) *Thorax eiusque percuſſio.*
O) *Praecordia.*
P) *Extremitates corporis.*
Cap. X. *De aegri cubitu, vt ſigno.*
Cap. XI. *De moribus aegri, vt ſignis.*
Cap. XII. *De mortis ſignis.*

PARS I.

PARS I.

SEMIOTICE PHYSIOLOGICA.

§. 18.

Sanitas corporis ex conſenſu omnium omnino actionum oritur: Quae dum fiunt ſine vlla moleſtia, non poſſunt non apparere quaedam commutationes, quas vel effectus, vel cauſſas valitudinis bonae appellamus, adeoque iſtae indicio eſſe debent, quae homini exinde ſalus ſperanda ſit. Doctrina, qua corporis ſani ſigna continentur, dicitur *Semiotice phyſiologica*, eſtque illa a medico nullo modo negligenda.

v. LVDWIGII Phyſiol. P. III. p. 232. ſequ. vbi etiam leuiter adumbrata eſt nobiliſſima haec medicinae doctrina.

§. 19.

Repeti vero illa ſigna poſſunt aut a vita ante acta, vnde intelligas, qua ratione hae corporis functiones factae ſint, proſpere, an male, facile, an cum aliquo doloris grauitatisque ſenſu, nominanturque iſta *ſigna anamneſtica*: aut ab iis, quae iam in homine ſano vſu eueniunt; quibus *ſignorum diagnoſticorum* nomen eſt: aut denique e conſideratione ac aeſtimatione harum rerum futura quaſi elicimus atque auguramur, quouſque ille actionum vigor duraturus ſit, qui morbi pertimeſcendi, qui vitae finis aliquando futurus: Haec appellantur *ſigna prognoſtica*.

Schol. Summus in ſanitate perfecta diiudicanda concentus actionum quaſique conſpiratio eſſe debet, eamque ob cauſſam illa aeſtimatio res eſt perardua. Hinc intelli-

gitur, non dari *ſignum* quoddam *ſanitatis proprium*, quod *ſigno pathognomonico* ex aſſe reſpondeat, niſi velis eadem, qua in ſemiotice pathologica haud raro fit, via et ratione plura ſimul aſſumere exindeque iudicare.

§. 20.

Placet tamen hunc rerum tractandarum ordinem negligere, ne multa repetiiſſe identidem videamur. Quare cum ſanitas proficiſcatur varia a varia aetate, ab actionibus corporis, a ſolidarum fluidarumque partium conſtitutione, denique ab ſingulorum viſcerum inſtrumentorumque habitu, elucet, non male ſic ordinari *ſemioticen phyſiologicam* poſſe, vt ad pathologicam hinc tuta et perpetua via aperiatur.

CAPVT I.

DE SIGNIS SANITATIS EX MVTATIONE CORPORIS NATVRALI S. AETATE.

§. 21.

Varie varia in aetate ſanitas eſſe debet, ideoque neceſſe eſt conſequantur quaedam viciſſitudines rerum et commutationes, vnde, tanquam ſpecimine idoneo, praedicere medicus valeat, quid in quouis homine futurum ſit.

§. 22.

Prima igitur eſto *aetatis infantilis ſanitas*. Signorum extraneorum inſtar habentor parentes ſani, nec praematura nimiaue venere infirmati, omnium vero minime mater imbecilla, nec ſuccis prauis abundans, animo valens, corporis exercitatione delectans, ciborum appetens beneque digerens; nutrix

nutrix vero, quae ſana eſt, et ſine vllo viſcere laeſo aut morbo haereditario, ſine menſibus ac veneris ſtudio, lactis boni copia affluens, commotionum animi, quoad eius fieri poſſit, expers, proba, mediae aetatis, gulae temperans, corporisque motus non negligens cet. Infanti vero intereſſe debent bona corporis nutritio bonusque habitus, appetitus modicus, ſomnus placidus et qui ſufficiat viribus inſtaurandis, oſſium iuſta proceritas, firmior articulorum collocatio atque colligatio, nodorum tumorumque abſentia, qui male nutritorum infantum iuncturas ſaepius exercent, cutis muſculorumque firmitudo, facilis ac vegetus membrorum motus, eiulatus aut nulli, aut perquam moderati.

§. 23.

Signa ſanitatis, quae in *aetate puerili* inde a tertio anno elucent, commemorantur laxitas et teneritudo ſolidarum corporis partium imminuta, contra firmior indies habitus factus, magnum motus deſiderium, appetitus bonus et nutritio idonea, ſtatura corporis in longitudinem extenta, non incuruata, ſecretiones ac effuſiones humidorum naturales, aequabiles, iuſtae, mentis hilaritas et ſuauitas, curarum, meditationum atque vehementiorum perturbationum fuga, phantaſiae memoriaeque vigor, nouarum rerum cognoſcendarum cupiditas, cet.

§. 24.

Sanitatem *iuuenilis aetatis*, quae ab anno decimo aut duodecimo fere incipit, et ad viceſimum vſque protenditur, exinde augurari licet, ſi iuuenis bene appetit ac digerit, corpus vero bene ac aequabiliter nutritur, ſi vires iuſtae ſunt, nec exhauſtae labore nimio, praepropera venere, meditatione, ſtudiis, ſi membrorum motu facili, ac exercitatione

crebra et viribus perappoſita corpus ſuauiter recaleſcit, ſi vita umbratilis et ſedentaria magno animo ſpernitur, epiphyſes cum oſſe ipſo rite coagmentantur, robur partium increſcit, eaeque ſenſim pedetentimque in proceritatem iuſtam attolluntur, rel.

§. 25.

Sanitas *adoleſcentum*, qui anno tricefimo vt plurimum tales eſſe deſinunt, eo cum maxime cernitur, ſi adfuerit ſolidarum partium aequale firmiusque vinculum, humidorum miſtura et indoles debita; vnde non poteſt non oriri verum et conſtans corporis robur. Porro in hac aetate ſpectari debent virium animi corporisque alacritas, victus ratio conſtans, et quae ſufficiat ferendis laboribus, ac gulae temperet, ſomnus placidus, ſatis commodus, recreans, humorum ſecretiones et reiectiones naturae legibus conſentaneae, cet.

§. 26.

Sequitur *aetas virilis*, quam anno quinquageſimo finiri medici auctores ſunt. Cernitur vero tunc praecipue ſanitas aequilibritate quadam corporis, dum nec comiſſatione quietisue ſtudio nimia oritur ſuccorum multitudo, nec ſolidae partes vehementi exercitatione defetiſcuntur ac obrigeſcunt. Huc pertinent plurimam partem, quae ſuperius indicauimus, cum maxime vero corporis agilitas, actionum conſtantia, ſueta in officiorum obeundorum ratione facilitas, ingenii praeſtantia errorumque fuga.

§. 27.

Ab anno quinquageſimo incipit *ſenectus viridis*; eamque praeſignificant corporis vigor permanens, defectio virium permediocris, mentis conſtantia, facilis membrorum motus, citra vllam aut certe

certe non adeo magnam defatigationem, humorum copia iuſta, corruptio vero aut nulla, aut perexigua, appetitus nutritioque haud contemnenda, cet.

§. 28.

Tandem poſt annum ſeptuageſimum ſequitur *ſenectus decrepita*, quae vt plurimum ipſe morbus eſt. In ſignorum numero collocantur omnis actionum languor, ſenſuum internorum ac externorum hebetudo, inſtrumenta motus inertia, rigida, fragilia, appetitus afflictus et proſtratus, haud raro inordinatus, nutritionis laeſio atque marcor, humorum curſus tardior et prauitas, vaſa vix et ne vix quidem amplius peruia, indeque oriunda viſcerum obſtructio, amentia, ſtupor, deliria crebra, mors vel ab leuiſſima cauſſa imminens.

§. 29.

Eſt vero ea iſtarum aetatum conſpiratio, vt altera alterius quaſi emendatrix ſit, atque futurae ſalutis index. Sic enim pueritia haud raro diſpellit aetatis infantilis vitia, et in iuuenibus ac adoleſcentibus abiguntur mala corporis fixa, innata quaſi et inueterata, pertinaciſſima, praua ſuccorum conſtitutio, ipſorumque neruorum morbi varii horrendi, v. c. morbus comitialis, modo ne obſit peruerſa inſtrumentorum viſcerumque conformatio, aut laeſio immedicabilis. Neque virili aetati ſua bona deſunt, quippe ex iis, quae iam apparent, augurari licet, fore aliquando, vt corpus, peccatis iuuenilibus eneruatum, atque afflictum, reficiatur et ad priſtinum robur ac vigorem reuertatur, modo victus motuumque rationem habeamus.

§. 30.

Sed ex delictis aetatis alterius alteri futura quaeuis praeſignificare poſſumus. Nimius et praeproperus in iuuentute labor ſenectutem accelerat, inſatiabile veneris et bacchi deſiderium viros debilitat quaſique effeminat, et vitam breuem, languidam, morbis dolorique obnoxiam praeſagit, perturbationum animi vis, v. c. irae, quo crebrius in corpus impetum faciat, eo celerius ad varia inualitudinis genera ipſamque mortem inuitat; frequens femellarum conceptio, partus, nutriendique pueri cura, progenerat virium imminutionem, debilitatem ſummam, febres lentas, citamque mortem, aut certe anno triceſimo ſiſtit vetulam.

§. 31.

Huc pertinent varia *vitae genera*, caeli diuerſitas, inſtituta populorum cet. vnde medicus ſigna vitae ſanitatisque peregregia elicere poterit. Sic ex mollitie oriri debet humorum prauitas atque corruptio, nutritionis defectus, et valitudo mutabilis, contra a duro vitae genere ac exercitatione robur corporis ingens, cum maxime ſi qui ſimul ruſticantur, purum aerem ducunt, et victu vtuntur parabili, etſi cito quaſi gradu rigiditas ſequitur atque mors. Sic caelum diuerſum fecit Germanos firmos, robuſtos, laboribus armisque ferendis aptos, longaeuos, Aſianos maximam partem molles, delicatulos, effeminatos, impotentes, inertia et otio illiberali diffluentes. Denique ad corpora cum firmanda, tum eneruanda plurimum valent variae nationum ciuitatumque conſuetudines, vt Lacedaemonii, Germani veteres, Americani natiui, Francogalli, Germanorum recentiorum plurimi, ſatis ſuperque docent.

CAP. II.

CAPVT II.

DE SIGNIS SANITATIS EX ACTIONIBVS.

§. 32.

Sanitas perfecta ſine conſenſu actionum corporis plurimarum nulla eſt. Hinc ſi quis varie ſeſe exercere citra vllam moleſtiam, laſſitudinem atque defatigationem multam poteſt, idque cum aliqua conſtantia ac celeri virium inſtauratione efficere, ille debet profecto ſanus haberi. Contra quacuis corporis functio, quam cita debilitas et fatigatio ingens ſequuntur, certiſſimo indicio ac ſigno eſſe poterunt, ineſſe vel imbecillitatem naturalem, vel morbum, eumque ex iis, quae ſimul in homine cernuntur, aut praeſentem iudicare, aut antegreſſum reputare, aut denique futurum praeſignificare poſſumus.

§. 33.

Sunt vero medico potiſſimae ſanitatis indices actiones illae, quae aut ſenſibus patent, aut cogitando et coniectando apprehenduntur. Prius fit, ſi eum, qui bene ſpirat, dormit, digerit, egerit, nec dolorem habet, proſpere valentem exiſtimamus, poſterius vero, ſi praeter haec et modum cuiusuis functionis aeſtimamus, et ab effectis augurium capimus.

§. 34.

Quare nec familiaris illa ſcholarum doctrina negligenda videtur, dum haſce corporis actiones varias varie diſtinguunt atque finiunt. Sunt enim alia corporis inſtrumenta vitae conſeruandae deſtinata, vnde *actiones vitales* oriuntur; alia ſenſum et motum perficiunt; hinc *actiones animales* proue-

 niunt;

niunt: alia ad naturam corporis ſuſtentandam valent plurimum; has *actiones naturales* appellamus: alia denique ſexus diuerſitatem efficiunt, eamque ob cauſſam *ſexus actiones* facile intelliguntur.

Schol. Rident hanc functionum diuiſionem inde a GALENO apud omnes peruulgatam multi nouarum rerum ſtudio ducti. Sed ſalua res eſt, modo rerum notiones bene finiantur. Verba enim, vt in proverbio eſt, valent, vt numi. Quae ſi ſemel ſint ciuitate donata, nec ſua vtilitate deſtituantur, temere deſerenda non ſunt.

A) ACTIONES VITALES.

§. 35.

Eminent in actionum vitalium numero quaſique eniteſcunt *ſuccorum in orbem curſus* atque *reſpiratio.* Ille bonam valitudinem indicat, ſi humores libere, placide, ſedateque, ſine vlla moleſtia, anxietate aut vi quadam adhibita, per omnia corporis vaſa meant et remeant, ſi cor, princeps illud motus humidorum inſtrumentum, ſeſe attollit et contrahit citra vllum doloris ſenſum, ſi pulſus naturalis eſt i. e. fortiter pro virium ratione ac aequabiliter digitos tangentis medici ferit, ac interualla temporis, quo nouus pulſus fit, et ictuum ſibi ſatis reſpondent, ſi mutatus ille per motum corporis animiue vehementiorem breui ad ſuetas naturae leges, vnde deflexerat, reuertitur, cet.

Schol. Dantur variae pulſuum diuiſiones ac formae, ſic, vt aut *naturales* ſint, aut *praeternaturales*, et cum bona, tum mala quaeuis portendant. Sed haec, ne bis

eadem

eadem repetenda videantur, vberius in ſemiotice pathologica diſputabimus.

§. 36.

Porro et in *humorum copia nimia* ſpecimen valitudinis eſt. Etenim ſi plus ſanguinis, quam vaſa continere aut ſubigere poſſunt, per digeſtionis inſtrumenta vegeta huc transfertur, neceſſe eſt oriantur quaedam quaſi oppreſſio cordis, pulſus, pectoris, grauitas pedum et corporis totius ingrata, laſſitudo, propenſio ad ſomnum ineluctabilis, variaque morborum genera, niſi ſanguinis miſſione, victu materiae tenuis, itemque motu, tollitur. Hinc *leuitas corporis et agilitas* ſigna aequabilis ſuccorum fluoris et ſanitatis ipſius iure meritoque habentur.

§. 37.

Reſpiratio boni ominis in iis eſt, qui ſuae ſpontis ſunt ac bene valent, ſi facilis, magna, plena, aequalis, nec interrupta eſt, ſi neque cum vi ac impetu quodam, ſtridore ac ſibilo, dolore, anxietate, aeris reciprocatio fit, ſi paullo poſt, vbi nimis intenta eſt, lentior et pacatior deprehenditur.

B) ACTIONES ANIMALES.

§. 38.

Actiones animales ſenſu ac motu continentur, ideoque illa inſtrumenta, quorum miniſterio ſe manifeſtant ac produnt, bene conformata eſſe debent, nimirum caput concinnum, occipitium ſatis amplum, cerebrum probe collocatum ac integrum praeſignificant. Sic muſculorum quorumuis natura et poteſtas decretis anatomicorum et mechanicorum perappoſite repetitur a fabricatione naturali, agilitate, facilitate, conſtantia, laborum tolerantia, laſſitudinis abſentia. Senſuum externorum integritatem conſtituunt oculorum

lorum acies atque claritas, facilis ſonorum appulſus, ſaporum intellectus, fidelis rerum tangibilium aeſtimatio, dolor corporis aut pruritus nullus. Internorum vero ſenſuum praeſtantia cernitur tenaci rerum ſenſibus ac meditatione apprehenſarum memoria, phantaſiae vi viuida, iudicii acumine, attentione ſumma, ſomno modico, placido, iucundo, quem nec torpor ſequitur, nec ſtupor, nec nimia ad ſomnum lapſio atque procliuitas, ſiue interdiu, ſiue noctu vrgeat, vigilia non operoſa, animi hilaritate, et perturbationibus aut nullis, aut facile tolerandis.

§. 39.

Huc etiam ſine dubio pertinet *irritabilitas HALLERIANA* naturalis, i. e. nec nimis affecta et proſtrata, nec nimis increſcens. Prior enim imbecillitatem aliquam corporis, tardum humidorum curſum, muſculorum ſegnitiem, motus diminutionem, ſenſus hebetudinem ſignificat; poſterior contraria omnia, eamque ob cauſſam detrimentoſa exiſtimanda eſt. Etenim exinde, tanquam fonte perenni, mire corpus affici debuit.

C) ACTIONES NATVRALES.

§. 40.

Nec iſtae actiones, modo integrae ſint, non valent plurimum ad ſanitatem definiendam, eamque optabilem docent ſitis permediocris, nec moleſta, alimentorum deſiderium, appetitus iuſto tempore reuertens, et ſuauiter afficiens, digeſtio nec nimis accelerata, nec iuſto tardior, iuſta ſucci alibilis praeparatio, et ſecretio humidorum idonea et aequalis, cui reſpondet inutilium expulſio. Quodſi poſt alimenta ſumta ſequuntur torpor aliquis, leuis pleni-

tudinis

tudinis frigorisque ſenſus, calor fugax, haec praeclare bonam digeſtionem; lactei humoris ſuctionem, facilem in ſanguinem tranſitum et commutationem indicant. Porro ſenſus in cordis ſcrobiculo ingratus aut nullus, aut perexiguus, ructus nulli, ſiue ſapidi ſint, ſiue ſaporis omnis expertes, firmam ventriculi valitudinem; tormina et murmura nulla, flatus nulli aut certe ſine vllo incommodo emiſſi, aluus nec nimis cita, nec adſtricta, robur inteſtinorum; denique feces bene tinctae ac coloratae bilis virtutem et acceſſionem declarant.

§. 41.

Secretiones naturales ſi attendantur, bono eſt indicio, ſi os madet, et ſaliuae tantum, quantum ſatis eſt, affluit, ſi cutis transſpiratio modica eſt, aequabilis, inſenſilis, eamque excipiunt leuitas corporis et facilis membrorum motus, ſi nulla hominem exercet in ſudorem propenſio, nec ſudor tenax, vnguinoſus, aut odorus eſt. Idem iudicato, ſi vrina ſanguinis, non potus, laete citrina, ſine vllo incommodi dolorisue ſenſu mittitur, potionis menſurae reſpondet, aluus vero naturalis ſtato tempore excernitur.

D) ACTIONES SEXVS.

§. 42.

Neque dubia ſanitatis indicia ſexus praebet. Quisquis enim, ad iuſtam aetatem delatus, probe appetit, digerit et alimentis vires corporis reficit atque inſtaurat, non poteſt non habere ſeminis boni copiam, ideoque ad venerem concitari. Cui ſi adiuncta ſimul fuerit viuida phantaſiae vis et celerior ſuccorum motus, ſi ſenſus et generationis inſtrumenta valent, nec hebetata nimis ſint, aut inhabilia ad

ad conſenſum facta, ſi quos nec aetas, nec inualitudo, nec religio prohibeat, veneris profecto deſiderium et intus, tanquam ignis, alitur, et bonis cum hominis rebus exſtinguitur, niſi modum exceſſerit.

CAPVT III.

DE TEMPERIE, VT SANITATIS SIGNO.

§. 43.

Magna eſt ſolidarum fluidarumque partium proportio quaſique conſpiratio, vnde incredibilis humanae naturae diuerſitas efficitur, oriturque illa inde a GALENO peruulgata temperamentorum notio. Cum enim haec proportio in variis varia ſit, debent iſta iterum varie definiri, ſi minute velis philoſophari. Sed ſufficiat nobis *temperiem ſanguineam et phlegmaticam*, *cholericam atque melancholicam* adduxiſſe.

Schol. *Sanae* dicuntur *ſolidae* corporis *partes*, ſi nec nimis laxae ſunt, nec valde obrigeſcunt, ideoque robur idoneum habent ad actiones peragendas. *Humores* vero *ſanos* et incolumes appellamus, ſi eorum miſtura aequalis eſt, i. e. ſi aquoſae, terreae, oleoſae atque ſalinae particulae aut eadem proportione ſunt, aut earum aliqua prae ceteris eminet. Tunc vero temperiei notio naſcitur, et propenſio in perappoſita quaedam morborum genera ſingularis.

§. 44.

Temperies ſanguinea hominem dicimus eſſe praeditum, in quo fluidae partes longe antiſtant ſolidis, ſic, vt propter harum infirmitatem ſucci tenuiores

res ſint, et facillime per vaſa deferantur. Reperitur vt plurimum in pueris atque iuuenibus, interdum etiam in adultioribus ſ. viris, ſi gulae non ſatis temperant, atque otio illiberali nimis diffluunt, ideoque dum ſuccis abundant, ſolidorum vim turpiter perdunt.

§. 45.

Signa huius temperiei potiora habentur ſpongioſus et delicatior corporis habitus, caro molliuſcula, pili tenelli ac copioſi, vaſa ſubtilia, in quibus humores facile turgent, pulſus celer ac debilis, ſanguinis copia et mobilitas, omnium omnino humorum curſus acceleratus, ſecretiones modicae ac bonae, expulſiones non incommodae, appetitio magna et perpetua, indeque oriunda corporis nutritio, leuitas membrorum atque agilitas ſumma citra laſſitudinem vllam magnam, mollitiei luxuriaeque conſectatio, facies florida, oculorum vigor, ſomnus multus atque vires reficiens, incredibilis ingenii vis atque praeſtantia, facilis excandeſcentia, eaque iterum ſubito euanida, mirabilis animi inconſtantia.

Schol. Ineſt haec temperies multis adhuc pueris, qui dum iuueneſcunt, alacriores mente ac corpore ſunt: At vero exinde acceleratur corporis pernicies atque ſenectus, niſi vita ſobria acceſſerit.

§. 46.

Temperies phlegmatica cernitur exceſſu humidorum ſolidorumque infirmitate, fere vt in praecedenti dictum eſt, ea tamen adhibita differentia, vt propter horum laxitatem ſucci ſpiſſentur, ideoque lentius per vaſa dilabantur. Quam partium proportionem videre eſt cum maxime in infantibus, in

iis, qui paullo habitiores ſunt, humorum prauitate laborant, et in otio viuunt.

§. 47.

Indicant vero illam temperiem oris pallor, tumor corporis malusque habitus, pili rari, molliores et vix in ſuetis naturae locis excreſcentes, vaſa exilia, quibus paucus, prauus atque pituita commaculatus cruor continetur, vnde non poteſt non oriri tardior ſuccorum itus et reditus, pulſus debilis, mollis, ſegnis, ſerum ſpiſſius, et ad reſtagnationem procliue, gulae intemperantia, et nutritio peſſima, torpor, deſidiae ſomnique ſtudium, ſtupor, timor, ingenii hebetatio, ira aut nulla, aut certe breui deferueſcens.

§. 48.

Temperies cholerica ineſſe dicitur, ſi qui partes ſolidas firmas ac multas habet, humores vero tenues, mobiles et cum impetu quodam per vaſa traiiciendos. In illam vt plurimum tandem transformatur homo ſanguineus, cui exinde valitudinem perfectam auguramur, itemque virili aetati quaſi propria et familiaris eſt.

§. 49.

Sunt ergo eius indices ac proditores denſatus et adſtrictus corporis habitus, facies rubicunda, oculi viuidi, fulgentes et haud raro ſcintillantes, pili copioſi, denſi, horridi, vnde corpus hirſutum: Accedunt vaſa denſa, fortia, magna, impetum humorum non ſemper bene continentia, pulſus celer et fortis, ſanguis multus, craſſus, calidus, humores reliqui ſpiſſiores, horum vero circuitus ob vaſorum robur citus ac vehemens, eaque de cauſſa magna ad morbos acutos et inflammatorios procliuitas, appetitio et digeſtio haud contemnenda, ſecretiones par-

parcae, ſed ſalutares, aluus tarda quaſique globoſa, vigor corporis atque mira agilitas, motus celeritas et facilitas, ſomnus modicus, at profundus cum virium inſtauratione, acumen iudicii, ingenii praeſtantia ſingularis, attentio incredibilis, iracundia vehemens, quae verbis, minis, furore, fuſtibus vlciſcitur illatam iniuriam, ambitio ſumma, indeque oriunda laborum, moleſtiarum, periculorum tolerantia ſtupenda, modo voti compotes fiant iſti homines.

Schol. Virili aetati haec temperies cum maxime conſentanea eſt, iuuenibus vero vim infert. Quare cum tantum non ſemper ſimul adſit nimia humorum multitudo, mirum debet eſſe nemini, exinde, tanquam e fonte perenni, multa, eaque grauiſſima morborum genera dimanare.

§. 50.

Reſtat *temperies melancholica*, quae, ſi ſolidae corporis partes humores ſuperant, ſimulque rigidiores ſunt, hi vero ſpiſſitudinem magnam habent, adeſſe videtur. Quamobrem facilis tranſitus in morbos a denſitate ſuccorum et viſcerum, vaſorum reliquorumque motus inſtrumentorum rigiditate eſt. Perraro in aetate iuniori ac media reperitur, in ſenili vero tantum non ſemper.

§. 51.

Signa huius temperiei cenſentur habitus corporis macilentus, exſuccus, et quaſi exuſtus, muſculi duri, ac rigidi, vaſa adſtricta et renitentia humidorum motui: Hinc humores pauci, ſpiſſiores, tardius fluentes et ſaepenumero intra vaſa et viſcera reſtagnantes, ſanguis denſior, tenacior, piceus quaſi ac vere atrabilarius, pulſus vero tardus et durus, ſecretiones et egeſtiones per varia corporis emiſſaria

parcae, ideoque magna in obſtructiones glandularum propenſio, tranſpiratio ac ſudor fere nullus, ciborum ſicciorum confectatio, aluus ſegnis, dura, arida, praecordia intenta. Praeterea corpus tale quaſi notant facies obſcure flaua, palleſcens, macilenta, genae collapſae ac corrugatae, frons ſqualida et caperata, oculi intus reconditi, moroſitas magna, ſomnus modicus et haud raro nullus, laboris animi ac corporis tolerantia, triſtitia, metus et attentio ſtupenda, inſignis iudicii vis, ingenium tardum, ira tarda, ſed cum maxime pertimeſcenda, cum non facile deferveſcat, ſed multis demum annis poſt, commoda vlciſcendae iniuriae occaſione data, erumpere ſoleat.

§. 52.

Caue tamen, ne ea, quae adhuc de temperiei variae ſignis commemoranda duximus, ſemper atque vbiuis talia reperiri putes, aut ſine vlla contagione, multo minus temperiem moralem cum phyſica temere confundas. Illa enim huic potiſſimum debetur, neque ſemper ſatis aperta eſt propter educationem, inſtituta patriae, ſimulationem cet. haec vero nonnunquam, ab iisdem illis cauſſis incredibiliter commutatur, ideoque prudentis eſt medici, omnia a ſe inuicem diſcernere ante, quam exinde ſanitatem praeſagiat.

CAPVT IIII.

DE SINGVLARVM CORPORIS PARTIVM HABITV, VT SANITATIS SIGNO.

§. 53.

Ex concentu omnium omnino et ſingularum corporis partium ſanitatem phyſiologicam naſci, conſtat inter omnes. Sed quaeritur haud raro a medico,

medico, vtrum aliquod viſcus aut inſtrumentum ita conformatum ac conſtitutum ſit, vt quasuis actiones naturales perappoſite ſubire valeat, nec ne, et quovſque haec vis duratura ſit. Qua de cauſſa nec illa proſperae valitudinis ſigna negligenda exiſtimamus.

§. 54.

Sumitur ergo bonum *a capite* ſanitatis augurium, ſi ſatis amplum ac rite figuratum eſt, i. e. antica parte anguſtius, poſtica vero amplius, occiput elatum, oſſa temporum reliquis bene conſentanea. Quae dum ita ſe habent, neceſſe eſt cerebrum optime habitet, nec eius functiones facile perturbentur. Quare niſi cum aetate commutantur, ſed ſenſim pedetentimque augeſcunt, id quod vigor ſenſus ac motus ſatis ſuperque declarat, ſpes eſt, fore, vt etiam in poſterum iſta bona conſiſtant. Haec praeterea exinde praeſentimus, ſi dolor aut nullus, aut certe breui tranſiturus caput infeſtat, vertigo nulla cet.

v. GALEN. Art. Medicinal. c. 11. p. 246 ſeq. T. I. et Comm. I. in VI. Epidem. Text. 3. p. 592. T. III. vbi multis hac de partium ratione naturali diſputat.

§. 55.

Oculus ſanus cenſetur, ſi rite conglobatus et formatus eſt, et neceſſarios motus facile atque cum conſtantia efficit, ſi leuiter humet, nec lacrumoſus eſt aut muco obductus et arroſus humorum affluentium acritudine, ſi nec rubet, nec dolet, ſi liquores oculi puri et bene diluti ſunt, nec glutinoſi, ſi tunicae radios lucis cum vehementes, tum debiles, citra vllum incommodum recipiunt, ſi quaeuis viſa propiora ac remota ſatis accurate diſtinguunt, neque illa maculis, limbis, vmbrisque tecta repraeſentant.

§. 56.

Aures, quarum miniſterio audimus, bene ſe habent, ſi eae partes, quae aurem externam conſtituunt, ſatis excauatae ſunt ad aerem recipiendum formandumque ſonum, ſi meatus auditorius externus nec anguſtior eſt, ac natura requirit, neque latior, ſi humectatur modice ac vnguine leuiter obducitur, ſi ſonus facile, ſine vllo dolore atque cum quodam impetu ad interiores receſſus penetrat, ſi membrana tympani ſatis tenſa eſt, et minutula oſſicula bene collocantur, ideoque tremoris vis increſcit, ſi tuba EVSTACHII patula, nulla materia peregrina mucoue conferta, nec vlceribus concreta eſt, quoniam tunc facilis eſſe debet aeris renouatio et ad labyrinthum deductio; Huc etiam referas, ſi tympani cauum ſatis magnum eſt; id quod a parte petroſa oſſis temporum, et cum maxime proceſſu eo, quem vulgo maſtoidem appellant, ſatis eminente ac amplo colligitur, ſi ſuſurrus nullus moleſtus eſt, cet.

§. 57.

Cordis integritatem bonumque habitum indicant valida eius et indefeſſa actio, a qua ſenſus doloris non oritur, et ad haec cum intelligenda tum explicanda adhibemus *pulſum.* Qui ſi ſatis fortis eſt, conſtans, et aequalis, nec intermittit, boni ominis eſt, idque eo magis, quo facilius ille praeter naturam concitatus in naturalem et cuique temperiei accommodatam formam reuocatur.

§. 58.

Similis *pulmonum* ratio eſt. Thorax enim elatior continere debet pulmones citra vllum incommodum permeabiles, neque compreſſos, ideoque efficere reſpirationem magnam ſine vi, moleſtia, atque dolore vllo. Porro ſi loquela, cantus, vociferatio,

conti-

continuari aliquamdiu poſſunt, neque laſſitudo aut anxietas ſubſequitur, colligitur, ſanguinem libere per pulmones permeare atque tranſire. Boni denique pulmones cenſentur, ſi ab aeris humidi ac ſicci adſpiratione non afficiuntur, aut certe parum, ſi violenta reſpiratio breui euaneſcit, neque cum cita defatigatione eſt, ſi nec tumor, nec aliud impedimentum aeris reciprocationem retardat.

§. 59.

Ventriculi et inteſtinorum valitudo aeſtimatur ex appetitu bono, digeſtione facili ac cita, vigore breui poſt torporem ab ingeſtis alimentis redeunte, doloris, preſſus tenſionisque ſenſu in ſcrobiculo cordis nullo, ructu ac flatu nullo vel citra incommodum emiſſo, aluo nec cita, nec adſtricta, cet.

§. 60.

Hepar valet, dum nihil grauitatis aut ponderis in praecordiis dextris perſentiſcitur, facies colore foedo non deturpatur, feces flaua bile ſatis tinctae, vrina citrina, nec bilioſa eſt.

§. 61.

Sequuntur *renes* ceteraque humoris obſceni inſtrumenta. Si quem igitur in regione illa, quam iliacam et pubis appellant, dolor nullus vrget, ſi vrina colorem naturalem habet, nec vllam acrimoniam, ſedimentum vero nec multum, nec perpetuum, ſi citra vim et moleſtiam vno quaſi flumine redditur, ſi copia eius potioni reſpondet cet. ſana haec viſcera eſſe iudicato.

§. 62.

Tandem auguramur *extremitates corporis* ſanas futuras, dum nec nimis calent, nec frigent; Illud enim celeriorem ſanguinis curſum, hoc vero tarditatem, imbecillitatemque virium mouentium docet: *habitum* vero *corporis* bonum eſſe, ſi qui faciem flo-

ridam habet, nec nimio rubore, albore aut ſqualore foedatam, corpus nec obeſum, nec macilentum nimis, etſi experientia conſtat, homines macerrimos haud raro optima vti valitudine; itemque calorem illum, vnde aliquis ſuauitatis ſenſus oritur, dentes puros, nec ſqualidos, animam non fetentem, cutim nitidam et ſpecioſam.

§. 63.

Contra *vitam longam* praeſignificant et ſpondent, vt auctor *Cardanus* l) eſt, ex grandaeua familia natum eſſe, aut certe ab parentibus, quorum alter ſenectutem attigit, ſemper hilari eſſe animo, nec curis obnoxio, ſomno longo et placido perfrui, eo gaudere corporis habitu, in quo omnes omnino partes conſpirant, item denſis fibris ac vaſis eſſe, venis magnis et quaſi tumentibus, voce paullum profundiori, cute modice alba et glabra, victum adhibere tenuem atque parabilem, cet.

§. 64.

Ex his, quae adhuc diſputauimus, ſatis elucet, varias in corpore oriri poſſe mutationes, quae ſanitatem vel bonam, vel malam, vel mediam quaſi ac breui perdendam declarent, vnde medicus colligat, quid in poſterum ſperandum ſit; deinde quatenus iſta corporis ſani conſtitutio tranſire poſſit in morbum ipſum, et qualis ille futurus ſit; tandem pernece ſſariam eſſe hanc ſemioticen phyſiologicam, quia ſine hac feliciter in pathologica progredi non liceat. Caue tamen, ne ſi qui coloratior, ſpecioſior et paullo habitior eſt, eum ſaniſſimum cenſeas. Eſt enim, bene monente diuino HIPPOCRATE m), *diſpoſitio athletica non a natura: Habitus ſanus melior in omnibus.*

l) Ap. *Mackenzie* Geſch. der Geſundh. c. 15. P. I. p. 240. et c. 7. p. 406. P. II. verſ. germ.

m) L. de Aliment. §. 7. p. 596. T. I. ed. *Lind.*

PARS II.

PARS II.
SEMIOTICE PATHOLOGICA.

§. 65.

Aberratio quaeuis a ſueta naturae lege, indeque oriunda corporis infirmitas, morbus appellatur. Quod dum fieri poteſt varie, atque corpus multifariam affici, ſequitur, vt multa morborum genera hinc proficiſci debeant, quorum alia quibusdam ſymptomatis inter ſe conueniant, alia vero multum a ſe diſſideant. Doctrina igitur illa, qua haec morborum ſigna continentur, ordinantur, explicantur, dicitur *Semiotice Pathologica.*

§. 66.

Eſt vero ea ſignorum copia et multitudo tanta, vt confuſio incredibilis naſcatur neceſſe ſit, niſi rite finiantur, deſcribantur, et diuidantur, niſi medicus probe attenderit, quid ſymptomata ſingula vniuerſe praeſignificent, nulla morborum, in quibus adeſſe ſoleant et poſſint, ratione habita, quatenus et quando bona vel mala pronuncianda ſint, cet.

§. 67.

Ex his colligitur, hanc doctrinam ita diſpeſci oportere, primum vt fiat generalis ſignorum communium recenſio, quae illa ſint, quid exinde augurandum diuinandumque aegro ſit, periculoſa ſint, nec ne, ſalutaria, an exitioſa, calamitatem ac peſtem corporis totius portendant, an ſingularum partium; deinde vt iſta ſigna ſingula ſingulis morborum formis accommodemus, ideoque memoria teneamus, quid v. c. de delirio phreniticorum cenſendum ſit, quid, ſi in alia quadam febre acuta vrgeat; quae

propria phrenitidi ſigna ſint, quae communia, quae ſemper accidant, quae interdum, rel. Quod dum fit, non facile errare ac labi poterit medicus.

§. 68.

Eſt igitur *Semiotice pathologica* vel *generalis*, vel *ſpecialis*, adeoque nec illum ordinem ſequi piget, nec legem eam, quam mihi ipſe ſuperius ſcripſeram, prorſus negligere, quoniam hac via naturali quaſi ad meliorem quandam certioremque cognitionem pervenimus.

Schol. Sine hac cautione ac coniunctione vtriusque ſemiotices perneceſſaria, quam multi temere ſpernunt, offendere, labi, falli identidem debet medicus, ſiue ſola generali acquieſcat, ſiue ſpeciali. Vtraque copulanda et iungenda eſt, quoniam altera alterius haud raro emendatrix eſt.

CAPVT I.

DE ACTIONIBVS VITALIBVS, VT SIGNIS.

§. 69.

In quouis morbo adſint neceſſe eſt quaedam virium corporis reliquiae, quibus vita aegri quaſi fouetur ac ſuſtentatur. Quae quo plures, maiores, praeſtantiores ſunt, eo facilius ſanitas reſtituitur, eoque maior ſalutis ſpes affulget. Sin minus, contraria quaeuis auguranda videntur. Iam vero cum omnis hominis vita perpetuo ſanguinis reliquorumque humorum in orbem curſu potiſſimum contineatur, et pulſus ac reſpiratio artiſſima colligatione inter ſe devincta ſint, efficitur, non temere inde ab HIPPOCRATE magno ad noſtra vſque tempora illa, tan-

quam

quam ſigna actionum vitalium certiſſima, conſiderata et deſcripta fuiſſe. Etenim *ſi facultas vigori morbi eſt ſuſtinendo*, inquit GALENVS [n]), *neceſſe eſt ſeruari hominem, atque, ipſa nequeunte, mori.*

§. 70.

Quibus ſe ita habentibus, ſequitur, vt iſtas actionum vitalium partes ſeorſim explicemus, ac videamus, quotuplicis generis ſit pulſus atque reſpiratio, quid ex varia ſua mutatione ſignificent, ſperanda ſalus aegroti, an deſperanda videatur, qua demum ſymptomatum ſocietate perhorreſcenda omnia, cet.

SECTIO I.

DE PVLSV, VT SIGNO.

§. 71.

Pulſus appellatur notabilis ille ac reciprocus cordis arteriarumque motus, quo hae attolluntur et viciſſim ſubmittuntur: Quas actionis viciſſitudines vulgo *ſyſtolen et diaſtolen cordis atque arteriarum* appellant, easque ſine quadam multorum pulſuum ſerie nullo modo cogitari poſſe fugit neminem. Sed horum ſenſus et iudicium varium et mutabile eſt, ideoque facile intelligitur, quid ſit, quod multo abhinc tempore multa, eaque pene innumerabilia pulſuum genera a medicis dicta et efficta ſint, quorum alia naturae ſatis ſuperque reſpondent, alia vero minus, ſed aut perraro deprehenduntur, ideoque, tanquam res quaedam ſingulares, conſiderari debent, aut mirum ingenii acumen et digitos doctos deſiderant, id quod a naturae ſimplicitate atque conſtantia perquam alienum eſt.

n) L. de Praeſag. ex Pulſib. IV. 10. p. 470. T. IV.

Schol. Pulſus antiquitates ſi cuius ſcire intereſt, adeat CHRIST. THEOPH. MAYER Progr. *De arte Sphygmica nuperis obſeruationibus illuſtrata* Ien. 1771. De pulſuum cognitione, quam Cous Senex habuit, vide Illuſtr. HÆNIVM Rat. Medend. P. XII. c. 1. p. 1 ſequ. at vero veterum diſſenſionem ac diſceptationem de pulſuum nomine, definitione, diuiſione cet. GALENVM L. De Different. Pulſ. IIII. 2. p. 249 ſeq. T. IV.

§. 72.

Commemorandi vero primum ſunt in hiſce pulſuum generibus, tanquam auctores et principes, SINENSES, deinde alii, qui preſſe naturae veſtigiis inſiſtendum ſibi eſſe cenſuerunt; tertio GALENVS, eiusque adſeclae, tandem recentiores HISPANI atque FRANCOGALLI, qui peruagatam olim GALENI accurationem et explicationem, ſed hodie fere obſoletam, denuo quaſi ab inferis excitarunt. Quorum quiſque cum ſuis ſeſe argumentis muniat, et experientiam ducem atque magiſtram identidem appellet, piaculum meruiſſe multis viderer, ſi illorum placita prorſus negligerem aut ſilentio praetereunda putarem, quae, abſit inuidia dictis! haud raro manca, falſa et inutilia ad aegrorum lectulos deprehenduntur.

§. 73.

Viſum igitur eſt Sinenſium doctrinam primam omnium explicare, quoniam perantiqua eſt, eamque paucis confutare; deinde potiores pulſuum formas, quas recte noſſe cuiusque medici multum refert, in medium proferre, ſiquidem et facillimo negotio addiſcuntur, et certiſſimi vſus ſunt; tertio GALENI

addi-

additamenta percenſere, a quo multa profecta ſunt cum perutilia, tum ſuperuacanea; tandem recognoſcere, qui qualisque vſus eorum pulſuum in medicina ſit, quos SOLANVS DE LVQVE, BORDEVIVS, FOVQVETVS cet. excogitarunt.

SVBSECTIO I.

DE PVLSIBVS SINENSIVM.

§. 74.

Incredibilis eſt Sinenſium medicorum ob pulſuum ſcientiam ſingularem apud multos auctoritas. Eadem, qua noſtri medici ſolent, ratione ac quatuor digitorum appoſitione pulſum explorant, attenti prae ceteris ad perſpiciendum, tardus ſit, an celer, fortis, an debilis, aequalis, an inaequalis, exindeque repetunt ſigna morborum diagnoſtica et prognoſtica, nec interrogatione quidem aegrotorum opus habere perhibentur.

Schol. Ita illa, quae paullo poſt commemorabimus, deſcripſit IO. BAPT. DU HALDE Beſchreib. des Chineſ. Reichs, T. III. p. 449. et ex eo ad verbum fere SAM. SCHAARSCHMIDT Semiot. Sect. II. §. 2. p. 68 ſeq. Omnis vero pulſuum ſcientia comprehendi libello quodam dicitur, cuius auctor, QVANG-CHOV-HO appellatus, vixerat ſub dynaſtia *Tſin*, is vero, qui eum praeterito ſeculo transtulerat, P. HARVIEU, cf. KEMPFER Hiſt. du Japon, L. II. T. I. Les ſecrets de la medecine des Chinois, conſiſtant en la parfaite connoiſſance du pouls, envoïés de la Chine par un François (Harvieu), à Grenoble chéz Phil. Char-

Charvys 1671. ANDR. CLEYER Specimen Medicinae Sinicae ſ. Opuſcula Medica ad mentem Sinenſium, Francof. 1682. MICH. BOYMII Clauis Medica ad Sinarum Doctr. de pulſibus, ex recenſ. ANDR. CLEYERI Frf. 1686. LE CLERC Hiſt. de la Medecine P. I. L. I. ch. 8. p. 23 ſeq. ed. Amſt. 1702. BARCHVSEN Hiſt. Medic. Dial. XIIII. p. 391 ſeq. De Perſis fere eadem refert CHARDIN Voïages en Perſe et autres lieux de l'Orient ch. 15. T. V.

§. 75.

Porro *tres in vtraque manu locos*, quibus pulſus explorari debet, a Sinenſibus conſtituuntur, quorum primus ſub carpo eſt, quem *Tſun-Keou* aut medice *Yang* nominant; alter infra eminentiam oſſis cubiti ſeu radii, qui *Tche* atque *Yn* dicitur, tertius verſus cubitum collocatur. REYERO [o]) dicuntur *Cun*, *Quoan*, *Che*, ea tamen lege, vt primo ſiniſtrae loco ſecundum veteres exploretur pulſus cordis eiusque membranae ſuccingentis, ſecundum recentiores pulſus cordis et inteſtinorum tenuium; ſecundo pulſus hepatis et ſepti transuerſi, ſ. pulſus hepatis et fellis; tertio pulſus renum et meatuum vrinariorum. At vero primo dextrae loco ex veteris codicis regula pulſus pulmonum mediique pectoris, ex recentiorum decretis pulſus pulmonum craſſorumque inteſtinorum; ſecundo pulſus ſtomachi et lienis, tertio denique pulſus renis dextri et craſſorum inteſtinorum ſ. pulſus portae vitae atque inferiorum corporis partium. Qua de cauſſa praecipiunt Sinenſes medici, vt illum examines in ſiniſtro cubito, ſi cor male ſe habet;

o) Tract. de Pulſ. ab erud. Europ. p. 5 ſeq. *Fouquet* Eſſais ſur le pouls c. 1. p. 9. not.

habet; ſin vero hepar, pone eiusdem cubiti commiſſuram; ſi ventriculus, eligenda videtur dextri cubiti iunctura; ſi renes, paullo vltra illam ad extremum cubiti finem, ita tamen, vt dexter praeferatur, ſi malum infra vmbilicum eſt, contra ſiniſter, ſi ſiniſter ren afficitur. Hos *tres pulſus* prae ceteris commemorandos exiſtimant, et eorum quemque iterum eſſe vel *ſuperficiarium*, vel *profundum*, vel *medium*.

Schol. Nihil hac Sinenſium diuiſione abſurdius. Quam tamen cum ſaepius in adſertionis ſuae fidem adferant pulſus organici auctores, ſingula percenſere placet.

§. 76.

Indicat igitur iſte pulſus, qui ante commiſſuram eſt, dolores capitis, et ſi ſimul celer et frequens eſt, adiunctam vomituritionem: Pulſus *Yang*, ſi plenus et fortis apparet, index tumoris, quem οἴδημα appellant, atque hydropis putatur: Sin vero fortis quaſique lubrica res ſubterlabens (glattſchleichend), lingua male ſe habeat neceſſe eſt. Contrarium cenſeas, ſi debilis et ſuperficiarius tangitur: Inde enim praeſignificandus cordi aduerſus ſenſus frigoris. Alterius pulſus, qui *Ye* nominatur, ſigna haec ſunto. In ſummo cubito portendit dolores ventris; ſi debilis et tenuis, propenſionem ad aluum fuſam crebrasque deiectiones. Hinc talis, ſi ſimul celer eſt, breui adfuturum ſudorem malum, eumque haud raro hecticae febris proditorem. Quae celeritas dum increſcit, notare debet magnum ventriculi aeſtum, qui cum tetro oris odore eſt. Tandem ſi cum *pulſu Yang*, eoque debili ac ſuperficiario *pulſus Ye* tardus iungitur et copulatur, ſtomachum debilitatum et concoctionem ciborum malam docet.

§. 77.

§. 77.

Sunt vero potiſſima eorum momenta,

1) vt ſexum, aetatem, ſtaturam, habitum corporis bene diſtinguat medicus, et meminerit, tres in vtroque latere locos eſſe huic ſcientiae deſtinatos, vnumquodque viſcus proprium habere pulſum, eumque in ſuperficie, medio ac profundo loco eſſe indagandum.

2) Vt ſciat pulſus naturales, varias tempeſtates annique viciſſitudines, et quid quiſque praeſignificet.

3) Vt videant, per nouem aëris reciprocationes et vndequinquaginta ictus iidem permaneant pulſus, nec ne p). Reliqua omittenda ducimus.

§. 78.

Pulſus praecipui habentur

1) *Hien*, i. e. *tarde tremens*, qui motum habet diu tremulum, ac inaequalem, in chordae extenſae, haſtae vibratae vel funis tracti ſimilitudinem, quale fit in inſtrumento muſico, quod *Tſeng* nominant. Haud raro ſimul frequens eſt p).

2) *Hie* i. e. *ex crebro acutus*, qui ſub digitis tribus in locis deprehenditur veluti gemmae rotundae motus, et ſi attentius illum explores, quaſi ſubmittitur atque quieſcit. Apud CLEYERVM q) dicitur *nec ingredi, nec egredi*.

3) *Kien*, ſ. *breuis*, qui cum motu non adeo tremulo eſt ac velut incluſo, nomine ab inſtrumento, quod *Kien* Sinenſes appellant, deſumto. Alii r) eum dicunt *intenſum*, nimium, perfrequentem, celerem, et chordae vehementer intentae adſimilem.

4) *Keu*,

p) Ap. *Cleyer*. L. III. p. 23. q) l. c. p. 21.
r) ibid. l. c. p. 24.

4) *Keu*, qui, digito indice, reperitur in vtroque extremo *plenus*, in medio *vacuus* [s]). Alii ſine dubio eum *Kong* appellant. An vacuus noſter?

5) *Kum* i. e. *craſſus* ſ. *exundans* [t]).

6) *Hum* i. e. *exundans* CLEYERI [u]), quia ex digitorum ſenſu, dum attollitur arteria, videtur eſſe permagnus et nimius.

7) *Hon* i. e. *ex acuto creber pulſus*, qui, quoad ſenſum, eſt quaſi vniones rotando hinc illinc propellantur. Dici poſſe videtur *lubricus* (glattſchleichend) et idem eſſe aut certe non multum diuerſus ab eo, qui alias *Hong* i. e. *refluus tarde prouolutus*, et apud CLEYERVM [v]) *Haon* i. e. *remiſſus* dicitur, isque viſus ſub digitis tarde meare ac remeare, ideoque paruus et tardus ſimul eſſe. An idem *Hoa* i. e. *tardus?*

8) *Che* ſ. *Xe* i. e. *plenus* et funis in modum digitos feriens, ſolidus, dum attollitur, et quaſi *intercidens* [w]).

9) *Tchin* ſ. *Chin* i. e. *demiſſus* ſiue *profundus*, elatione quadam digitorum ſenſum fallens, quaſi palpes molle goſſypium [x]). Sine dubio idem eſt, qui alio loco *Chi* ſ. *tardus* nominatur.

10) *Ci* i. e. *ex raro obtuſus*, quaſi quis cultro cannas radat, et intenſus [y]).

11) *Sae*, qui *acutus* et *penetrans* eſt, et eundem digitis ſenſum imprimit, quem culter in bambi cortice radendo. Huc ſine dubio referendus pulſus eſt, qui a Sinenſibus medicis *Sou* ſ. *valde celer* et *feſti-*

s) Ap. *Cleyer.* l. c. p. 21. *t*) ibid. Fragm. p. 22. *u*) L. III. p. 24 ſeq. *v*) l. c. p. 29. *w*) l. c. p. 22 ſeq. *x*) ibid. p. 28. *y*) Ap. *Cleyer.* Fragm. p. 26. et L. III. p. 30.

feſtinans appellatur. An etiam *pulſus Quan?* i. e. *mediocriter tardus?*

12) *Nie* i. e. *debilis*, et auctore CLEYERO [z]), leui manu percipi poteſt, ſed premendo quaſi immutatur, minuitur, quaſique deſinit. Senſus idem, quem ſupra a pulſu *Chin* oriri diximus.

13) *Quei* ſ. *Vi* CLEYERI [a]), i. e. *pulſus paruus*, debilis, tener, ſubtilis, vt digitum fere ſubterlabi videatur, et modo parum, modo multum accedere iterumque recedere. Tactus eius eſſe debet, quale a filo ſerico tenuiori eſt. Interpretes eum *debilem* explicant.

14) *Feou* i. e. *ſuperne fluens* et veluti *ſuperficiarius* ſ. *natans* CLEYERI [b]), qui digitis appoſitis facile tangitur, ſed breui dilabitur, quam primum eos fortiter imprimas arteriae. Inter explorandum digitis apparet, qualis a cepae cortice. Alii huc etiam referunt pulſum *Che*, quem ſupra iam adduximus, eiusque ſub digitorum examine quaſi folium cepae interne plenum apparere. Fortaſſe idem eſt, ac noſter *plenus*, *vndoſus* GALENI aut *inciduus* SOLANI, quoniam ex doctrina Sinenſium medicamentum, quod ſudorem mouet, requirere creditur.

15) *Fou* ſ. *Fo* CLEYERI, itemque *cadens*, i. e. pulſus deorſum quaſi recedens, et intra oſſa deliteſcens, cum labore multo detegendus, ideoque non facile, quid valeat, dicendum eſt. Alii eum *celerem* et quaſi *furtiuum* nominant.

16) *Siu* i. e. *mollis*, *fluidus*, *humidus*, *debilis*, eum ſenſum habere debet, qui ab guttae aqueae impulſione oritur.

17)

z) Ap. *Cleyer.* Fragm. L. III. p. 33. *a*) l. c. p. 28. *b*) ibid. p. 20 ſeq.

17) *Yo* ſ. *Yu* i. e. *debilis*, ſiue vt apud CLEYERUM [c]) explicatur, *obliquus*, *extuberans*, ex molli ſubtilis. Ad tactum levem leuis eſt, qualis fere ab veſte attrita fit, videturque modo quieſcere, modo iterum reuerti.

§. 79.

Significant vero ex his pulſuum generibus

1) *Hien* (*tarde contremiſcens*) in cubito oris ventriculi morſum, cum palpitatione cordis, in commiſſura, praeſertim ſi ſimul pulſus *Hoa* (*tardus*) vrget, refrigerationem ſtomachi; ſemper vero moleſtiam, fatigationem, virium defectionem, ſudorem multum, aut ſiccitatem cutis, manuum pedumque dolores [d]).

2) *Hie* (*ex crebro acutus*) pedum manuumque afflictationem, et vehementem dolorem, renes male ſe habentes, rubrum vrinae profluuium, plenitudinem [e]).

3) *Kien* (*breuis*) in manu dolorem internum, cum maxime capitis, eumque vehementem, colicam, delirium repentinum, pauorem, metum; pone iuncturam radii dolorem a flatibus, iisque difficulter emittendis.

4) *Keu* (*plenus et ſimul vacuus*) aeſtum magnum et profluuia varia ſanguinis [f]). *Kong* vero pulſus ſi in ſummo cubito deprehenditur, vrinam rubram et acrem.

5) *Hum* (*exundans*) capitis ac pedum dolores, ſiccitatem oris, aluum adſtrictam, vrinae ruborem [g]).

6) *Hong*

c) In Fragm. p. 22. d) Ap. *Cleyer* L. III. p. 23 ſequ. e) L. c. p. 21. et Fragm. p. 42. f) L. III. p. 21. g) Ibid. p. 24.

6) *Hong* (*refluus*) pectoris anxietatem, ſi in manu reperitur, item veſicae diſtentionem, aurium tinnitum [h]), neruos dorſi laeſos, inſomnia horrenda. *Hoa* (*tardus*) vero indicat in manu nimiam ſuccorum multitudinem, in vltimo cubito, ſi in femellis appareat, menſes inordinatos, in viris cruditatem.

7) *Che* ſ. *Xe* (*plenus* ſ. *intercidens*) ventriculi vacuitatem, inediam aut parcum cibum, obſtructionem [i]).

8) *Tchin* ſ. *Chin*, (*demiſſus*) in manu prodit dolores dorſi, in commiſſura, eſſe ad ſeptum transuerſum grauitatem aliquam et dolorem, qualis a preſſura fit, isque redundantiae humorum debetur; in cubito ſummo, morbi ſedem ac fomitem in renibus eſſe. Hinc generatim apud CLEYERUM [k]) ſignificaſſe dicitur latera, pedes manusque frigere, membra et inteſtina vacua, interdum aquam, plenitudinem, animi morbum. Pulſus vero *Tchi* ſ. *Chi*, quem *valde tardum et pigrum* interpretes explicant, non niſi manu fortiter impoſita ſentiri debet, et intra digitos ante vacuus eſſe, retro plenus, poſt non recurrens. Vt plurimum in febribus malignis eſt, et mulieri grauidae dolorem, interdum morbum a ſanguine dimanantem portendit [l]).

9) *Sae* (*penetrans*) pulſus indicat in manu ſpirituum vitalium debilitatem, in extremo cubito tenſionem quandam abdominis, immo etiam ſcroti: *Sou* (*feſtinans*) vero pulſus priori loco inflammationem oris ventriculi, altero ignem quaſi vrentem in ſtomacho, tertio vrinam rubram et acrem.

Pulſus

h) L. c. p. 29. *i*) Ibid. pag. 22 ſeq. *k*) L. c. p. 28. et Fragm. p. 42. *l*) L. III. p. 31.

Pulſus *Quan* in commiſſura cibi inappetentiam, in ſummo cubito ignem vehementem ac inflammationem, os ſtomachi et ventriculum ipſum occupantem.

10) *Nie* (*debilis*) facici tumorem et variam ſpirituum mutationem m).

11) *Quei* ſ. *Vi* n) CLEYERI, (*paruus*, *debilis*) in manu refrigerationem pectoris, ſanguinis et veſicae corruptionem, fluorem album, pone radium anxietatem a nimio ſanguine, in vltimo cubito colicam vehementem.

12) *Feou* (*ſuperficiarius*) in iunctura portendit ciborum faſtidium et appetitus defectionem, in vltimo cubito vrinam rubram et acrem.

13) *Fou* (*celer* et *cadens*) ſi in extremo cubito perſentiſcitur, index cruditatum eſt, quae inteſtina exercent.

14) *Siu* (*mollis*) ſi ſeſe in manu manifeſtat, debilitationem, in cubito vero vrinam rubram et acrem declarat.

15) *Yo* ſ. *Yu* CLEYERI o) pulſus (*debilis*, *molliter ſubtilis*) in iunctura portendit igne ventriculum vri; ſin vero in ſummo cubito appareat, idem, quod pulſus *Quan*.

§. 80.

Sequitur alia pulſuum diuiſio, qua alii conſtituere putantur *ſeptem Kiao* i. e. *pulſus*, *qui extrorſum tendunt* ſ. *exteriores* p), alii vero *octo Li* i. e. *interiores*, nec ſenſibus adeo percipiendi. Ad illos referuntur

1) *Pulſus Feou.* Indicat ille vniuerſe, ſi quo loco alieno tangitur, tuſſim, reſpirationis difficultatem, grani-

m) Ap. *Cleyer*. l. c. p. 33. n) Ibid. p. 28.
o) L. c. p. 32. p) Ap. *Cleyer*. L. III. p. 15, 20 ſq.

grauitatem dorſi, laſſitudinem, ſomnum inquietum; Sin vero leuiter tangitur, ideoque ſubito perſentiſcitur, nimium ſanguinis feruorem, eiusque in interioribus corporis partibus defectum; Si vtraque manu idem eſt ac cum malo oris ſapore, calorem et dolorem capitis; Si pone cubitum vtriusque lateris aequalis eſt, ſtomachum laborantem ac intumeſcentem, vel ſaltem abdominis diſtentionem, in ſummo cubiti vtriusque fine aerem pulmonibus incluſum, cum ſecutura viſcerum ſiccitate atque obſtructione.

2) *Kong pulſus.* Quem ſi alieno loco ac tempore deprehendas, ſignificat viſcerum tenuium diſtentionem, mingendae vrinae cupiditatem dolentem ac plenam ſuppreſſionem. In cubito vero obſtructionem, actionum corporis perturbationem, et forte abſceſſum pectoris, ſanguine ibidem non libere fluente: In commiſſura abſceſſum viſcerum, in extremo tandem cubito renum debilitatem, quacum vrina ſanguinolenta et purulenta profluit.

3) *Hon.* Hic tribus locis deprehenſus renes affectos, viſcerum paruorum tenſionem, corporis grauitatem, frigoris aeſtusque ſubitas viciſſitudines, vrinam rubellam, acrem et cum feruore magno emiſſam portendit: At *pulſus Hon* ſolus ſ. in vno cubito explorando repertus nauſeam frequentem, in alterutra commiſſura ſtomachi refrigerationem, et digeſtionem tardam, denique in ſummo cubito regionem vmbilici perfrigidam, murmura ventris cet.

4) *Che pulſus:* qui ſi locis ſolitis fit, docet magnum aeſtum internum, vnde non poteſt non diſperdi ventriculi vis atque concoctio, ideoque ſequi ſumma debilitas. Porro hicce pulſus ſi inordinatus

eſt,

eſt, vario in loco varia ſignificat, nimirum in manu calorem pectoris vehementem, pone radii eminentiam dolores praecordiorum, denique in cubiti extremitate funis in modum digitos feriens, ventris inflationem a flatibus et dolentem vrinae miſſionem.

5) *Hien pulſus tres* portendunt ſudores nimios viribusque infenſos, debilitatem, et febrem hecticam, quam ſtupor pedum et manuum, nec non cutis marcor ſatis ſuperque docent: Medio vero loco dolens pectus, vltimo tandem refrigerationem ventriculi et calorem abdominis ex aqua redundante reſtinctum.

6) *Kin pulſus*, ex pulſibus *Hien* et *Hong* quaſi compoſitus, et ſibi vbiuis perquam ſimilis, delirium imminere docet, id quod potiſſimum ex minis aegri et verbis incompoſitis, cantatione, fletu, geſticulatione inſueta cet. colligitur.

7) *Hong pulſus*, isque externorum longe fortiſſimus, ſignificat dolores capitis, aluum ſiccam et adſtrictam, ſitim, anxietatem, aeſtate media aeſtum, ſed ille tunc tempus minus pertimeſcendus videtur, ac ſi autumno ac hieme talis appareat.

Schol. Hi omnes omnino pulſus externi, de quibus adhuc diſputauimus, a CLEYERO l. c. p. 15 ſequ. appellantur *natans*, *plenus in extremis*, *in medio vacuus*, *ex crebro acutus*, *plenus chordae intentae adſimilis*, *intenſus et exundans*, eosque in laeua potiſſimum aduerti auctor eſt.

§. 81.

In eorum pulſuum numero, qui *octo Li* ſ. *interni* nominantur, collocari a Sinenſibus ſolent *Tchin*, *Tchi* ſ. *Chi*, *Quei*, *Quan*, *Sac*, *Siu*, *Fou*,

Yo ſ. *Yu;* qui cum ſuperius multis explicati fuerint, non licet nobis eſſe verboſioribus.

Schol. Apud CLEYERUM l. c. p. 25. dicuntur *pulſus paruus*, *profundus*, *remiſſus*, *raro-obtuſus*, *tardus*, *cadens*, *molli-ſubtilis*, et *debilis.* Horum primaria ſedes in dextra eſſe putatur.

§. 82.

Commemorantur etiam a Sinenſibus *nouem viarum pulſus*, puta

1) *Pulſus Cham* i. e. *longus*, qui ex digitorum iudicio inſtar haſtae eſſe videtur, cui quis innititur, isque pulſus, dum arteria attollitur, nimius eſt. Aiunt eum ſuperiorum corporis partium calorem indicare *q*).

2) *Pulſus Tuon* ſ. *breuis r*), ſ. grano oryzae non abſimilis, qui, quaſi ad propriam ſedem ac locum peruenire non poſſet, inter tangendum videtur, ideoque praeſignificare, a ſpiritibus intra ventriculum incluſis malignum ſudorem excitari, digeſtionem laedi, inteſtina frigere, atque poſt magnum alui profluuium quietem futuram.

3) *Pulſus Hiu* ſ. *vacuus s*), et globum fili ſerici referens, qui ſi digitis requiritur, videtur veluti defetiſci, etiam tum, cum arteria ſeſe attollit, eamque ob cauſſam difficulter detegitur. Indicio eſt, cor metu angi, ſanguinis vim debilitari, calorem membrorum ac inteſtinorum increſcere.

4) *Pulſus So* ſ. *celer t*). Digitis percipitur perfrequens, et in primo loco ſimul haerere ac moram facere videtur. Si ergo modica celeritate eſt, ſiue, vt

q) Ap. *Cleyer.* L. III. p. 34. *r*) Ibid. p. 35.
s) Ibid. *t*) Ibid. p. 36.

vt CLEYERI verbis vtar, *paullatim ingreditur*, vitam praenunciat, ſin vero paullatim increſcat, mortem.

5) *Pulſus Kie* ſ. *ligatus*, *alligatus*, *denſatus* [u]), quem ſenſus aeſtimantis medici cenſet cumulatim venire, interdum refugere, interdum redire. Cum dolore inteſtinorum vehementiori ac inſanabili eſt, qui vt plurimum circa vmbilicum reperitur.

6) *Pulſus Tay* ſ. *vicarius* [v]). Hic inter explorandum videtur ſeſe mouere iterumque quaſi erigere, neque vero a vinculo ſuo liberari poſſe. Haud raro natantem mentitur.

7) *Pulſus Kien* ſ. *trahens* [w]), isque prima digitorum appoſitione vix vllus eſſe putatur, ſed ſi attentius examines, vere perſentiſcitur. Ferunt eum ſignum proprium quaſi eſſe doloris, qui interiora oſſis exercet, item ſi ſpiritus in ſuperficie corporis diffuſi commorantur.

8) *Pulſus Tum* ſ. *pulſus motus* [x]), qui in fibris clanculum ſubrepit, aut ſecundum CLEYERUM *videtur eſſe*, *et*, *cum eleuatur et redit*, *non eſt*: *iterum atque iterum perquirendo non elongatur a ſuo loco*, *non recedit*, *non venit*. Quam ob rem non niſi a magno et exercitato medico internoſci poteſt. Ex hoc pulſu colligitur, ſanguinem in ſublime elatum breui deorſum ferri ac diſperdi, interiora corrumpi, et ob vaſorum deſtructionem cruorem profundi debere.

9) *Pulſus Sy* ſ. *ſubtilis* [y]). A digitorum ſenſu ita appellatur, qui profecto eſt ſubtiliſſimus, paruus, et inſtar goſſypii deprehenditur. Indicat ſurarum et medul-

u) L. c. p. 36. v) Ibid. p. 37. w) Ibid.
x) L. c. p. 38. y) L. cit. p. 38.

medullae dolorem a frigore contractum, defectionem virium, faciem quaſi aduſtam.

§. 83.

Conſtituunt etiam Sinenſes *ſeptem pulſus formas*, quibus *vitae mortisque* diſcrimen praeſagitur.

1) Si pulſus ſub digitis eodem modo intumeſcit, quo aqua igni ebulliens, isque talis mane apparet, aeger certo veſperi moritur, i. e. breui morietur.

2) Si pulſus perſentiſcitur in ſimilitudinem piſcis cauda prehenſi ſeſeque motitantis, vehementer et inordinate, mors in propinquo eſt. Sedes vero mali latet in renibus.

3) Si pulſus, paullo ante celerrimus, ſubito in tardum transformatur, mors perhorreſcenda eſt, aeque vero ſalus omnis deſperanda.

4) Si pulſus ob ictuum duritiem ſimilis lapidi aut glebae huc illuc motae eſt, ſpiritus animales in pulmone ac ventriculo deficere memento, eamque debilitatem pertinaciſſimam fore.

5) Si ſuccuſſus arteriarum ſunt, quales guttae deciduae, aut in reditu quaſi diſſiliunt in funis rumpendi modum, indicio eſt, oſſa ad medullam vſque ſiccata eſſe.

6) Si pulſus in vtroque brachio ſenſus eſt, qualis ranae ſalientis eſt, mortem fere ineuitabilem praeſignificato.

7) Si pulſus digitos ita ferit, vt quaſi percudentis auis roſtellum ſentire videaris, colligitur, ventriculo deeſſe ſpiritus animales, cor male ſe habere, ſanguinemque contaminatum eſſe.

§. 84.

Continentur ergo hiſce placitis *vitae mortisque ſigna.* Moritur enim aeger, ſi pulſus increbreſcit turma-

turmatim, vt aues aut equi, ſi ſimilis ſtillicidio eſt, intermittens, ſuperficiarius, motum, qualis a paruis oryzae granis fit, referens, in chordae modum intentus, celer et longus, celer et paruus, breuis, natans, rarus, profundus, ſubtilis, velut a filo ſerico eſt, ſi mire inter ſe confunduntur viſcerum pulſus, de quibus paullo poſt pluribus acturi ſumus cet. Qui quo magis ad naturales leges reuocantur, eo magis vita in vado eſt [z]).

§. 85.

Neque defuerunt Sinenſibus ea pulſus genera, quae aut a *celeritate* pendent, aut *inaequalitate*. Sic enim pulſum naturalem eſſe perhibent, qui quater eo tempore fit, quo vna reciprocatio aeris. Qui ſi numero ſemel increbreſcit, mali nihil portendit, quoniam vnius pulſus intra hoc tempus defectio indicat calorem naturalem imminui. Contra vero ſi duo deficiunt, ſiniſtri augurii eſt. Porro *pulſus*, poſt quadraginta ictus *deficiens* ſignificare fertur defectum ſpirituum vitalium, in quo demum cunque viſcere interno, eoque ad vitam ſuſtentandam pernecesſario ſit, et mortem certiſſimam quadriennio poſt, vere approquinquante, ſubſecuturam. Sin vero pulſus quinquageſies ſeſe excipiunt, nec ordo aut poteſtas eorum interrumpitur; ſanitatem perfectam et inconcuſſam praedicito, contra ex pulſu, quem poſt triceſimum ſequitur intermiſſio, mortem triennio poſt futuram.

Schol. In his praeſagiis et nobilitas viſceris, et magnitudo mali ſpectanda eſt, ne fallaris, vt probe Sinenſes monent, eamque ob cauſſam interdum pulſus rationem nullam habendam eſſe perhibent.

z) Ap. *Cleyer.* Fragm. p. 67.

§. 86.

Idem de *celeritate* iudicandum eſt. Etenim ſi intra illud temporis ſpatium, quod ſupra ſcripſimus, ſexies pulſus perſentiſcitur, magno calore aegrum vri neceſſe eſt: Si ſepties vel octies, res aegri non ſalua videtur, et ſi tandem magis increbreſcit, aeger moritur. Porro ſi pulſus, hoc eodem dato temporis ſpatio, non niſi ſemel digitos ferit, morbum periculoſum reputato: Sin vero, duplicato tempore, idem ictuum numerus conſiſtit, mors ante portas eſt. *Pulſus* nimis *magnus et vehemens* ab aeſtu magno oritur, *nimis tardus* ab refrigeratione nimia. Haec vero vt a maioribus tradita acceperunt.

§. 87.

Sequuntur eae pulſuum formae, quae *ſtatis anni temporibus* apparent, ad *ſexum*, *aetatem* et *habitum corporis* pertinent, et ſingulis *viſceribus* propria ſunt.

§. 88.

Eſt vero *pulſus vernus Hieu* i. e. tarde ac inaequaliter tremulus, chordae intentae ſimilis, et ad finem plerumque *Haon* i. e. remiſſus. In *aeſtate* reperitur *pulſus Kum* i. e. craſſus ſ. exundans; *autumno remiſſus*, tandem *hieme Chin* ſ. *Che* i. e. *profundus* [a]). Deinde etiam aiunt, primo atque ſecundo anni menſe pulſum *Hien* ſ. *hepaticum* dominari, quarto et quinto illum, quem *pulſum cordis* appellant, tertio, ſexto, nono, duodecimo pulſum *Quan* ſ. *ſtomachicum*, ſeptimo et octauo pulſum tenuem, volaticum, breuem, acutum ſ. *pulmonalem*, decimo et vndecimo pulſum profundum et celerem ſ. *pulſum renalem*. Ex his etiam elucet, cur Sinenſes mortem praedicant, ſi *pulſus pulmonalis verno tempo-*

a) Ap. *Cleyer*. Fragm. p. 19 ſequ.

tempore infeſtat, minus, ſi *pulſus cordis* oritur, cur, ſi pulſus ſtomachicus vere accidat, hieme pulſus cordis, aeſtate pulmonalis, autumno hepaticus, ob mutatas temere naturae leges mali ominis illud eſſe cenſeant. Reliqua nomina nobis tanti non videntur, vt iis commemorandis inhaereamus.

§. 89.

Inter *ſexus pulſus* prae ceteris eniteſcunt ii, qui *mulieribus* quaſi ſunt proprii, ſiquidem ita natura comparatum eſt, vt cubiti pulſus iis ſit vegetior pulſu manuum. Eſt igitur, vt Sinenſes medici perhibent, pulſus mulierum in extremo cubito plenus et fortis, fortior tamen dextro, quam ſiniſtro brachio. Si *pulſus renalis* debilis et acutus, vel *pulſus vitalis* acutus atque celer eſt, menſtruum fluorem inordinatum atque obſtructionem indicant. Idem ſentiendum eſt, ſi pulſus eodem loco tardus et interruptus, vel tardus atque debilis cognoſcitur; Tunc enim quouis trimeſtri ſpatio iſta purgatio profluet. Si feminam de reliquo bene valentem pulſus ſuperficiarius vel profundus exercet, menſibus deficientibus, grauidam eam eſſe memineris: Id quod eo magis patebit, ſi pulſus cubiti ſolito fortior deprehenditur.

§. 90.

Et *fetus ſexum* pulſus declarare debet. Refluus enim, profundus et plenus in ſiniſtro cubito puellum praeſignificat, at vero in dextro fortis vel lentus, in laeuo ſuperficiarius, puellam. Profundus et plenus in vtroque brachio, gemellos mares, ſuperficiarius et celer, duas puellas. De ſignis, quae ad *tempus et exitum grauiditatis* definiendum valent plurimum, haec habeto. Eſt igitur in primis menſibus pulſus manuum haud raro debilis, pulſus cubiti

biti celer; quem ſi fortius digitos ferientem quaſique exultantem ſenſeris, audacter praedicere tertium grauiditatis menſem poteris, quintum vero, ſi pulſus aequaliter fortis conſiſtat. Sic etiam, purgatione deficiente, pulſus valde contremiſcens abortum portendit: Plenus et fortis ſi ſeptimo vel octauo tangitur, ſalutem; Sin vero profundus et debilis, partum difficilem, et mortem ipſam.

§. 91.

Pulſus ſenum debet eſſe tardus et debilis, *iuuenum* fortis et plenus. Contraria morbum praeſignificant, niſi hac ſub cautione.

1) Si pulſus in ſenibus fortis et celer eſt, atque talis conſiſtit, vt nec inter explorandum exultare videatur, tunc naturalis pulſus habendus eſt et praeclarae temperiei index: Quam ob cauſſam etiam *pulſus vitae longae* appellatur. Contra ſi pulſus ſenum fortis, ſaliens et inaequalis deprehenditur, colligimus, robur pulſus ſolis externis deberi partibus, ideoque a morte illos propius abeſſe.

2) Si pulſus in hominibus, qui mediae aetatis ſunt, tardus, ſubtilis, et in primariis locis aequalis eſt, conſenſionem illam metuere nefas foret. Eſt enim naturae conſentaneus, atque illis quaſi proprius, quibus non contigit habere temperiem optimam, aut qui molli ac delicatulo vitae genere vtuntur. Sin vero ita ſubtilis eſt, vt viciſſim impellat et attollatur, aut is, quem manus anterior praebet, ab eo, qui in cubito reperitur, valde diſtat, mortem licet augurari.

Semper certe pulſus reſpondere debet temperiei ac viribus corporis cet. Quod dum fit, bonus cenſetur; Sin vero minus, malus.

§. 92.

§. 92.

Quin et *faciei color*, et pulſus ipſe ſibi ex doctrina Sinenſium reſpondere debent, tuncque ſalus ſperanda eſt: Contrarium enim peſſimi ominis habetur. Si ergo color bonus cum pulſu malo eſt, aeger, cum hoc morbo moritur, breui diem ſuum obibit: Sin vero pulſus colore melior, ſimiliter perire illum oportet, ſed tarde ac tunc demum, vbi aliquamdiu cum morbo conflictatus eſt. Fac vero, eum euaſurum fuiſſe periculum, breui conualeſcet, ſi pulſus in melius transformatur, et cum oris colore conuenit. Si color pulſui ſeſe accommodat, is, quem morbus inuaſerat, non niſi aliquando cum valitudine in gratiam rediturus eſt. Longe alia res eſt, ſi vterque conſentit: Tunc enim omnis periculi metus deponendus eſt.

§. 93.

Reſtant ea pulſuum genera, quae a *quinque principalibus corporis partibus* Sinenſes nominarunt. Sunt ergo prae ceteris commemorandi

1) *Pulſus cordis et pericardii.* Hic iuxta veteres [b]) in primo ſiniſtrae loco, ſed iuxta recentiores ibidem pulſus cordis et inteſtinorum tenuiorum collocandus videtur. Qui ſi *naturalis* eſt, deprehenditur digitis tangentis medici quaſi *exundans* aquae inſtar in ſublime elatae; leui digito exploratus videtur magnus et excedens, preſſiori vero quaſi refugit, et debilior apparet. Contrarius ſ. *morboſus profundus* eſſe cenſetur. Eſt porro vere chordae tenſae ſimilis, aeſtate exundans et magnus, autumno natans, hieme nonnihil profundus. Alio vero loco [c]) dicitur frequens eſſe cordis pulſus.

§. 94.

b) Ap. *Cleyer.* Tr. De pulſ. ab Europ. collect. p. 13.
c) In Fragm. p. 49.

§. 94.

Ex his apparet, hunc pulſum Sinenſibus videri magni momenti in morbis eſſe. Aiunt enim eum ſequi, corde a nimia humorum prauorum copia affecto, deliria magna et phaſmata horrenda; at ſi ab vacuatione eſt, aegros ſomniare fumum, ignem, lucem cet. Hinc ſi pulſus tribus ſuetis locis celer eſt, magnum cordis aeſtum declarat, aegrum delirare, ſpectra videre, ſiti enecari, itemque dolore inteſtinorum, et vrinae fluore cohibito laborare. Certe in morbis cordis pulſus hicce plerumque refluus, ſi guttae fiſſuram permeanti adſimilis videtur i. e. ſine vllo motu ſaliente, craſtina die mors exſpectari debet. Si pulſus cordis *Kong* eſt, i. e. qualis ſenſus in foramine tibiae eſt, metuamus neceſſe eſt, hominem ſputis vel vrina ſanguinem rejicere. Pulſus cordis magnus et ſublimis calorem indicat, debilis caloris defectum et debilitatem aliquam, tuncque calor per interualla infeſtat cum terrore panico. Qui ſi eodem tempore plenus, fortis et tardus eſt, aegrum terror exercet cum loquendi impotentia. Contra tardus non adeo malus eſt. Acutus, dum cor imbecillum eſt, loquelam difficilem; profundus et compreſſus, cordis frigus, indeque oriundum oris ventriculi morſum; profundus et debilis, res aegri fere deſperatas; tremulus, palpitationem et famem inordinatam; plenus, compreſſus, atque celer ſimul erit, ſi os aegri exaeſtuat et ſiccatur, ſi iſte anxius et inquietus eſt, in riſum pronus, et manus vehementer calent.

§. 95.

Similiter *cordis deſtructionem* notare perhibentur lingua nigra, vix extra os exſerenda, pal-

ma intumeſcens, et cum maxime pulſus inſtar faſciae volantis [d]).

§. 96.

II) *Pulſus pulmonum et meditullii pectoris.* Iuxta veterum doctrinam ſtatuitur eſſe in primo dextrae loco, ſed vt recentioribus videtur, ibidem deprehendere licet pulſum pulmonum et plenioris inteſtini [e]). *Naturalis* iſte pulmonum pulſus eſt *natans* ac inſtar ligni fluctuantis, itemque *ex raro obtuſus*, et veluti pluuia in arenam cadens. *Contrarius* habetur *exundans et magnus.* Refert autem ille ſub veris acceſſu chordam intentam, aeſtate exundans eſt, autumno natans, ex raro obtuſus, et breuis, tandem hieme profundus.

§. 97.

Proprius quaſique familiaris pulmonis ſani pulſus eſt *Feou-Sae-Toan* i. e. ſuperficiarius, acutus, breuis. Contra pulmonem affectum docet pulſus refluus et diu intremiſcens, nec non peracutus. Cui ſi adiungitur conuulſio, non abſimilis animantibus plumeis vel piloſis, quae venti adſpiratione huc illuc mouentur, mortem craſtina die a meridie futuram praedicito. Si pulſus pulmonum cum pulſu *Che* i. e. pleno iungitur, aeger arma, milites, vigilias cet. ſomniat: At vero tribus locis primariis ſimul ſuperficiarius, indicio eſt, pulmones aere clauſo laborare: Cuius ſigna praecipua habentur narium ſtillicidium, ſcreatio pituitae tenacioris et purulentae crebra, frigoris impatientia, caloris conſectatio, dolor omnes fere corporis partes externas occupans, frontis diſtentio, oculorum preſſura, indeque oriunda delacrumatio. Si pulſus pulmonum eſt *Feou* et *Che*

d) Ap. *Cleyer.* Tr. De pulſib. p. 14. e) L. cit. p. 13.

Che ſimul, i. e. ſuperficiarius et fortis, praedicenda eſt tuſſis ſicca, interdum inflammatio, aluus adſtricta, odoris amiſſio cet. at ſi plenus et lentus, cutis emarceſcit, oculi plorant, ſputa pituitoſa reiiciuntur, os ſiccum eſt, et haud raro inflammatio ſequitur.

§. 98.

Tandem *pulmonis deſtructionem* comitari ferunt cutim ſiccam, et ſqualorem corporis, capillos defluentes, aut arrectos, os apertum, ſpirationem obſcuram, pulſum, qui inſtar plumae aeris adflatu hinc illinc motae quaſi fluctuat.

§. 99.

III) *Pulſus ſtomachicus.* Ex opinione veterum ac recentiorum medicorum Sinenſium *f*) pulſus ſtomachi atque lienis in loco dextrae ſecundo collocari debet, isque ſi *naturalis* eſt, *remiſſus* eſt, languidiuſculus et foliis ſalicis leui zephyro motis comparandus, immo vero multi contendunt, haud exiguam remiſſionis partem illum cum ceteris communicare. *Contrarius* habetur, qui *chordae extentae ſimilis* deprehenditur. Eſt vero hicce pulſus ſtomachicus in fine cuiusque anni temporis remiſſior, et contagione quadam quaſi ad reliquos transfertur: Vere chordam intentam refert, aeſtate exundans eſt ac tardus, autumno natans, hieme tandem profundus. Alibi *g*) ſtomachi pulſus proprie remiſſus eſſe dicitur.

§. 100.

Indicat vero eius motus, ſi talis eſt, qualis a deglutiendo naſcitur, compaginem ventriculi naturalem et vim eſſe deperditam, ſiue illud vitium voracitati debeatur, ſiue debilitati. Porro pulſus ſtomachi-

f) Ap. *Cleyer.* Tr. De pulſib. p. 13. g) In Fragm. p. 49.

machicus manu antica cubitique commiſſura ſibi ex aſſe reſpondens ſigno eſt, magno vehementique aeſtu hoc viſcus excruciari, ſimulque adfore frigoris ac aeſtus viciſſitudines, tetrum oris odorem, gingiuarum fluorem, nauſeam, denique virium defectionem. At ſi plenus vnaque ſuperficiarius eſt, colligitur, os ſiccum eſſe, et hominem cibi potusque appetentem, ventriculum vero male concoquere, ideoque corpus exinde non recreari poſſe. Vide tamen, vtrum *pulſus Che* ſolus adſit, nec ne. Quod dum ita eſt, aeſtu multo ſtomachus laborare, ructus fieri, ac os male olere debet. Sed *pulſus Sae*, declarat ſtomachi inertiam ac nutritionem deficientem; *Pulſus Kin*, dolorem huius inſtrumenti, nauſeam, vomituritionem irritam, articulorumque tenſionem; *Pulſus Hien*, ingentem hepatis aeſtum, et concoctionem tardam: Similiter *pulſus ſtomachicus incredibiliter fortis*, intolerabiles dolores, qui interiora exercent, ſic, vt quaſi a daemonio vexari ſe aegri putent: *profundus*, mediocris, tardus, ſubtilis et mollis, ſalutem, modo in morbis ventriculi poſt dolorem articulorum, defatigationem, cruditatem, aluum profuſam, reliquus ſit; *vehemens* vero et qui diu conſiſtit, mortem ineuitabilem.

§. 101.

In *deſtructione ſtomachi* apparere dicuntur h) oris frigus, labiorum diſtortio, pedum tumor, lumborum calor, perpetua alui deiectio, ſic, vt etiam, inſcio aegro, ſordes ventris profluant, denique quoad ſenſum, pulſus, qualis a guttulis pluuiae tenuis et deciduae aut ab roſtello gallinae granula carpentis eſt.

§. 102.

h) Ap. *Cleyer*. Tr. De pulſ. p. 13.

§. 102.

IIII) *Pulſus hepaticus.* Putatur iſte cum bona valitudine eſſe *diu contremiſcens*, et, auctore CLEYERO [i]), chordae intentae non diſſimilis, cum maxime verno tempore, ac longus, aeſtate exundans, autumno natans, hieme ſubtilis itemque profundus. *Morboſus* cenſetur *natans et ex raro obtuſus.* Ex his etiam elucet, cur pulſus *Hien* ſ. *celer* aut *Chun* i. e. chordae extenſae ſimilis ac longus, proprius hepati et fellis veſiculae eſſe fertur [k]).

§. 103.

Eſt igitur pulſus hepaticus breuis atque ſuperficiarius index et teſtis locuples hepatis aegri, ac hominis irati: Cum pleno is, qui morbo implicitus decumbit, montes, arbores et ſiluas ſomniat; cum forti vero et ſuperficiario, magnam hepatis mutationem, vnde oculi rubent ac dolent, et viſus obſcuratur. Quare ſi pulſus hicce, de quo loquimur, tribus locis deprehenditur, *diu tremulus*, hepar male ſe habere, aegrotos dolore oculorum, lacrumatione affici, et excandeſcentiae cum maxime patere ſcias: Cui ſi ſimul iungitur et copulatur pulſus fortis, celer, durus, et qui digitos ita ferit, vt quaſi laminam dependentem ac impulſam aemuletur, mors imminet, poſtero die hora tertia vel ſeptima ſubſecutura. At cum *pulſu Kong* oculi caligant, extremitates rigent, et ſanguis exſpuitur: cum *pulſu Sae* i. e. acuto, infirma ſunt interanea, et ſanguinis motus inordinatus, atque metus eſt, ne tumor vtriusque lateris ad humeros vsque inſurgat: cum *pulſu Hoa* i. e. *tardo*, ingens hepatis ardor adeſt; cuius in ſocietate et caput, et oculi prae ceteris condoleſcunt.

i) L. cit. p. cit.

k) Ap. *Cleyer.* Fragm. Opp. Med. p. 40.

ſcunt. Praeterea inſunt vt plurimum malis iecinoris morbus regius, articulorum dolor, vultus iratus, oculorum nictatio, et ſi iſta cum pulſu tremulo ac celeri fiunt, ſalus deſperanda non eſt; Sin vero cum mutabili, celeri, breui, et acuto, malum immedicabile exiſtimandum.

§. 104.

Hepatis deſtructionem l) docent facies caerulea et foedata, oculi concaui, aperti, caligantes, ſupercilia caperata, ſudor perpetuus, et pulſus chordae recens intentae ſimilis.

§. 105.

V) *Pulſus renalis* iuxta veteres m) in tertio vtriuſque manus loco perſentitur, praeter haec ex laeua meatuum vrinariorum ac inteſtinorum tenuium vitia, ex dextra pleniorum ſ. craſſorum colliguntur. Sed iuxta recentiores in tertio ſiniſtrae loco pulſus renum et vreterum, in tertio dextrae pulſus portae vitae, cuius ſedes circa renes collocatur, itemque tertiae partis corporis. Eſt igitur *naturalis* iſte *renum pulſus profundus*, et perquam ſimilis capillo in aquam immerſo: Quem ſi leuiori digito exploraris, vere deprehenditur; at ſi preſſiori, videtur aufugere. Debet porro verno tempore intentam chordam imitari, aeſtate exundans eſſe, autumno natans et paruus, hieme profundus, lentus, atque ex crebro acutus. *Morboſior* eſſe videtur, dum *remiſſus* et languidus eſt.

§. 106.

Significat vero *pulſus renum ſuperficiarius et tardus*, renes ob ventriculi labem affectos, ſiquidem in morbis renum plerumque durus eſſe ſolet, ideoque ſi motus eius talis eſt, qualis auis roſtello quid

l) Ib. Tr. de pulſ. p. 14. m) Ib. p. 13.

cudentis, aegrum ſcias proximo die veſperi aut noctu intra horam primam ac tertiam moriturum, niſi vſque ad finem morbi fuerit cibi potionisue appetentior. At ſi *pulſus renum* eſt *ſaliens*, multum et crebro meiitur, interdum et ſemen profluit. Signa reliqua, vnde cum maxime iſte pulſus metui debet, ſunt dolor lumborum vel genuum, itemque ſudor ſubitus et inopinatus. Praeterea ſi plenus et lentus deprehenditur, exſpectanda difficultas vrinae reddendae, vrina rubella quaſique ignea; contra cum *pulſu pleno et forti*, magnus veſicae ardor, vrinae ſuppreſſio vel certe difficultas.

§. 107.

Reſtat *renum deſtructio*, eamque indicat prae ceteris pulſus, ex quo digitis ſenſus talis oritur, qualis a lapide manu excuſſo vel proiecto [n]).

Schol. *Pulſus veſicae* proprius apud CLEYERUM Fragm. p. 49. *creber* eſſe dicitur.

§. 108.

Narrant praeterea Sinenſes vel potius fabulantur, hos quinque viſcerum pulſus poſſe ob *quinque vitioſos pulſus* decies transformari, eosque eſſe *pulſum vacuum*, *plenum*, *exiguum*, *latronem*, *rectum*; ſedecim dari *pulſus monſtroſos*, qui mortem praenunciant cet. Sed haec, quoniam nimis monſtroſa ſunt, ſtudio deditaque opera omittenda, nec niſi pauca *pulſus ſigna ad morbos quosdam accommodata* percenſenda exiſtimamus.

§. 109.

Eminent vero in his

1) *Febris maligna*, quae *Chan-Han* appellatur. In qua ſi pulſus *Feou*, *King* et *Hong* ſuetis locis reperiuntur, ſpes eſt, fore, vt aeger ſeptimo die nihil

n) Ibid. p. 14.

nihil amplius metuere debeat: At ſi debilis et lentus, interdum ſaliens, vehementer periclitatur, etſi omnia ad fortitudinem celeritatemque pulſus videantur referenda, quoniam hoc in morbi genere debet eſſe fortis et refluus, tenuis contra, debilis et vix digitis palpandus, deſperandam ſalutem eſſe declarat. Item poſt ſudorem pulſus pacatior febrisque remiſſior, bona quaeuis portendit; contrarius vero peſſimi ominis eſt.

2) *Febres malignae a fermento calido et frigido.* Habent illae adiunctam virium conſtantiam, motus inordinatos, vehementes et conuulſionibus non abſimiles, ruborem oris, macularum ſubrubrarum eruptionem, ingens delirium cum viſis horrendis et ſpectris, interdum profluuium ventris continuum, interdum ſudorem vniuerſi corporis, itemque magnum oris hiatum, quaſi aeger animam ageret, et poſt ſeptimum diem ſpes affulget. Hae vero, quae *a frigido fermento* proficiſcuntur, ſecum important corporis totius grauitatem, dorſi rigorem, dolores oculorum et abdominis intolerandos, nauſeam et alui deiectiones crebras, labia liuida, extremitatum frigus, pulſum tantum non ſemper profundum atque acceleratum. Poſt ſextum diem amplius ſperare licet.

3) *Delirium et furor.* In hisce malis pulſus, ſi plenus et fortis eſt, boni augurii habendus eſt; at ſi tribus locis principalibus celer atque profundus, mali.

4) *Morbus comitialis*, cuius variae formae dantur. Semper vero pulſus ſuperficiarius perappoſitus eſt; contra compreſſus, plenus, fortis, celer, morbi vehementiam indicat. Etenim ſi talis aegro os atque dentes conſtricto acceſſerit, mors inſtat.

5) *Profuſio ſanguinis ab ore vel naribus.* Cum qua pulſum profundum et celerem eſſe, ſaluti eſt, ſed ſublimem, fortem, tremulum, periculo, et ſi ſimul durum deprehendas, mors certa praedicenda eſt. Sic in ſputo ſanguinis ſi pulſus profundus et debilis, aut, vt aliis videtur, profundus et celer eſt, ſalus facilis eſt; Sin vero plenus et fortis, minus eſt. Poſt externa ſanguinis profluuia magna pulſus tenuis quaſique vacuus non terrere debet medicum, multo magis, ſi plenus, fortis et celer conſiſtit.

6) *Spirationis difficultas*, quae cum pulſu lento accidit, minus periculi habet, at vero acutus mortem certam praeſignificat.

7) *Tumor abdominis* ſi pulſui ſublimi et forti iungitur, perhorreſcendus non eſt; Sin paruo et debili cum maxime periculoſus.

8) *Colicus dolor.* Hic facile leuari ſolet, ſi cum pulſu profundo et tenui aegrum exercet, ſed mortem inducit, ſi cum ſublimi, tremulo et graui.

9) *Vermes.* Illos indicat pulſus in ſummo cubito eiusque commiſſura ex breui tremulus, et fere talis, quoad ſenſum, qualis ab auis roſtello iniecto oritur, et magni periculi auctor ac teſtis eſt. Vermes illos, vnde iſtae pulſus commutationes proficiſcuntur, *Kon* nominant.

10) *Profluuia ventris* ſ. *diarrhoea* et *dyſenteria.* Hae terribiles non ſunt, ſi pulſus eſt debilis; magis, ſi vehemens et refluus.

11) *Morbi a dato vel ſumto veneno.* In his videndum eſt, vtrum pulſus fortis deprehendatur et refluus, an celer et tenuis. Prius optimum eſt, poſterius peſſimum, praeſertim ſi cum ſpuitione ſanguinis artiſſime deuincitur.

12) *Hy-*

12) *Hydrops.* In hoc morbo pulſus ſublimis et fortis indicat, niſi perfectam ſanitatem, certe mortem tardam; debilis, nec facile palpando detegendus, mortem imminentem. In aliqua hydropis ſpecie, vbi tumor quaſi vapore torridus in externis corporis partibus ſolis reſidet cum reſpiratione difficili, pulſus ſuperficiarius atque lubricus quam maxime optabilis eſt: Sin vero is ab initio debilis atque tenuis eſt, malum mortiferum pronuncia.

13) *Sia-Ko morbus.* In eo ſitis perpetua et pulſus celer, nihil mali portendunt: at debilis et vacuus, res aegri ad incitas redactas.

14) *Kio-Loan* i. e. malum quoduis a cruditate, crapula, tranſpiratione cohibita, cum dolore ventris, cholera, et deiectionibus cet. In his pulſus debilis ac tardus docet, ſpiritus vitales deficere, et aegrum mire moroſum de vita periclitari. Aliter res ſe habet, ſi pulſus ſublimis et refluus eſt: Tunc enim ſanatio facilis. A doloribus pulſus inordinatus fit. Quibus ſopitis, ſi denuo in fortem et refluum transformatur, aeger reſeruari poſſe videtur: Si tardus, tenuis, debilis, ſpes fere decollata eſt.

Schol. Omnium omnino pulſuum Sinenſium princeps viſus olim eſt *pulſus Tai-tchong* ad vitam mortemque aegri praeſagiendam, isque collocatus ſequipollice ſupra pedis pollicem. Qui vbi viuidus et fortis erat, aegrum ſaluum futurum declarabat; at vbi debilis et lentus, moriturum. Sed iſte pulſus hodie iam apud Sinenſes obſoleuit.

§. 110.

Quibus praemiſſis, quaeritur, quid de iſtis pulſuum generibus, quae adhuc ex fide auctorum lecta et ordinata commemorauimus, ſentiendum ſtatuendumque eſſe videatur. Eſt vero haec pulſuum doctrina maximam partem perabſurda, manca, itemque placitis monſtroſis ac falſis ſuperſtructa. Primum enim hi pulſus adferuntur ſine vlla anatomes ſcientia, nec arteriae ſtructurae ac motus legibus conſentanei ſunt, ideoque illae diuiſiones certae et indubitatae nullo modo eſſe poſſunt. Deinde decreta eorum atque deſcriptiones, incredibile, quantum a ſe inuicem abhorrent, id quod ignorantiam magnam et minus tutam obſeruationum fidem indicat. Tertio aut nullius vſus ſunt, aut certe perexigui, quia nomina ipſorum nec ſatis explicantur, aut per ſimilia ignota et fallacia exprimuntur et quaſi magis obſcurantur. Tandem hiſce Sinenſium minutiis et ſeſquipedalibus verbis facile carere poſſumus, ſiquidem inter omnes conſtat, paucis naturam modis vti ad optima quaeuis praeſignificanda. Quidni et pauca pulſuum genera medico prudenti naturaeque veſtigiis ſtrenue inſiſtenti ſufficiant? Etenim, vt bene PLEMPIUS o), *multa medici nugantur, multaque mens ingenioſa fingit, quae ſenſus nequit adſequi.*

SUBSECTIO II.

DE PRAECIPUIS AC PERNECESSARIIS PULSUUM GENERIBUS.

§. 111.

Ea eſt pulſus explorandi dignitas atque neceſſitas, vt, qui magnus perfectusque medicus ſine eius cognitione eſſe poſſit, ſciam neminem, quoniam exinde

o) Inſtitut. Med. p. 318.

exinde diſcimus morbi cuiusque, cum maxime febris, paruitatem ac magnitudinem, item virium naturae, ſolidarumque partium conditionem, ideoque morborum exitum recte praeſagire valemus. Negare tamen non auſim, perpaucos dari medicos, qui tanto tamque praeclaro artis noſtrae praeſidio bene reique appoſite vti nouerint.

§. 112.

Pulſus nullus eſt ſine quadam pulſuum ſerie, quae mutua cordis et arteriarum contractione ac dilatatione cernitur, vnaque, auctore GALENO *p*), quiete duplici, altera a diſtentione ante contractionem, altera a contractione ante diſtentionem. Iam vero haec aeſtimari diiudicarique omnium optime poſſunt *ratione temporis*, *roboris*, *inflationis arteriarum*, *tenſionis*, *rhythmi atque quietis*.

Schol. Alii pulſum etiam diſcernunt in *naturalem* et *praeternaturalem*, ita quidem, vt prior is ſit, quem in corpore ſano detegimus, poſterior vero proprie ad morbos pertineat. Alii pulſus differentias eſſe perhibent vt ſint *abſoluti* et *relatiui*, *ſimplices* et *compoſiti*, vnde iterum multiplex copulatio et diſiunctio naſci debet. Alii denique, vt *Bordeuius* Recherch. ſur le pouls, p. 5. ch. 1. T. I. ed. ſec. 1768. pulſum eſſe dicunt *infantum* et *ſenum*, medium vero et quaſi ex his compoſitum *pulſum adultorum* cet. cf. *Dav. Abercromb* de variatione pulſus obſeruationes, Lond. 1685. 8.

§. 113.

Eſt igitur pulſus *ratione temporis* aut *celer*, aut *tardus*. Ille ſic dicitur, ſi, dato quodam temporis

 ſpatio,

p) De Dignot. Pulſ. III. 13. p. 317. IV.

ſpatio, arteriae pluries, quam in ſano homine fas eſt, attolluntur iterumque ſubſidunt, id quod tactu et iudicio medici aeſtimatur: Qui ictuum numerus quo magis increſcit, eo celerior dicendus pulſus eſt, ideoque etiam *febrilis*. Vide vero, ſedeat aeger, an iaceat. In priori caſu pulſus eſt celerior, in poſteriori minus q). At ſi ſuccuſſus arteriarum iuſto ſegnius et parcius ſeſe excipiunt, *tardus* nominatur, qui in ſano homine tantum non ſemper, et omni mane magis, quam veſperi talis deprehenditur.

Schol. Alii huc, alii ad *magnum et paruum* referunt etiam *pulſum longum* et *breuem*, quorum prior multam moram exigat ad arteriam perfecte diſtendendam, poſterior vero vno quaſi momento, eoque facile perituro, haec efficiat. An ergo iidem cum pulſu celeri et tardo ſunt? Similis fere ratio *pulſus alti et profundi*, *lati et anguſti*, et *moderati* eſſe videtur, itemque *pulſus frequentis* et *rari*. Etenim frequens eſt veluti *pulſus celer ac debilis*, i. e. plures fiunt arteriae reciprocationes, ſed debiles; *rarus* vero a longo temporis interuallo dicitur, quod intra quandam pulſuum ſeriem cogitari ſentirique poteſt. Irrita ergo olim fuit FRID. HOFMANNI et STAHLII hac de pulſus differentia diſceptatio, quoniam non, niſi gradu a ſe diſſentiunt, neque operae pretium ſit, hanc ad aegrorum lectulos diligenter attendere. v. HOFMANNI diſſ. De pulſus natura et vſu, et Medic. Ration. Syſtem. T. III. Sect. 1. c. 12. §. 7. p. 269 ſequ. ed. Hal.

§. 114.

q) Ap. *Haen*. Rat. Medend. c. 2. p. 57 ſequ. T. XII.

§. 114.

Ratione roboris pulſus eſt *fortis* et *debilis*. Eſt vero *fortis*, dum arteria ſeſe in maius ſpatium expandens digitum impoſitum magno cum impetu atque niſu ferit; ſed *debilis*, ſi arteriae aſſultus non niſi vi quadam et attentione animi adhibita perſentiſcitur.

Schol. Seiungitur a multis medicis inde a GALENO *pulſus vehemens* et *exilis*. Sed cum illi etiam ab ſenſu, qui ex maiori arteriae impulſione fit, repeti declararique debeat, non opus noua aliqua diuiſione videbatur. cf. GALEN. Definit. Med. c. 11. p. 179 ſq. T. I. et De Different. Pulſ. III. 1. p. 232 ſq. T. IV. dicitur ad celerem referendus videri *vehemens* ARCHIGENIS, ſed paullo poſt c. 4. p. 238. elucet, eum ob robur ad fortem pertinere.

§. 115.

Pulſus *ratione inflationis arteriarum* eſt *magnus* et *paruus*. *Magnum* appellamus, ſi arteria magna quaſi et valida vi diſtenditur, ideoque maius ſpatium ſub digito contrectantis medici reliquum eſt: *paruum* e contrario, ſi arteria minus ſe attollit atque expandit ob vim defectam et parciorem ſanguinis a corde aditum, nec hanc ob cauſſam valde ferit digitos. Deprehenditur vero vt plurimum in macilentis magnus, in obeſis paruus. Hoc ex genere etiam eſt *pulſus plenus et vacuus*: Semper enim ſanorum pulſus magnus eſſe quoque debet plenus i. e. cum forti et redundante quaſi impulſione itemque aliqua tarditate; *vacuus* autem, ſi arteriae propter humidorum defectum non ſatis ſe efferunt, quale quid poſt nimias egeſtiones v. c. ſanguinis, ventris, ſudoris, poſt diuturnam inediam, plerumque vſu euenit, eamque ob

cauſſam

cauſſam quique pulſus vacuus et paruus, et debilis eſſe debet.

Schol. Nominant multi etiam *pulſum vndoſum*, quia vndae in modum digitos quaſi ſubterfugit. Id quod cum plenam ſatisque diſtentam arteriam indicet, is mihi videtur cum pleno idem eſſe, aut certe aliqua eiusdem forma.

§. 116.

Porro *ratione tenſionis* dicitur *pulſus* eſſe *durus* aut *mollis*. Prior cernitur maiori quadam vi, tenſione ac niſu arteriae, et, quaſi durum aliquod corpus attigeris, in digitos appellitur: Poſterior vero eſt, dum contrarius ſenſus naſcitur, et arteria quidem plena eſt, at eius vis paene nulla infirmiorque niſus, ſic, vt tibi carnem quaſi flaccam et teneram tetigiſſe videaris. Multa habet cum debili communia, eamque ob cauſſam ſaepe inter ſe confunduntur v. c. in pulmonum inflammatione profunda a ſanguine in cellulas exſudante, ideoque parcius per pulmones progrediente.

Schol. Diſcerni *a forti durus* debet. Ille enim cum impetu digitos ferit, hic vero tantum infirme quaſi ſe ad eos apprimit, iisque concedere recuſat. Quare praeclare PLEMPIUS: *Si pulſus aliquis tactui reſiſtens ſimul ſit paruus, iam certo haberi poteſt, eum durum eſſe: vehementia enim cum paruitate conſiſtere nequit.*

§. 117.

Rythmus ſ. *modus in pulſibus* i. e. comparatum tempus, magnitudo, celeritas, conuenientia, diſcrepantia [r]) ictuum atque quietis, varie ſentiri ordinarique

r) *Galen.* De Dignot. Pulſ. III. 3. p. 319. IV.

rique poteſt. Hinc apud veteres *pulſus εὔρυθμος et ἄρυθμος* cum formis innumeris: Apud recentiores vero ſufficiunt *pulſus aequalis*, *inaequalis*, *intermittens*. Illum adeſſe dicimus, ſi quaedam pulſuum ſeries quouis modo ſibi reſpondent magnitudine, tempore, impetu, numero; Contra ſi fit, *inaequalem*. At *intermittens* appellatur, ſicubi ſtato quodam tempore ac interuallo pulſus deficit, ideoque vera eſt *pulſuum defectio*, nec temere eum omnium omnino inaequalium eſſe peſſimum GALENUS cenſuit.

Schol. Diuiditur etiam a multis (v. ap. *Regam* Method. Medend. P. II. c. 3. Aph. 459. p. 158 ſequ.) *pulſuum inaequalitas* in *abſolutam* i. e. quae vno ictu talis obſeruatur et ſine vlla reliquorum ſocietate aut conſenſu, atque in *relatiuam* i. e. quae pluribus. Ad priorem referunt *vndoſum*, *vermiculantem*, *vibrantem*, *tremulum*, *ſerratum*, *conuulſiuum*: ad poſteriorem ratione roboris *myurum*, ratione frequentiae *recurrentem*, *reciprocum*, *caprizantem*, *dicrotum*, *intermittentem*. Sed de his paullo poſt pluribus. At Ill. ZIMMERMANNUS von der Erfahr. T. I. B. 3. c. 5. p. 351 ſequ. *tres* conſtituit *pulſuum inaequalium formas*; primam, ſi ictus vnus in ſueto ordine deficit; alteram, ſi vnus atque alter duplicatur: tertiam denique, ſi aliquot ſuccuſſus ſibi ſuccedentes robore increſcunt. Pertinent huc etiam *pulſus ordinati et inordinati*. Si enim pulſus certa quadam fixaque lege ac ordine aequalis eſt, i. e. ſi eadem eſt circuitus conſtantia, iſtaque pulſuum ſeries per gradus quaſi vel acceleratur, vel retardatur, attollitur

litur vel imminuitur, tunc illos pulſus *ordinatos* nominant, v. c. ſi ſingulos ſex ictus fortiores atque celeriores ſeptimus inſequitur debilis cet. Sin vero pulſus ſine legibus vllis eueniunt, et fortis debilem, paruus magnum rel. excipit, *inordinati* exiſtimantur. Ex his facile perſpicitur, legem huius diuiſionis primariam eſſe, vt confuſio quaedam ictuum deprehendatur, in qua aut ordo aliquis remanet, aut nullus. Denique huc referendus videtur *pulſus crepitans* MAUCHARTI, (diſſ. *De pulſu intermitt. et decrepitante*, Tubing. 1748. et recuſa in Ill. HALLERI Diſp. Pract. n. 63. p. 479. T. II.) qui cum quodam ſtridoris ſenſu in medio pectore eſt, et fere talis, qualis a duobus lapidibus arenaceis ſeſeque affricantibus oritur, aut qualis ſtridulus ſonus ſalium prunis ardentibus impoſitorum et crepitantium auditur.

§. 118.

Quibus pulſuum principum et perneceſſariorum nominibus generibusque praemiſſis, reliquum eſt, vt, quid quisque in morbis portendat, ſalutem, an mortem, breuem, an longum morbum, ſemper, an interdum male ominoſus ſit cet., paucis videamus, ac, quatenus pulſuum dignitas et vtilitas ſpectari aeſtimarique debeat, deinceps explicemus.

§. 119.

Sunt igitur haec *pulſus celeris et frequentis ſimul*, vt bene Illuſtr. HALLERUS [s]) monuit, ſigna

s) Element. Phyſiol. T. II. p. 269. cf. STAHL Diſſ. *Excuſatio reſpondens examini pulſuum celeris et frequen-*

ſigna potiora quaſique propria. Indicat enim vehementiorem cordis contractionem, irritabilitatem auctam, acrimoniam irritantem cum internam, tum externam, conuulſionem, maioremque ſucci neruei aditum ſanguinem rarefactum ac reſolutum, obſtructionem, aut quoduis impedimentum, humores fluidos, nec multitudine nimia laborantes, arterias non adeo renitentes cet. Quare in homine ſano ab motu cordis et arteriarum accelerato colligimus praegreſſas animi perturbationes, magnam corporis motionem, indeque oriundum feruorem liquorum, aeris ambeuntis et incaleſcentis impetum; in aegro vero acritudinem ſuccorum ſingularem, obſtructionem, febrem, inflammationem cet. Quae pulſuum celeritas et frequentia quo magis increbreſcit, mali fomite nondum exſtincto, eo maior exacerbatio morbi eſt, eoque maius periculum [t]). Itemque ſi celeritas mane longe antiſtat modum naturalem, nox irrequieta et mala exſpectanda eſt; contra ſi veſperi imminuitur, morbi reſolutio.

Schol. Caue tamen, ne ſola celeritate febris notionem contineri exiſtimes. Nam in febre ſyncopali et maligna contrarium ſtatui debet. v. SARCONE Geſch. der Krankh. in Neap. §. 700. p. 100 ſequ. T. III. verſ. germ. BRENDEL Progr. I. 11. *De pulſu febrili*, p. 136 ſequ. T. I. opuſcul.

§. 120.

Poteſt etiam *pulſus celer et debilis* deprehendi, tuncque eſt mali ominis: Etenim materiae vehementiam

tiam

quentis eorumque conſtans diſtinctio etc. Hal. 1702. rec. in *Hall.* Diſp. Pract. T. II. n. 62. p. 435 ſeq.

t) v. BATTIE Aph. Cognoſc. et Cur. Morb. §. 384. et *Zimmermann* Erfahr. T. I. B. 3. c. 5. p. 345.

tiam et malignitatem, virium vero vitalium imbecillitatem praeſignificat. Contra *celer et intermittens* periculum vitae ſummum, ſaepius mortem imminentem v. c. in empyemate, *celer et frequens*, modo vere diſcernatur, in febribus acutis, tantum non ſemper breuem morbi exitum *u*); At *frequens et paruus* vt plurimum in acceſſione febris intermittentis eſt, et in magna debilitate humorumque defectu *frequens, debilis et paruus.*

§. 121.

Pulſus tardus deſignabit irritabilitatem imminutam, conuulſionem aut anguſtia vaſorum nullam, defectionem vel debilitatem virium mouentium, nimiam humorum copiam, attritum paucum, caloremque diminutum, ſanguinis penuriam aut qualitatem laeſam a viſcida, tenaci, glutinoſaque pituita, ſpiſſitate multa cet. itemque ſanguinem minus rareſcentem ac reſolutum, duritiem, rigorem ſiccitatemque arteriarum obluctantem, exindeque ſecuturum traiectum difficilem, ſecretiones praepeditas, egeſtiones antegreſſas, easque modum excedentes, cum maxime fluores ſanguinis. Hinc vere *febrilis x*) *non eſt*, niſi velis pulſum minus acceleratum et frequentem ita nominare; at iure pulſum reformidamus, cuius *tarditas* morbi magnitudini nullo modo reſpondet, v. c. in pleuritide maligna *y*). In *hyſtericis nimis tardus* ſaepe acceſſionis magnae ſignum vnicum eſt, et longe certius, quam tenuis pallidaque vrina *z*). Quam ob rem a tardo pulſu aegro morbi vehementia v. c. febre fracto, praeſertim ſi cum raro copulatus eſt, peri-

u) GALEN. Praeſag. ex Pulſ. II. 5. p. 439. T. II.
x) *Haller* l. c. p. 255.
y) *Lieutaud* Precis de la Medec. Rat. T. I. Sect. I. p. 10.
z) *Zimmerm.* l. c. p. 346.

periculum [a]) imminet. Etenim, auctore GALENO [b]), *omnes pulſus, qui longe a mediocritate naturali diſceſſerunt, non ſunt boni: Languidiſſimus vero et tardiſſimus rariſſimusque, omnium peſſimi ſunt: ab illis minimus, molliſſimus, duriſſimus, inde creberrimus, at non celerrimus vel maximus, ſed ſunt hi modice periculoſi. Vnus vero inter omnes extremos optimus eſt vehementiſſimus.*

Schol. De *raro*, quem eundem fere cum tardo ſuperius diximus, medici docent, eum, ſi ab *humoribus pituitoſis* et tenacibus oriatur, ſignificare morbi diuturnitatem et periculum, GORTER Prax. Med. III. Tr. 2. 179. p. 172. ed. Frft. in *ſoporoſis*, apoplecticis, ſyncopticis, cerebri oppreſſionem et perniciem, a *debilitate* malum eſſe, et poſt ſubitum frequentis diſceſſum exitioſum, ib. in febribus inflammatoriis morbisque magnis bonum eſſe, in putridis vero peſſimum, cum maxime ſi ſimul tardus et intermittens vrgeat, SARCONE l. c. T. III. §. 705. p. 109. in morbo caduco ſaepius ita obſeruari, itemque haud raro cum duro copulatum, MORGAGN. de Sed. et Cauſſ. Morb. Epiſt. IX. §. 7. p. 70. XXIV. §. 33. p. 263 ſequ. LXIV. §. 5. p. 420. ed. Ven.

§. 122.

Ex *pulſu forti* colligimus liberum ſucci neruei ad cor aditum, irritabilitatem et robur cordis arteria-

a) *Galen.* Praeſag. ex Pulſ. II. 5. p. 429. IV. *Lomm.* Obſ. Medic. L. III. p. 341 ſeq. ed. *Wedel.*

b) L. cit.

teriarumque haud ſpernendum, ſtimulum vehementem et impedimenta in vaſculorum minimorum anguſtiis moderata, ſanguinem ſatis denſatum ac ſpiſſum modice, cruoremque redundantem. Vnde intelligitur, quare iſte pulſus, cum primis ſi ſimul frequens, nec adeo vehemens eſt, in morbis quibuscunque per ſe bonus cenſeatur, cur aegris ſpem recuperandae valitudinis portendat, cur in febribus acutis, modo cetera ſigna non abhorreant, virium vitalium conſtantiam, et iudicationem breui adfuturam, cum maxime per ſanguinis profluuia *c*), in ſoporoſis vero morbis, ſi febris quodammodo increſcit, vt plurimum felicem exitum praeſignificet, cur vel ipſa deliria, tremores, tendinum aſſultus cet. minus terrere debeant, modo pulſus fortis et aequalis *d*) conſiſtat. Sin vero citra vllum leuamen cor et arteriae vehementer ſe contrahunt et fortiter impellunt, indicio eſt, latere aut certe imminere intus aliquam inflammationem, eamque haud raro ſymptomaticam, congeſtionem ſanguinis verſus caput multam, indeque proficiſcentem fluxionem, anginam, capitis dolorem, vertiginem, deliria, phrenitidem, conuulſionem funeſtam, et mortem ipſam, id quod HIPPOCRATES in iis, quos angina exercet, fieri perhibet. Quam ob cauſſam poſt apoplexiam et pulmonum inflammationem talis, minus tutus *e*) eſt; qui ſi in quibusdam partibus obſeruatur, viſcerum obſtructionem *f*) declarat.

§. 123.

Pulſus debilis ſ. languidus indicat naturae imbecillitatem, ideoque ſequitur dolorem ingentem, ſolli-

c) *Vater* Semiot. Med. Sect. II. c. 3. §. 4. p. 32.
d) *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 5. p. 139. ed. Lugd.
e) *Rega* Meth. Med. P. II. c. 3. Aph. 442. p. 148.
f) Ibid.

ſollicitudinem, moerorem et vigiliam g) ingentem: deinde etiam ſolidarum partium laxitatem, ſanguinem reſolutum, praetenuem et aquoſum, cruorem vel auctum nimis, vel imminutum v. c. poſt ſanguinis profuſiones et deiectiones crebras, inediam magnam ac diu toleratam, itemque ſanguinem in arteriis minimis haerentem, adeoque communi vitae inſtrumento vtcunque obnitentem, obſtructas cordis vaſorumque magnorum vias ab conuulſione, coagulo viſcido ac glutinoſo, polypo, cordis impotentiam v. c. in aneuryſmate, fibras rigidas in ſenibus, eamque ob rem deiectam irritabilitatem.

§. 124.

Eſt igitur *pulſus debilis* perfrequens in obeſis, quibus peranguſtae ſunt arteriae, itemque in leucophlegmaticis, nec per ſe pertimeſcendus. Quid? quod in febribus acutis ipſis haud raro portendit lentam reſolutionem, niſi ſimul materiae malignitas vrgeat. At vt plurimum periculoſus deprehenditur in incremento et ſtatu morbi, omnium vero maxime a principio; Tunc enim docet malignitatem, viſcera nobilia affecta, inflammata, in corruptionem prona, crebras animi defectiones cet. in longis diuturnitatem. Perniciem autem certam, ſi ex forti in debilem transformatur, ſi ſimul celer et frequens, languidus et paruus eſt, qualis poſt acerbum dolorem, defatigationem, vigilias, ſubitas et magnas vacuationes ſequitur, ideoque in iis, quos phthiſis adhuc exercuit, etiamſi cetera ſigna bona quaeuis ſpondere videantur, fatum ineuitabile et veluti ante portas eſt. Ex his etiam elucet, cur a compreſſo cerebro h) peſſimus eſt, et in plurimis febribus malignis talis obſer-

g) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. I. 8. p. 422. IV.
h) *Gorter* Prax. III. Tit. 2. 179. p. 170.

obſeruatur, cur in laterum dolore ad ſummum deducto indicare dicitur reſpirationem difficilem ab pulmonibus ſanguine diſtentis, parcum cruoris traiectum, vaſa imperuia, eamque ſtertoroſam *i*) peſſimam, cur tardus et debilis cum dolore fixo iunctus index morbi a conuulſione eſt, cur debiliſſimus, paruiſſimus atque tardiſſimus venientis praeſentisue animi defectionis *k*), cur denique dum anima agitur, celerrimus et debiliſſimus *l*) obſeruatur rel.

§. 125.

Pulſus magnus ſ. *altus* praeſignificat irritabilitatem cordis atque arteriarum idoneam, indeque oriundam ſueti motus reciprocationem, vaſa libera, nec anguſtata, nonnunquam turgida, humorum in orbem fluxionem non impeditam, ſecretiones proſpere cedentes, cruoris probe denſati, non reſoluti, nec nimis viſcidi copiam; ſaepenumero congeſtionem atque fluorem ſanguinis. Quare ſemper boni augurii eſt, quoniam exinde colligitur, vires naturae ſufficere ad morbum ſubigendum, cetera vero bene ſe habere, ideoque, coctione praegreſſa, egeſtionem *m*) portendit ſalutarem; contra peſſimus habendus eſt, ſi ſimul debilis perſentitur; ſyncopen enim metuere debemus *n*); itemque ſi in lethargicis *o*) ſenſim ex paruo in magnum attollitur, aut ſi in paruum ſubmittitur.

§. 126.

A *pulſu paruo*, niſi natura talis eſt, contraria quaeuis exſpectari debent. Adſunt enim tunc temporis

i) *Swieten* Comm. in *Boerh.* Aph. 901. p. 61. T. III. ed. Hildb.

k) *Zimmerm.* l. c. p. 350.

l) Ibid. p. 349. cf. *Haller* Elem. Phyſiol. T. II. p. 269.

m) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. IV. 11. p. 473. IV.

n) Ibid.

o) *Rhodius* ap. *Klein.* Interpr. Clin. p. 275.

poris vis cordis arteriarumque imminuta, vaſorum rigor, tenſio atque contractio, ſanguinis penuria, eiusue natura viſcida, vel rarefacta, coagulum, itus et reditus impeditus, ſiue in remotis partibus remora lateat, ſiue in pulmonibus, v. c. obſtructio, inflammatio, vlceratio, ſcirrhus, pituitae accumulatio, interdum polypus cordis aut arteriae magnae cet. Eſt igitur *pulſus paruus* ſemper malus, quia exinde colliguntur vires vitae fractae, mali vix ac ne vix quidem ſuperabilis magnitudo, et mors tantum non ſemper ineuitabilis, niſi ille, bene monente HIPPOCRATE, tempore iudicationis exacerbatur atque attollitur. Indicat vero in pulmonum morbis p), in quibus cum maxime attendi debet, et poſt magnas vacuationes, item ſi in febribus acutis et inflammatoriis ſimul durior apparet, periculum ſummum; in acutis propenſionem in animi deliquia, malignitatem, corruptionem viſcerum, funeſtum exitum, in longis malum pertinaciſſimum et diuturnum, nec non grauiores corporis dolores q), cum ſingultu latentes vermes r), in apoplecticis vero, dum paruus in magnum et lethargum s) ipſum permutatur, mortem propinquam. Deprehenditur vt plurimum talis pulſus in deliriis et vigiliis, ventriculo debili, male digerente, affecto et inflammatione ſepti transuerſi t) peſſima, poſt dolorem u), in gangraena inteſtinorum x); *Paruus et inordinatus*, ſi quae ſordes putridae

p) *Gorter* l. c. p. 171.
q) *Rega* l. c. P. II. c. 3. Aph. 447. p. 150. *Bagliu.* Fibr. Motric. I. 89. p. 322 ſeq.
r) *Bagliu.* Prax. I. p. 59.
s) Ibid. I. 9. p. 111.
t) *Galen.* Loc. Affect. V. 3. p. 121. IV.
u) Ibid. p. 73.
x) *Zimmerm.* l. c. p. 350.

dae in primis viis y) nidulantur; *paruus et debilis* in iis, qui ſyncope corripiuntur, et in morientibus z) fere omnibus, quia *paruus et creber* a) tantum non ſemper iunguntur; *paruus et inaequalis* in febribus putridis, neruoſis, et quae cum eruptionibus b) ſunt cet.

§. 127.

Pulſus durus tantum non ſemper praeter naturam fit, ideoque malus habendus eſt. Declarat enim nimiam fibrarum muſcularium ſiccitatem, tenſionem, duritiem, eaque re humorum motum quodammodo retardantem, impetum cordis vehementem, arterias plenas, ſanguinis viſcidi multitudinem atque lentitiam, traiectum per vaſculorum minimorum anguſtias praepeditum, exindeque dimanantem obſtructionem, inflammationem, cum maxime laterum c), et membranarum d), dolorem, conuulſionem rel. Hinc perfrequens et fere proprius inflammationis index putatur, etſi etiam celeritas ictuum, locus affectus, et aegri corpus conſiderari debent, v. c. in phrenitide, in inflammatione inteſtinorum, vbi primum praedurus, deinde, medicamentis irritis, ſecundo, tertioue die praemollis et celerrimus e) obſeruatur. Hinc ſenibus perfamiliaris ob arterias induratas peneque in oſſeam naturam transformatas, nec niſi cum celeritate fertur, adeo malus eſt, itemque reperitur in hyſte-

y) *Galen.* Method. Med. XII. 3. p. 293. VI.
z) Id. L. Dignot. Pulſ. I. 8. p. 284. IV.
a) Id de Cauſſ. Pulſ. V. 8. p. 348.
b) *Fordyce* Vnterſuch. der faul. u. Entzund. Fieb. Abſchn. II. Abtheil. 14. p. 77. verſ.
c) *Galen.* Loc. Affect. V. 2. p. 114. IV.
d) *Huxham.* diſſ. de pleurit. ç. 4. p. 220. T. II. ed. Lipſ.
e) *Zimmerm.* l. c. p. 350.

hyſtericis et hypochondriacis, in iis, qui conuulſionibus patent aut ſopore tenentur. Hinc in febribus malignis peſſimi ominis eſt, et vt plurimum praeſignificat deliria, conuulſiones, mortem *f*), in peticulis, praeſertim ſi poſt celerem atque debilem acceſſerit, inflammationem internam et conuulſiones mortiferas; in tabidis mortem imminentem. Neque adeo rarum eſt obſeruare durum pulſum, dum iudicatio per ſudorem *g*) ſperanda eſt.

§. 128.

Pulſus mollis, duro contrarius, certiſſimo eſt indicio, conuulſionem ſe remiſiſſe, robur vaſorum ceterarumque ſolidarum partium valde relaxatum, vaſa vacuefacta humorumque penuriam, debilitatem rel. Quare non multum a debili abhorrens aut certe cum illo copulatus perſentiſcitur in malo corporis habitu, eoque hydropis genere, quod *ἀνασάρκα* vulgo appellant, in mollibus viſcerum tumoribus, qui ab inertia proficiſcuntur, in ſtupore neruorumque reſolutione, in morbis ſoporoſis frigidis, qui cum delirio *h*) ſunt, in quibus periculum inſtare docet; in plurimis morbis pectoris, et vt fertur, potiſſimum in pulmonum inflammatione, in qua iſta vaſa non ſatis ſanguinis auriculae ſiniſtrae reddere poſſe videntur, ideoque aorta quaſi vacuefieri, vnde res aegri ad incitas debent redigi. Sed, ſalua magnorum virorum fide, non poſſum non publice profiteri, me non, niſi durum *i*), et tandem ſub peſſimum diſceſ-

 ſum

f) *Ettmüller* ap. *Bonet.* Polyalth. V. 1. p. 15.
g) *Kloekhof.* diſſ. de Criſi, in Opuſcul. p. 201. ed. *Schlegel.*
h) *Gorter* l. et pag. cit.
i) Ita iam ante nos *Morgagn.* l. c. Epiſt. 21. n. 34. p. 216. T. I. et *Haen* Rat. Med. T. IX. c. 2. § 9. p. 82 ſequ.

ſum e vita, mollem hoc in morbo obſeruaſſe. At in febribus acutis ſignificat remiſſionem mali et vaſa aperta, ideoque ſudorem decretorium *k*), praeſertim ſi ex duro talis appareat, in dolore laterum vero ſputa inſtantia.

§. 129.

Pulſus aequalis in homine, qui bene valet et ſuae ſpontis eſt, ſemper deprehendi debet: Indicat enim aequabilem liberumque liquorum circuitum, ideoque optima quaeuis vel in morbis ipſis ſperare ſinit. Qui quo magis conſiſtit, eo valitudo certior; at quo minus, eo facilius aliquod corporis vitium metuendum videtur.

§. 130.

Contra *inaequalis et intermittens* vt plurimum ſiniſtri augurii cenſentur, et periculi pleniſſimi, cum maxime ſi cum reliquis malis pulſuum formis iunguntur, quoniam, niſi morbi exitum abſolute mortiferum, perdifficilem certe ſanationem portendunt, in febribus potiſſimum, vbi haec pulſus titubatio morbi magnitudinem cauſſaeque pertinaciam, nec non vires naturae infirmatas produnt. Adeſt enim haud raro maior aliquis cordis vaſorumque attingentium polypus, aneuryſma, valuulae veluti oſſeae ac obluctantes, rigor arteriarum incredibilis, itemque debilitas, ſanguis viſcidus, ſpiſſus, glutinoſus, eiusque motus nimis acceleratus aut difficulter per pulmones traiiciendus, v. c. in hydrope pectoris et pericardii, obſtructione ac inflammatione pulmonum, cet. cruoris defectus aut multitudo *l*), conuulſio, qualis perfrequens eſt in hyſtericis et hypochondriacis,

k) *Fien.* Semiot. P. II. p. 238.

l) *Galen.* de Cauſſ. Pulſ. II. 2. p. 355. IV.

cis, nec non a flatibus, vermibus, ſordibus inteſtinorum vellicantibus rel.

v. IO. ERN. HEBENSTREIT Diſſ. *de pulſu inaequali ad mentem Galeni de cauſſ. pulſ.* L. II. Lipſ. 1741. BLOCH Medic. Bemerkung. Berl. 1774. Obſ. 2. p. 10 ſequ.

§. 131.

Ex hiſce cauſſis vulgo, nec iniuria, vt nobis videtur, colligitur, malos eſſe pulſus inaequales et intermittentes, hos vero omnium inaequalium peſſimos m), quoniam quies pulſuum ſi diu conſiſtit, et vltra aliquot ictuum tempus ducitur, ſpes aegri in anguſto poſita eſt, et haud raro mors ſequitur repentina, vt in apoplecticis fieri ſolet. Sed in illa pulſuum inaequalitate aeſtimanda haec animaduertenda videntur,

1) Vt conſideremus ac contemplemur thoracis conformationem, et aetatem ipſam, quoniam gibberoſi n) et ſenes cum hoc pulſu intermittente diu ſalui et incolumes viuunt, minus pueri, minime omnium iuuenes, praeterea ſani quidam homines o) ſine vllo aut certe non adeo magno incommodo pulſum debilem et poſt quartum quintumue ſuccuſſum intermittentem ſuſtinent, quibus, dum aegrotant, celer et aequalis p) eſt. Id tamen certum eſt, pulſum intermittentem ſicubi ſemper talis appareat, in aegris pertimeſcendum eſſe q).

 2) Vt

m) *Galen.* Praef. ex Pulſ. II. 4. p. 425. IV. cf. *Haen* Rat. Med. T. XII. c. 2. §. 7. p. 30 ſequ.

n) *Lanciſ.* de Subit. Mort. I. 19. p. 59. *Wedel* ap. *Bonet.* l. c. *Williſ.* Opp. Sect. VI. 3.

o) *Iuncker* Semiol. c. 2. §. 29. n. 2. p. 451. *Proſper Alpin.* de Praeſag. Vita et Morte IV. 4. p. 240 ſq.

p) *Haen* Rat. Med. T. XII. c. 2. p. 41.

q) *Galen.* l. cit.

2) Vt ipſam cauſſarum naturam, magnitudinem, vehementiam, coniunctionem, reputemus ante, quam iudicemus. Sic v. c. poſt dolores, conuulſiones quascunque et mali hyſterici exacerbationem ſequitur pulſus intermittens, isque nec adeo malus, itemque in ſenibus minus perniciofus, quam in iuuenibus r) cet.

3) Vt ne vires aegri tempusque morbi negligamus, ſiquidem ad mali finem, exhauſto neruorum robore, antegreſſisque magnis vacuationibus, pulſus intermittens peſſima quaeuis ſemper praeſignificat, minime vero, ſi in homine ceteroquin ſano a cauſſa ſubita facileque euanida, v. c. perturbatione animi, conuulſione, proficiſcitur.

4) Vt ſedulo diligenterque diſtinguamus numerum pulſuum intermittentium, itemque interualla, ne fallamur. Etenim apud obſeruatores legitur *pulſus ordinate aut inordinate intermittens* s), quorum prior peior exiſtimatur poſteriori; praeterea *pulſus intermittens* aut *in vna pulſatione* t) eſt, tuncque in acutis et inflammatoriis febribus u) peſſimus, in morbis pectoris, ſenibus, ſanguinis multitudine laborantibus, pueris dormientibus minus metuendus; aut *in pluribus*, aut denique *in perpetuum.* Quae formae etſi omnes periculoſae ſunt, gradu tamen differunt. Prima enim non ita male ominoſa eſt, niſi cumulatius atque celerius ita feratur: tunc enim, auctore LOMMIO x), certius exitium denunciat; altera peior et periculoſior putatur, vltima omnium peſſima, quoniam ſaepe-

r) Ib. L. Praef. ex pulſ. II. 4. p. 427.
s) *Fien.* l. c. p. 247.
t) *Galen.* l. et cap. cit. p. 425.
u) *Bagliu.* Prax. I. p. 73.
x) L. cit. p. 343. ed. *Wedel.*

ſaepenumero ictus viginti, triginta et amplius quieſcunt; (*aſphyxian* ſ. *pulſus defectionem* appellant) et tandem pulſus aut denuo reuertitur, vt in hyſtericis, ſyncopticis, iugulatis, ſubmerſis, vaporis tetri ac noxii exſpiratione ſuffocatis fit; hic *pulſus recurrens* eſt; aut nunquam reuertitur, isque vere *deficiens*, medius quaſi y) inter decurtatum pulſum et perfectam abolitionem, quam intermittens ſemper praecedit, eaque de cauſſa certiſſimus mortis index.

Schol. GORTER Prax. III. Tit. 2. 179. p. 171. ad *inaequales* retulit *pulſum vermiculantem*, *trementem*, *vacillantem*, *myurum*, *ſerratum*, *dicrotum*, *capriſantem*, idque, vt nobis videtur, non male. Sed de his paullo poſt.

§. 132.

Quibus praemiſſis cautionibus, pulſuum inaequalium et intermittentium vis atque poteſtas explicari intelligique facile poterit. Indicat igitur *pulſus inaequalis* ſine febre ac cum difficili reſpiratione, poſt diariam ſubſiſtens, vt plurimum cordis pulmonumque obſtructionem, palpitationem, tuberculum crudum, ſyncopen, mortem z). Qua de cauſſa nec infrequens in pectoris a) morbis eſt, itemque in febre

y) *Galen.* Cauſſ. Pulſ. II. 3. p. 356.

z) *Galen.* de Loc. Affect. IV. 9. p. 110. IV. vbi ſimul rarus *Antipatri* medici morbus enarratur, in quo adfuit primum pulſus inaequalis, deinde ſucceſſit ſex menſibus poſt leuis aliqua et ſenſim increſcens ſpirandi difficultas atque cordis palpitatio, tandem ad diem decimum et quintum, derepente ſuborta ſpiratione difficillima, reſolutus obiit.

a) *Klein.* Int. Clin. p. 236.

bre maligna, ſcorbuto, ſenum palpitatione cordis [b]), neque adeo periculoſus, immo vero iudicationes perquam mu… ıs [c]) praecedit, praeſertim ſi cum labore atque periculo fiunt, aut ſi vomitus a bile proficiſcitur.

§. 133.

At *pulſus intermittens*, vno ictu praeſignificat ſanguinis defectum in arteria magna et debilitatem cordis, et poſt paucos ſuccuſſus in febribus valde malignis et peſtilentialibus [d]) peſſimi ominis eſt, minus in longis, itemque in iis, quos vigilia, cura, dolor ingens exercuit, aut ſi crapulam, venerem atque meditationem ſequitur, modo breui naturalem formam induat. Hinc familiaris in morbis pectoris acutis [e]), eiusque hydrope [f]), cordis polypo [g]) vaſorumque magnorum aneuryſmate, vomica pulmonum et phthiſi, neruorum cardiacorum conuulſione [h]) ſingulari, et ab animi perturbationibus, pleuritide [i]), attamen in ea ſaepius non periculoſus [k]) eſt; ſimiliter in capitis affectionibus, dolore eius acerbo, vertigine tenebricoſa, nec non in iis, qui cum ſopore ſunt aut cum inflammatione, vbi infelicem mali finem mortemque inſtantem [l]) annunciat; in iis, quibus incubus et apoplexia [m]) infenſa ſunt; in

b) *Wedel.* Theor. Med. P. III. Sect. 3. §. 42. p. 100.
c) *Galen.* de Criſib. III. 10. p. 555. IV.
d) *Haller.* Elem. Phyſ. T. II. p. 256.
e) *Zimmerm.* l. c. p. 352.
f) *Bloch.* Medic. Bemerk. l. c. p. 12.
g) *Riuer.* Cent. II. Obſ. 77. *Kerkring.* Spicil. obſ. 73. p. 145.
h) *Bloch.* l. c. p. 14. *Lanciſ.* Subit. Mort. I. p. 59 ſq.
i) *Wedel* ap. *Bonet.* Theſ. T. II. p. 238.
k) *Bagliu.* Prax. I. 9. §. 1. p. 34. ed. Lugd.
l) *Rega* l. c. P. II. c. 3. Aph. 478. p. 164.
m) *Williſ.* L. Medic. Operat. p. 109.

in ſcorbuticis, hypochondriacis, hyſtericis, ab ventris intimi conuulſione, vbi exitus varius et non raro decretoria deiectio aut vrinae fluor [n]) ſubſequitur; a ſordibus inteſtinorum [o]), a vermibus [p]) et lumbrico, flatu [q]), cum maxime ſtomachi, quocum exquiſitus doloris ſenſus vrget; in colicis, in arthriticis et podagricis [r]), in feminis, quarum menſtrua non rite profluunt, cet. Ex his intelligitur, cur inſtantem ſyncopen, eamque ſanguinis miſſione cauendam, certo praedicere potuit PETRUS SALIUS [s]), cur ſaepius iudicationem febrium acutarum [t]) praecedit, eaque apparente, in meliorem transformatur, cur, auctore SOLANO [u]), ſemper aliquam vacuationem iudicatoriam, cum maxime per aluum atque vrinam, deſignare creditur, cur in morientibus [x]) tantum non ſemper obſeruatur rel.

§. 134.

Eſt porro iſta *pulſuum defectio*, quam *ἀσφυξίαν* vulgo nominant, ſaepenumero *ſpuria* in alterutro brachio a profundiori arteriae poſitu, a pinguitudine nimia, aneuryſmate arteriae motum impediente, polypo arteriae ſubclauiae, neruorum conuulſio-

n) *Nibel* de Pulſ. P. I. Sect. 1. c. 2. *Senac* diſſ. ſur les criſes, Par. 1752. *Haen* l. c. T. XII. c. 2. §. 7. p. 35.

o) *Proſp. Alpin.* l. c. IV. 4. p. 241. *Morgagn.* l. c. Epiſt. 24. §. 20. p. 254 ſequ.

p) *Riuer.* Cent. III. Obſ. 3.

q) *Bloch.* l. c. Obſ. 2. p. 12.

r) *Bloch.* l. c. p. 15 ſq.

s) De Affect. Particul. c. 4. p. 216 ſq. et repet. ap. *Freind* Hiſt. de Medec. p. 161.

t) *Proſper* l. c. IV. 4. p. 241. *Wierus* ap. *Horſt.* Opp. T. II. L. XI.

u) Ap. *Haen.* l. c. T. V. c. 1. p. 21. et *Nibell.* l. cit.

x) *Zimmerm.* l. c. p. 352.

uulſionibus [y]); at re ipſa *vera* peſſimi augurii eſt, et certiſſima mortis [z]) index. Qua de cauſſa vt plurimum reperitur in vrinae ſuppreſſione et dyſenteria, poſt febrem peticularem malignam, roſionem aortae vaſorumque concretionem [a]), itemque in aſthmate conuulſiuo [b]). Sed eius cognitio et diiudicatio [c]) eſt perardua et omnium difficillima.

§. 135.

Poſſunt vero haec pulſuum genera, quae adhuc diſputauimus, mirifice inter ſe copulari, et, vt hoc vtar, *vehemens* cum magno, duriuſculo, molli, frequenti, raro eſſe, ſimilisque ratio *magni et parui*, niſi quod magnus cum duro iungi nullo modo poſſit. Indicat ergo *pulſus celer et magnus* [d]) maximum globulorum attritum, calorem, humidorum denſitatem, membranarum inflammationes, et febres acutas, quare fere talis in ſynocha deprehenditur; *celer et paruus*, qualis in leucophlegmatia et morbis frigidis eſt, imbecillum ſanguinis aquoſi et praetenuis motum et calorem diminutum, vaſa laxa, debilitationem, palpitationem cet. *celer et frequens* in morbis putridis et bilioſis, eryſipelate, humorum tenuitatem et acrimoniam, at a defectu eorum debilitatem ſummam; *celer et vehemens*, ſi in febribus [e]) ad dies decretorios inſurgit, peſſima quaeuis; *celer et*

y) *Struth.* Art. Sphygm. V. 8. p. 301 ſequ.
z) *Ramazzin.* Conſtit. Epid. 1692. 93. 94. §. 18 ſeq. p. 56. T. II. Opp. *Sydenh.*
a) *Morgagn.* de Sed. et Cauſſ. Morb. Ep. 24. §. 6. p. 248. T. I.
b) Ibid. Epiſt. 18. n. 9. p. 164 ſequ.
c) Sic recte *Haen.* l. c. T XII c. 2. p 49.
d) *Frid. Hofmann.* Med. Rat. T. III. Sect. 1. c. 11. §. 30. p. 273. ed. Hal.
e) *Hoffmann.* l. c.

et debilis, isque tandem in *durum* tranſiturus, inflammationem imminentem aut etiam conuulſiones letiferas, id quod in peticulis f) vt plurimum obtinet: *celer et plenus*, magnam rerum commutationem g), praeſertim ſi ſimul fortis eſt, quoniam in ſanis plenus et tardus eſſe ſolet: *celer et fortis* h) in febribus continuis, nec cum inflammatione copulatis, itemque in intermittentibus, optimum malorum finem, ſi in omnibus corporis partibus aequabiliter fortis obſeruatur: at in apoplexia fallax eſt, quoniam ſaepenumero ab opertis viſcerum obſtructionibus pendet. Contrarius *pulſus tardus* eſt, isque ſi praeterea *magnus* perſentitur, in robuſtis optime humorum circinationem peragi deſignat; ſi *tardus et rarus*, quartanae acceſſionem i). Cum *paruo et frequenti* k) plerumque ii moriuntur, quos febris acuta tenet.

§. 136.

Nonnunquam plures pulſuum formae inter ſe coniunguntur, et periculum increſcit, quo magis iſti pulſus per ſe mali ſunt. Sic *tardus*, *paruus*, *debilis et creber* quaſi proprius et familiaris melancholicorum l) eſt; Sic *celer*, *vehemens*, *magnus*, *frequens*, *et aequalis* ſignificat febres diarias; Sin vna *inaequalis* eſt, putridas; *celer* denique, *debilis*, *paruus*, *durus*, lentas m): *celer*, *debilis*, *vacillans*, etſi cetera bona ſpondeant, periculum, et vt plurimum mortem

f) *Nenter.* Fund. Med. T. I. p. 175.
g) *Zimmerm.* l. c. T. 1. B. 3. c. 5. p. 347.
h) *Zimmerm.* l. c.
i) *Galen.* de Criſ. II. 4. p. 519. IV.
k) *Bagliu.* Prax. I. p. 73.
l) *Aretaeus* de Cauſſ. Morb. Diut. l. 5. p. 22. coll. *Steph.*
m) *Fien.* Semiot. p. 238.

tem imminentem n); *magnus*, *tenſus*, *et durus*, inflammationem ſanguineam; at *debilis*, *raro tenſus* et tantum non ſemper *humilis* quaſique naturalis, inflammationem putridam o); *paruus*, *debilis*, *mollis*, neque nimis *acceleratus* tabem incipientem, at *tenuis*, *frequens*, *durus*, *atque obſcurus*, adultam p); *paruus*, *obſcurus*, *tardus*, *rarus*, quartanae acceſſionem q); *paruus et debilis* in acutis ad dies iudicatorios, vires naturae affectas et proſtratas, inflammationem in ſphacelum tranſituram, et ſi ſimul *inaequalis ac intermittens* eſt, mortem r); itemque *paruus*, *frequens et vacillans* s) in acutis periculoſisque morbis mortem vt plurimum: vt *paruus*, *debilis*, *rariſſimus*, *tardiſſimus*, in melancholicis t) diu ſine vitae diſcrimine ſuſtinetur: denique *paruus*, *praedurus et creberrimus* u) in pleuritide funeſtum mali finem portendit.

§. 137.

Reliquum eſt, vt aliquos *pulſus* ſingulares, qui fere *ex inaequalium familia* ſunt, paucis expediamus. Huc referuntur

I) *Pulſus myurus* ſ. *decurtatus*, *mutilus*, *ſenſim gracileſcens*, i. e. qui in caudae tenuis atque ſubtiliſſimae ſimilitudinem digitos tangentis medici ferit, et

n) *Bagliu.* Prax. I. 12. §. 5. p. 139.
o) *Sarcone* Geſch. der Neap. Krankh. T. II. §. 501. p. 193.
p) *Galen.* de Pulſ. ad tyron. c. 12. n. 3. p. 174. IV.
q) *Aëtius* Tetrabl. II. Serm. I. c. 83. p. 214. coll. *Steph.*
r) *Hoffmann.* l. et Sect. cit. c. 12. §. 29. p. 286.
s) *Bagliu.* l. c. cap. 13. § 6. p. 140.
t) *Hercul. de Saxon.* de Pulſ. III. 100.
u) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. IV. 4. p. 464. IV. *Swieten* Comm. T. III. Aph. 888. p. 21.

et decreſcendo quaſi praeterlabitur, ita quidem, vt, ſi pulſus ſecundus primo paullo minor ſit, tertius magis, et ſic porro quartus, tandemque in acutum deſinat. Conſtituunt vero illum *pulſus fortis* et ſuccedens *debilis*, ſ. *frequens et rarus*, at ſecundum GALENUM x) *celer in tardiorem* transformatur, ideoque nobis reuera eſſe videtur quaedam *pulſus debilis*, *inaequalis aut intermittentis ſpecies*, quam iterum diuidunt in *reciprocum* ſ. *recurrentem*, ſi poſt magnitudinem ſequitur diminutio, atque ſubito iterum accretio; et in *non reciprocum* ſ. *deficientem*, *minutum*, in quo iſta non deteguntur.

II) *Pulſus intercurrens* i. e. ſi poſt vnum alterumque ictum magnum et tardum aliqui celeriores debilioresque obſeruantur, ideoque ille *crebritate* quadam *inaequali* y) continetur.

III) *Pulſus dicrotus*, *bis feriens*, *interciſus*, i. e. qui impari celeritate fertur, vnoque ſuccuſſu bis quaſi celeriterque appellitur digitos, tertio vero tardius. Ad *intermittentes*, *debiles*, *duros et tardos pulſus* pertinere videtur, neque multum a *caprizante* abhorrere, etſi varias eius formas dari GALENUS z) ſtatuit, nec dicrotum vllum eſſe poſſe, niſi *vibratus* ſimul ſit.

IIII) *Pulſus vndoſus*, quem nos ſupra in magni ſ. pleni numero habuimus, aliquam vndarum ſeriem referre debet, ſic, vt earum motus videatur alicubi ſubſiſtere ac veluti laſſus requieſcere, mox denuo

x) *Galen.* Defin. Med. c. 11. p. 180. T. I.
y) *Galen.* Praef. ex Pulſ. II. 5. p. 429. IV.
z) De Differ. Pulſ. I. 15. p. 196. et. De Cauſſ. Pulſ. II. 5. p. 359. IV.

denuo fluere iterumque ſiſti, ſimilique ratione per omnem ferri arteriam. Alii, et in his cum maxime GALENUS a), eum *inaequalibus* aſſignarunt, alii effici perhibent *pulſu inaequali, tardo et magno*, ita quidem, vt primum aliqua arteriae pars, deinde altera, modo altius, modo remiſſius diſtendatur et attollatur. A *vermiculante* non niſi magnitudine differre putatur, et huc ſine dubio pertinet, aut ſi mauis, vere idem cum SOLANI b) *pulſu inciduo* eſt. Similiter quaedam vndoſi forma habenda eſt *pulſus* nonnullorum *vndulans*, in quo, auctore REGA c), *ſanguis pellitur, non propellitur, mouetur, non promouetur, premitur, non tranſprimitur, agitatur quidem in arteriis maioribus, verum in et per minimas non adigitur.*

V) *Pulſus vermicularis* ſ. σκωληκίζων, i. e. qui vermis repentis ſeſeque attollentis in modum digitos ſubterlabitur, fereque *pulſu inaequali, crebro et paruo*, interdum *tardo et languido* continetur. Adeſſe eum aiunt in hydrope, cholera, poſt magnas ſanguinis aluique profuſiones, fluorem menſtruum nimium d), cet.

VI) *Pulſus formicans* ſ. μυρμηκίζων, i. e. qui formicae reptantis inſtar digitos ferit, et, GALENO e) auctore, tam paruus eſt, nullus vt magis, atque ex *inaequali, paruo, debiliſſimo et creberrimo* conſtare videtur. Reperiri ſolet potiſſimum in tabidis.

VII.

a) *Galen.* ibid. c. 23. p. 199.
b) Ap. *Nibell.* de Pulſ. P. I. c. 3.
c) Meth. Med. P. II. c. 3. Aph. 465. p. 160.
d) *Galen.* de Pulſ. ad tyron. c. 12. p. 172. IV.
e) L. cit. c. 24 et 25. p. 200 ſequ.

VII) *Pulſus caprizans* ſ. δορκαδίζων HEROPHILI, i. e. caprarum ſaltus imitans, et mora quadam interiecta, bis feriens, ideoque *verus dicrotus*, ita tamen, vt motus a quiete alter celerior et vehementior primo *f*) ſit, vnaque durus et vehemens, ac veluti necopinato ſubſultans. Sunt, qui eum in *inſultorium et ſubſultorium* diuidant, et familiarem canibus *g*) propriumque conuulſionibus exiſtiment.

VIII) *Pulſus hecticus* ſ. *ſtabilis* *h*), i. e. qui *celer, frequens vnaque durus* deprehenditur, qualis in iis, qui febre hectica laborant.

IX) *Pulſus conuulſiuus*, i. e. ſi arteriae motus *inaequalis* eſt, et in chordae modum ſurſum deorſumque agitatae *i*) fertur, itemque *vibratus* et *tremens*, qui certe omnes adiunctam habent *celeritatem* atque *duritiem* *k*), at *diuerſum impulſionis robur diuerſamque vehementiam.* Etenim *prior* eſt *celer*, *durus*, *magnus et vehemens* cum parua arteriae dilatatione ac contractione, et quoad ſenſum, quaſi intentam fidem tangas, quo ſolo a ceteris diſcernitur; *alter*, quem ARCHIGENES *l*) *geminis mallei ad incudem ictibus aſſimilat*, GALENUS vero *dicroti formam* aliquam eſſe perhibet, minori cum virtute fertur, et nihilo tamen ſecius magna cum vaſis diſtentione *celer*, *creber atque durus* eſt, ſub quo ex digitorum iudicio ſenſus ſuboritur veluti ab miſſis telis aut iaculis, ideoque ex *vehementi et conuulſiuo* quaſi conflatus videtur:

f) *Galen.* Diff. Pulſ. I. 26. p. 201.
g) *Wedel* ap. *Bonet.* Theſ. T. II. p. 238.
h) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. III. 3. p. 448.
i) Ibid. L. Cauſſ. Pulſ. IV. 17. p. 396.
k) Ibid. L. Dignot. Pulſ. IV. 1. p. 322.
l) Ap. *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. II. 8. p. 434.

Vltimus denique at magis contremiſcente arteriae motu et quiete inter pulſum quemuis manifeſta nulla nomen accepit, et re ipſa *debilis*, *celer* m) *minimus* et vix tactu internoſcendus eſt. Secundum STRUTHIUM n) *pulſus conuulſiuus ſimilis eſt, dum diſtenditur, lineis incuruatis modice, vtrinque tenſis* (), *vibratus vero lineis multum inflexis in altum, et acuminatis* (), *cuiusmodi etiam figura eſt chordae in arcu fortiter tenſo ſeu vibrato, qua parte ei ſagitta opponitur acuminatae* cet.

X) *Pulſus ſerratus*, i. e. qui, dum alia arteriae pars ſeſe attollere, alia vero ſubſidere videtur, durior o) eſt, et digitis ſenſum veluti ſerrae huc illuc ductae imprimit, ideoque profecto *inaequalis*, *celer*, *durus et paruus* eſſe debet, aut etiam, vt videtur, *ex duro et conuulſiuo* conſtare. Ferunt eum tabidorum eſſe.

XI) *Pulſus ſerpentinus*, i. e. qui reptationem ſerpentis mentitur. An ad vermicularem vel capriſantem referendus?

§. 138.

Debent vero iſti pulſus, modo vere in medicina locum habent, aut attendi merentur, quasdam corporis morbique mutationes deſignare, cum maxime vim cordis arteriarumque fatiſcentem, humidorum lentitiam, vaſorum vacuitatem, ipſamque mortem imminentem, ideoque vt plurimum male ominoſi eſſe. Sed eamus per ſingulos.

§. 139.

Indicat igitur ex medicorum placitis

I) *Pul-*

m) Ibid. c. 12. p. 440.
n) Art. Sphygm. I. 23. p. 57.
o) *Galen.* Cauſſ. Pulſ. IV. 6. p. 387.

I) *Pulſus myurus* ingens periculum, ſiquidem cum languore cordis, liquorum circuitu fere nullo, viriumque defectu ingruit, et ad finem vitae potiſſimum perſentitur. Quam ob cauſſam hicce pulſus, ſi vna deficit, ſemper eſt peſſimus augur: at vero *myurus reciprocus* minus metui debet, quia in decrepitis frequens eſt, et ſine multo incommodo diu ſuſtinetur, in iuuenibus rariſſimus et funeſtus eſt. Praeter haec etiam aquam intercutem declarat, ſi citra febrim talis obſeruatur, itemque in palpitatione ac polypo cordis p), ſi ſubſtiterit, tanquam ſignum proprium, enitefcit.

II) *Pulſus intercurrens* vt plurimum bonus eſt, et vires vitae nec penitus fractas, praeclaram morbi iudicationem futuramque aegri ſalutem portendit. Hinc ſaepenumero paullo ante, quam dies decretorius inſtat, obſeruatur. Contra ſi apparet in febribus, vbi principes arteriae obſtructae vel compreſſae ſunt, aut etiam in pulmonum inflammatione q), cum res aegri in anguſto ſunt, aeger deſperatus deploratusque habendus eſt.

III) *Pulſus dicrotus* praeſignificat ſtimulum aliquem ac conuulſionem, vaſorum rigorem, impedimentum quod demum cunque humidorum motum retardat, ſimul vero vires vitae non prorſus infirmatas, robur cordis violentiae alienae quaſi obluctantis et reſurgentis haud ſpernendum, itemque ex SOLANI r) et SENACI ſ) obſeruatione profluuium ſanguinis decretorium, cum maxime

p) *Wedel* Exercit. Phil. Med. Dec. II. n. 13 p. 47 ſq.
q) *Galen.* Praeſ ex Pulſ. II. 5. p. 428. *Gorter* Prax. L. III. Tr. 2. 179. p. 172.
r) *Nibell.* l. c. Sect. I. c. 1.
ſ) Diſſ. ſur les criſes, Paris 1752.

xime per nares, ſecundum MARQUETUM t) vero celerem animi defectionem ac mortem. Vidit etiam Ill. ZIMMERMANNUS pulſum dicrotum in febre lenta a puerperio perdifficili, et in aneuryſmate.

IIII) *Pulſus vndoſus* ſ. *inciduus* SOLANI, per ſe non periculoſus eſt, ſed praenunciat, ſtimulum, conuulſionem, doloremque nullum adeſſe, vaſa aperta, nec obrigeſcentia, ſcirrhum et inflammationem nullam, at humidorum multitudinem cordisque vires fere integras. Hinc reperitur plerumque tempore ſudoris u) iudicatorii, antegreſſis ceteris coctionis ſignis, et fere ſimul altus et vehemens eſt; in febribus quotidianis et continuis, itemque lethargo v), in malo corporis habitu, leucophlegmatia et hydrope, praeſertim ſi quod ſanguinis profluuium ipſaque menſtrua ante ſuppreſſa fuerint, ſub quo et inaequalis eſt, et intermittens, dum vires deſunt; alias vero latus vereque vndoſus x) deprehenditur; Perraro morbum regium y) portendit, et ſi in vermiculantem transierit, malus augur eſt. *Vndulans* vero, quem ſupra ſeorſim explicauimus, ſummum periculum, malignitatem, mortemque imminentem z) praeſignificare dicitur.

V) *Pul-*

t) Ap. *Zimmerm.* l. c. p. 353. qui vtrumque ſic vere accidere negat.

u) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. II. 9. p. 435. *Lomm.* Obſ. L. III. p. 344. *Nibell.* l. c. P. I. Sect. 1. c. 2.

v) *Galen.* l. cit.

x) *Galen.* de Cauſſ. Pulſ. II. 8. p. 362.

y) *Nibell.* l. cit. c. 4.

z) *Rega* Meth. Med. P. II. c. 3. Aph. 465. p. 160.

V) *Pulſus vermiculans* indicat arteriam mollem [a]) ac debilem, virium defectum, motum ſuccorum impeditum aut certe diminutum. Quam ob cauſſam obſeruatur in magna virium deiectione, deliquio animi, cordis polypo, hydrope, maxime pectoris, pituitae in pulmonibus congeſtione, ſpiratione perdifficili, catarrho ſuffocatiuo, in iis, qui febre lenta, hectica, phthiſi laborant, cum maxime ſi res aegri iam ad anguſtias redactae ſunt, itemque in ſcorbuticis [b]), poſt largas quascunque vacuationes ſanguinis, deiectiones alui ſudoresque [c]) multos. Sin vero malus iſte pulſus in vndoſum transformatur, ſalus deſperanda non eſt.

VI) *Pulſus formicans* praecedentium (n. 4. 5.) peſſimus iure meritoque habetur. Qui ſi ab humorum penuria poſt egeſtiones [d]) magnas aut crebras, itemque poſt animi defectiones vterique praefocationem ſequitur, et cauſſis mali ſuperatis, ſponte ſua deſinit, minus pertimeſci debet: Sin vero, viribus naturae morbi magnitudine ac vehementia exhauſtis, nec facile inſtaurandis, aegrum exercet, Hannibal ante portas eſt. Hinc frequens eſt in ſyncope, praeſertim cardiaca [e]), aut ſi ab febri acuta et exitiali concitatur, itemque in febre maligna [f]) atque lenta, vt plurimum mortis [g]) praenuncius.

a) *Galen.* Praeſ. ex Pulſ. II. 9. p. 435.
b) *Eugalen.* de ſcorb. p. 48. et *Rouppe* vom Scorbut §. 12. n. 6. p. 49. verſ. germ.
c) *Galen.* l. cit. p. 436.
d) Ibid. L. Pulſ. ad tyron. c. 12. p. 171. *Fien.* Semiot. P. II. c. 8. §. 4. p. 245.
e) L. cit. p. 172.
f) *Galen.* Cauſſ. Pulſ. III. 16. p. 384.
g) *Williſ.* de febr. c. 10.

VII) *Pulſus caprizans* declarat crebras ſeſeque iterum remittentes cordis contractiones, irritationem magnam, vires vitae vacillantes, ideoque cum aliqua ſalutis ſpe reliqua ingruit, praeſertim ſi nec diſtentio arteriae languidior eſt: Alias enim anceps morbi exitus. Conuulſiones [h]) eum praenunciare aiunt, nec adeo malum eſſe, modo reliqua ſigna non abhorreant.

VIII) *Pulſus hecticus*, quo in morbo potiſſimum reperiatur, ipſum nomen docet, ſemperque malus eſt, ſiquidem morbum indicat longum, inſidioſum, torrefacientem, fereque immedicabilem propter cauſſas vix ſuperandas.

IX) *Pulſus conuulſiuus*, *vibratus*, *tremens*, idonei teſtes magnae irritationis, vitaeque virium defectarum ſunt. In priori iſta quaſi eminent, in ceteris non item, etſi ad ſimile irritamentum ſubigendum vires inferiores videntur. Quamobrem debilitatem, ingens vitae diſcrimen, futuras internorum viſcerum conuulſiones, indeque oriundam ſyncopen et mortem ipſam praeſignificant. Monendum tamen cenſuit LOMMIUS [i]), conuulſiuum pulſum raro incidere, atque periculoſum eſſe poſt vigilias, egeſtiones magnas, inediam, ſiccitatem et febres ardentes, minus in morborum principio; contra HOFFMANNUS [k]) aſſerit eum in febribus acutis mortem praenunciare, quaſique proprium morientium pulſum eſſe, cui etiam pulſus inaequalis et intermittens comites praebere ſoleant. At *pulſus tremulus* obſeruatur in

h) *Albercromb.* ap. *Regam* Meth. Med. P. II. c. 3. Aph. 482. p. 168.
i) Obſeruat. Medic. III. p. 347.
k) Med. Rat. Syſt. T. III. Sect. I. c. 12. p. 271 ſeq.

in aſthmate conuulſiuo, inflammationibus internis, morbis ſoporoſis, et ipſam mortem inſtare docet.

X) *Pulſus ſerratus* indicio eſt, adeſſe ſtimulum aliquem aut acrimoniam irritantem, vaſa conſtricta, arteriasque veluti intentas, conuulſionem, obſtantias ſanguinis traiiciendi perinſignes, inflammationem haud raro incipientem aut certe propenſionem cet. Hinc tantum non ſemper ſequitur membranarum, cum maxime neruoſarum partium, inflammationes [l]), pleuritidem et phthiſin, habeturque ille peſſimi ominis, ſi maiori cum tenſione atque duritie eſt. Quare fere eadem, quae pulſus durus, praeſagire eum oportet.

XI) *Pulſus ſerpentinus* deſignat humorum ſpiſſitudinem, eamque ob cauſſam perdifficilem ſanguinis ab cordis ventriculis in vaſa maiora propulſum.

§. 140.

De hac igitur *pulſuum inaequalitate* haec habeto.

1) Pulſus, qui inaequaliter frequentes ſunt, minori cum periculo vrgent, quam quorum robur inaequale [m]) eſt.

2) Omnes pulſus inaequales mali ſunt, in acutis funeſti, praeſertim ſi mire variant, peſſimus vero myurus [n]) eſt.

3) Pulſus inaequales, in quibus magnitudo et vehementia eniteſcunt, ſanitatis ſpem reliquam faciunt: Si contra fit, mortem portendunt.

4) Pulſus inaequalis ſi vna celer, frequens, vehemens et magnus eſt, praeſignificat futuram iudicationem; at ſi debilis, ſi minor, ſi tardus, ſi

G 5 rarus

l) *Fien.* l. c. p. 245.
m) *Abercromb.* de Variet. pulſ. Sect. I. p. 35.
n) *Nenter.* Fund. Med. T. I. p. 176.

rarus eſt, lentam morbi reſolutionem, quam λύσιν appellant o).

5) Pulſus inaequalis in ſanis vt plurimum vitium aliquod pulmonum portendit, v. c. polypum, tubercula, vomicam, vlcus, phthiſin, concreſcentiam pulmonum et membranae latera ſuccingentis, difficultatem ſpirationis, affectiones, quae cum conuulſionibus vrgent rel.

§. 141.

Praeterea *in morbis pulſus ſanus et quaſi naturalis* haud raro deprehenditur, i. e. aequabilis, temperatus, neque celer aut tardus, magnus aut paruus, durus aut mollis, neque vllo modo praepeditus p), nonnunquam ſano tardior q). Quod dum in febribus acutis malignis fit, vitae diſcrimen ſummum certamque perniciem praeſignificat, ex veteri prouerbio: *Pulſus ſanus, vrina ſana, aeger moritur.* Attendi etiam meretur *pulſus ſenum varius et mutabilis*, neque per ſe adeo metuendus; itemque *pulſus puerorum mutabilis*, dum vermibus infeſtantur, ventriculus afficitur, et inteſtina ſordibus r) excruciantur. Reſtat *pulſus morientium*, qui tantum non ſemper varius eſſe debet, isque interdum penitus ante obitum ceſſat, interdum cum nouiſſimo demum ſpiritu deficit, interdum multifariam intermittit. Eſt tamen ob vires vitales fractas, actionum imbecillitatem, impedimentorum multitudinem atque vehementiam plerumque *creberrimus*, *debiliſſimus*, *minimus*, *inaequalis*, *myurus*, *vermiculans*, *formi-*

o) *Fien.* l. c. p. 241.
p) *Schwencke* Haemat. c. 4. p. 44.
q) *Sarcone* Geſch. der Neap. Krankh. T. II. §. 357. p. 94.
r) *Bagliu.* Prax. I. p. 73 ſequ.

formicans, *intermittens*, et ex eo mortem propinquam eſſe memento.

§. 142.

Iam quaeritur, qui *pulſus in morbis boni*, qui *mali* exiſtimandi ſint. *Fortis*, *magnus*, *aequalis*, *tardusque ſimul*, inquit magnus BOERHAAVIUS[s]), *omnium optimus fortis et magnus*, *fortis et tardus ſimul*, *boni ſunt*. Neque diſſimiliter LOMMIUS[t]): *Optimus cenſetur is*, *qui medius eſt inter magnum et paruum*, *inter celerem et tardum*, *inter crebrum et rarum*, *inter vehementem et languidum*, *inter mollem et durum*, *inter plenum et vacuum*, *quique bonam ictuum inter ſe proportionem*, *aequalitatem ordinemque retinet*. Contrarium de contrariis pulſibus valet, videnturque illi eo magis pertimeſcendi, quo magis, bene monente GALENO[u]), *a naturali ſymmetria recedunt*. Sunt vero illi, vt iterum BOERHAAVII verbis vtar, *debilis*, *paruus*, *durus*, *inaequalis*, *intermittens*, *frequens ſimul*, *peſſimus omnium*.

§. 143.

In examinanda vero aeſtimandaque varia pulſus natura et poteſtate haec cautio atque diligentia adhibenda eſt,

1) Vt medicus digitos doctos exercitatosque habeat, i. e. molles, nec callo obductos, ſenſu exquiſitiori praeditos, eosque nec nimis frigidos, nec nimis calidos, modo remiſſius, modo fortius appreſſos, vt magnitudo, vehementia, paruitas debilitasque pulſus rite internoſci et diiudicari poſſit.

2) Vt

s) Inſtit. Med. §. 966. p. 453. ed. Norimb.

t) In obſ. l. c. Praeſag. ex Pulſ. p. 340.

u) Praeſ. ex Pulſ. II. 13. p. 441. IV.

2) Vt ne aegri brachium manu apprehendat, pulſumque examinet, protinus vt venit, ſed ex praecepto CELSI v) debeat *primum reſidere vultu hilari, percunctarique, quemadmodum ſe habeat, et ſi quis eius metus eſt, eum probabili ſermone lenire; tum deinde eius corpori manum admouere.* Vbi igitur humorum motus in medico pacatior factus eſt, aegrique animus bene compoſitus, carpum debet digitis explorare, arterias modo leniter, modo fortiter, modo mediocriter comprimere, atque hac via et ratione omnes omnino pulſus commutationes ſedulo contemplari diligenterque aeſtimare, quoniam, bene monente GALENO w), niſi premas arteriam, pulſum vehementem; at ſi nimis, debilem vix valebis internoſcere.

3) Vt arterias vtriusque carpi palpes, haud raro etiam alios locos, vbi quaſi in cacumine membrorum eniteſcunt aut fortius impellunt, ne, vaſorum alterius lateris ſitu variato, aut per morbum v. c. in militibus ſauciatis maleque perſanatis, poſt reſolutionem neruorum, hemiplegiam, conuulſionem, tumorem comprimentem, ſenſu membri veluti ſuffocato, in praedicendo turpiter fallamur, id quod nonnullis vſu eueniſſe TULPIUS x) refert. Sunt certe perquam multi y), qui ex hac differentia loci affecti indicium ſumendum putent.

4) Ne nimis propere a pulſus exploratione deſiſtamus, ſed ſaltem triginta aut quadraginta arteriarum ictus, qua fieri poteſt diligentia et accuratione,

v) De Medicin. III. 6. p. 129. ed. *Krauſ.*
w) L. Dignot. Pulſ. I. 1. p. 274.
x) Obſeru. Med. III. 45. p. 257. ed. ſext.
y) *Morgagn.* l. c. Ep. 24. n. 2. p. 246 ſequ.

ne, numeremus. Diutius vero examen propagare, vt Sinenſes docent, profecto perridiculum eſt. Etenim, auctore GALENO [z]), *tangendi accurate ſunt pulſus, deinde quid indicent ſigna, proferendum, ac tum denuo ſunt tangendi, animaduertendumque, ecquid aegrotus commotus ſit. Qui ſi omni ſit perturbatione liber, vide, num quod commemoratorum ſignorum aut omiſeris, aut parum probe perpenderis* cet.

5) Vt calorem pulſumque digitorum ſuorum medicus a calore motuque aegri bene diſcernat.

6) Vt memineris, quae qualisque pulſus naturalis ſit ratio, quae diuerſitas ab aetate, ſexu, temperie, corporis habitu, victu ceterisque rebus, quas vulgo ſex nonnaturales nominant, cubitu [a]) hominis, caelo, annique tempore rel. proueniat. Haec enim ſingula, etiamſi leuiſſima videantur, pulſum modo concitare, modo reſoluere poſſunt, et GALENO [b]) iudice, ſolet *nihil perinde facere ad dignoſcendos pulſus, vt pulſus natiui, quem quisque habet, notitiam.*

v. *Gottl. Sigm. Schneider* Diff. *Aduerſaria de pulſu*, Lipſ. 1763. Ill. *Zimmermann* l. c. p. 354 ſequ.

7) Vt videamus, arteriae concitatiores a medicamento ſint, nec ne, ab mali exacerbatione iſta fiant, an remiſſione, pulſus cuique morborum generi variisque ſtadiis proprii adſint, nec ne. Sic, vt hoc vtar, in febrium acutarum principio *pulſus* vtplurimum obſeruatur *celer, paruus, durus*; in incremento *celer, durus, plenior;* denique ad finem

z) L. Praeſ. ex Pulſ. I. 4. p. 416.
a) *Haen.* Rat. Med. P. XII. p. 57 ſequ.
b) L. cit. II. 11. p. 440.

nem *mollis et plenus*, exindeque fauſta quaeuis auguramur. At e contrariis contraria.

8) Caue, ne vni pulſui temere fidas, ſiquidem etiamſi ille bonus, aequabilis moderatusque deprehendatur, morbus veluti per inſidias agere neruosque oppugnare poteſt, ideoque aeger, necopinante medico, mori. Qua ex imprudentia forte natum eſt tritum illud falſumque dicterium, pulſus mendaces eſſe, vt medicos.

v. *Buchner* Diſſ. de pulſu, vt ſigno fallaci, Hal. 1758.

9) Vide, ne FLOYERI c) atque HAENII operam et accurationem rideas, qui ad horologia pulſum cognoſcendum percontandumque cenſuerunt, modo probe perſpectum habeas, qui pulſus ſit naturalis, qui morboſus cet.

SUBSECTIO III.

DE PRAECIPUIS PULSIBUS GALENICIS.

§. 144.

Mira eſt eorum pulſuum, qui GALENO debentur, et ad noſtra vſque tempora fere ſubſtiterunt, varietas atque multitudo. Qui vbi plurimis recentiorum medicorum videbantur ſubtilius excogitati, et operoſius explicati, factum eſt, vt ſenſim pedetentimque a placitis eius deflecterent tandemque re ipſa deſciſcerent: vnde non poterant non illi vileſcere atque in deſuetudinem abire. Sed, me quidem iudice, negligenda iſta Galenicorum pulſuum doctrina omnis non eſt, primum quia illa, tanquam prin-

c) In L. The Phyſic. Pulſe-Watch etc. Lond. 1708. 8. et in Act. Erud. Lipſ. 1710. p. 4.

princeps firmiſſimumque fundamentum, conſiderari debet, cui poſteriores medici ſuas obſeruationes fultas voluerunt; deinde quia plurimae pulſuum formae atque deſcriptiones naturae experientiaeque ſatis reſpondent; denique quia haud pauci *pulſuum organicorum*, quos nuper Cl. FOUQUETUS iterum in medicinam induxit, iam a GALENO commemorantur.

§. 145.

Diuiduntur vero omnes omnino pulſus ex GALENI *d*) doctrina in *nouem genera*, et diſtinguuntur a ſe inuicem

I) *Quantitate diſtenſionis*, tuncque *pulſus* eſt *magnus*, *paruus*, *mediocris*; quorum quiſque iterum habetur *longus*, *latus*, *profundus*, *anguſtus*, *breuis* et *humilis*. Idem fere ſignificare videntur *pulſus gracilis* ſ. *tenuis*, *craſſus* ſ. *turgidus*.

II) *Qualitate motus:* Hinc *celer*, *tardus*, *medius* ſ. *moderatus*, iique ex ſola naturali conditione aeſtimari diiudicarique debent.

III) *Qualitate ictus*, ideoque oritur *pulſus vehemens* ſ. *validus*, qualis vt plurimum iudicationem *e*) praecurrit, *languidus* ſ. *imbecillus*, aut *remiſſus*, tandem *mediocris*.

IIII) *Qualitate arteriae*. Hinc *pulſus plenus vacuus* et *medius*, vt iuniores medici ſtatuerunt; at GALENO *f*) nominandi potius hac de cauſſa videntur *pulſus durus et mollis*, eoque auctore, durus aeque ac paruus citiſſime omnium in vibratum transformatur.

V) *Tem-*

d) L. de Pulſ. ad tyron. c. 2 ſequ. p. 166. et de Differ. Pulſ. I. 4. p. 182. IV.
e) *Galen.* de Cauſſ. Pulſ. IV. 1. p. 385.
f) Praeſ. ex Pulſ. I. 4. p. 416.

V) *Tempore quietis* ſ. *interualli*, vnde *creber* ſ. *frequens*, *rarus* atque *medius* naſcitur.

VI) *Arteriarum dimenſione* ſ. *plenitudine ac vacuitate*. His vere conſtat *pulſus plenus et vacuus*.

VII) *Ratione rythmi* ſ. *ordinis*, quo pulſus ſe excipiunt; Hinc *pulſus* εὔρυθμος *et* ἄρυθμος, latine *conſonus* et *diſſonus*, itemque *ordinem ſeruans* aut *ordine turbato fluens*. Variae formae numerantur, ita tamen, vt prior vnus ſit, poſterior vero παράρυθμος, ἑτερόρυθμος, ἔκρυθμος; ſed haec, quoniam ſubtiliora ſunt, negligenda putamus.

VIII. et IX) *Ratione aequalitatis* pulſus eſt *aequalis* et *inaequalis*, iſtaque inaequalitas ictuum cernitur ſecundum GALENUM [g]) aut *vno ictu*, aut *aceruo* quodam, eamque appellat *ſyſtematicam*. Qua ex ictuum diuerſitate formae haud paucae fereque innumerabiles oriri poſſunt, prouti alter alterum aut celeriter aſſequitur, aut tardius, ideoque ſi vno ictu impar eſt, *inaequalis vno ictu* nominandus erit cet. Huc pertinent

a) *Ordinatus* i. e. qui circulatim par eſt, et *inordinatus*, qui abſolute impar [h]). Cuius perturbationis cum multae cauſſae cogitari poſſint, ſine illarum cognitione indicium omne haud raro anceps eſt, et ſi adiunctum pulſum vehementem habet, et ſigna coctionis praeceſſerunt, aequalis ſit, an inaequalis, perinde eſt, et iudicatio [i]) exſpectanda.

b) *Impar citatus* ſ. *caprizans*.

c) *Myu-*

g) Ibid. II. 4. p. 425.

h) *Galen.* Cauſſ. Pulſ. II. 14. p. 368.

i) Ibid. Praeſ. ex Pulſ. II. 13. p. 442.

c) *Myurus*, ſub quo etiam comprehenditur veterum *decurtatus deficiens*. Nam dum pulſus ſenſim decreſcunt atque imminuuntur, in quietem prorſum recidunt, tandemque motum omnem amittunt. Qua de cauſſa *decurtatus deficiens* [k]) extremae imbecillitatis index eſt. Qui ſi denuo quaſi excitatur et increſcit, dicitur

d) *Reciprocus decurtatus*. Contra ſi paruus aliquamdiu permanet, et arteria poſt trium quatuorue ſuccuſſuum defectionem iterum agitari coepit, appellatur

e) *Reciprocus deficiens*.

f) *Dicrotus* ex pluribus conflatus. Hi ab aliquibus *ſimplices inaequales* nominantur, et in *compoſitis inaequalibus* collocantur.

g) *Vndoſus*, *vermiculans*, *formicans*, *hecticus*, *conuulſiuus*, *vibratus*.

h) *Serratus*. Poſt hos etiam ſequuntur

i) *Altus et humilis*, *latus et anguſtus*, *longus et breuis* [l]). Hinc *pulſus naturalis* ſecundum GALENUM ſemper eſſe debet et *altior*, isque propter menſuram difficilem *moderatus* dicitur, et *latior* rel. Hinc proprius *irae pulſus altus* eſt, itemque qui iudicationes morborum praecurrit; at qui cum egeſtionibus decretoriis apparet, vt plurimum *latus* deprehenditur, nec in eo multum a *magno et pleno* abhorrere videtur.

k) *Cir-*

k) *Galen.* Diff. Pulſ. I. 10. p. 190. De Cauſſ. Pulſ. II. 3. p. 356. et Praeſ. ex Pulſ. II. 10. p. 438.

l) De Cauſſ. Pulſ. II. 13. p. 364.

k) *Circumnuens et innuens* ARCHIGENIS i. e. decurtatus in vtraque parte et veluti partibus vtrinque inflexis contractus [m]), ſiue vt alio loco explicatur, qui *decurtatus magnitudine in vno ictu* eſt, quo ſine dubio diſtentionis breuitatem cum vtriusque extremitatis quaſi inclinatione declarare voluit.

§. 146.

Neque vero hos GALENI pulſus principes nominaſſe ſufficiat, ſed etiam quid et quatenus morborum naturam et finem qualemcunque indicent, bene reique peraccommodate magnus ille ſeculorum magiſter demonſtrauit. Nobis quoniam non licet eſſe longioribus, lectores rerum talium cupidos ad ipſum auctorem amandamus.

v. L. de Cauſſ. Pulſ. I. 3. p. 338 ſequ. in primis L. de Praeſag. ex Pulſ. II. 1. p. 423. ſequ. IV.

§. 147.

Porro et illud GALENO quaſi proprium eſt, quod varias *pulſus mutationes* ad viuum deſcribit, ſiue *naturales* ſint, ſiue *praeternaturales*, ſiue tandem *mediae*, quae ab *aetate*, *ſexu*, *temperie*, *victu* ceterarumque *rerum ſex nonnaturalium*, quas vocant, *vſu* [n]), *caelo*, *anni tempore* atque *tempeſtatum viciſſitudine* proueniunt. Quid? quod ipſos *pulſus cuique morbo* veluti *natiuos* ſic expreſſit, nihil vt magis naturae conſentaneum eſſe videatur, etſi (fatebor enim) ad id efficiendum haud exiguam ſubtilitatem e ſchola Peripateticorum repetendam adhibuit. Sic v. c. commemorat *pulſum doloris*, *inflammationis*, eumque

m) *Galen.* ibid. IV. 9. p. 391. cf. c. 10. p. 392.
n) L. Cauſſ. Pulſ. III. 1. p. 369 ſequ.

eumque vnicuique eius formae appoſitum, *pulſum lethargicorum*, *phreniticorum*, *pleuriticorum*, *peripneumonicorum*, *ſuppuratorum*, *marceſcentium* ſ. *tabidorum*, *phthiſicorum* rel. Quae certe morborum naturae atque experientiae non repugnant. Sed eamus per ſingula.

§. 148.

Debet igitur *ſanorum pulſus*, auctore GALENO o), ſi qui corpore ſunt firmo et natura temperata, itemque aetate florentes, nec animi perturbationi obnoxii, *vehemens et magnus* eſſe; in *viris* p) vero longe maior et vehementior, paullo tardior et rarior, quam in mulieribus, ſimiliterque iis, qui *calidiores* ſunt, maior, celerior, crebrior, nec adeo vehemens, at *gracilioribus* maior et rarior, paullulumque vehementior. Sic *infantes* habent pulſum celerrimum, creberrimum, et paullo elatiorem: *ſenes* tardum, debilem, paruum et rariſſimum, et ſi qui inter hos *medii* ſunt, ſecundum aetatem, a qua propius abſunt, varie temperantur, ita tamen, vt magnus atque vehementiſſimus potiſſimum deprehendatur. Hinc etiam *iuuenum pulſus*, ſi vehementiam et magnitudinem ſpectes, maximus eſt atque vehementiſſimus, *ſenum* debiliſſimus minimusque, paullo maior *puerorum* ac veluti inter illos medius. *Praegnantium* denique *feminarum* pulſus maiores, crebriores, celerioresque ſunt; ceteri modi ab aetate pendent.

§. 149.

Poſt *coenam lautam* vel *largam* ſequetur *pulſus magis acceleratus et creber* ſecundum ARCHIGENEM,

o) De Dignot. Pulſ. I. 6. p. 282.
p) De Pulſ. ad tyr. c. 10. p. 169 ſequ. et Cauſſ. Pulſ. III. 1. p. 369. cf. *Schwencke* Haemat. c. 4. p. 45.

NEM, at ſecundum GALENUM *inaequalis* et *inordinatus;* Vterque ſatis vere, dum ea, quae ſaepius adiuncta ſunt, diligenter conſideres. Nam a *moderato cibo* magnus, vehemens, celer et frequens erit; a *parciori* paruus quaſique debilitatus, a *vino* celerrimus, frequens, magnus, facile deferueſcens et ad ſtatas naturae leges compoſitus; denique ab *aqua* non valde commutatur. Sin vero *alimenti copia nulla* eſt, ſubnaſcitur primum pulſus debilis, paruus, celer et frequens, poſt languidus, paruus, tardus ac rarus, tandem minimus, debiliſſimus, creberrimus, celerrimus et vere formicans.

§. 150.

Ab *exercitatione corporis moderata* pulſum fieri vehementem, magnum, celerem atque frequentem exiſtimat; at ſi *multa* eſt, et vires fere excedit, paruum, debilem, celerem atque creberrimum; denique ſi *nimia*, perparuum, debilem, tardum et rarum.

§. 151.

Balnea modice calida efficiunt pulſum magnum et vehementem, celerem, frequentem; contra *nimis calida*, paruum, debilem, celerem atque crebrum, atque ſi corpora diutius iis exponantur, paruum, debilem, tardum et rarum. Contraria illis ſunt *balnea frigida:* Quae vbi diligenter adhibueris, pulſum deprehendes paruum, debilem, tardum, rarum, ea tamen lege atque conditione, vt, niſi tardius, ac opus eſt, inde exceſſeris, robur corporis q) ſequatur pulſusque magnus et vehemens, celerior frequen-

q) *Hipp.* L. de Humid. Vſu §. 10. 11. p. 605. T. I. ed. *Lind. Vitruu.* Architect. VIII. 3. et noſtra aetate clariſſimi quique Anglorum medici ſimilia docuerunt.

quentiorque: at ſi contra fiat, torpor, ac pulſus paruus, debilior, tardus et rarus.

§. 152.

Mire etiam pulſus mutari ſolet ab *animi motibus;* In quibus quoniam eminent *laetitia*, *moeror*, *ira*, *timor*, variam illorum naturam, GALENO r) duce atque magiſtro, paucis explicare placet. Eſt igitur pulſus, dum *laetamur*, magnus, rarus et vehemens, at dum *moerore conficimur*, debilis, paruus, tardus et rarus: Itemque dum *iraſcimur*, altus, magnus, vehemens, celer, frequens; contra dum magnum vel imminens periculum *timemus*, celer, debilis, paruus ſ. humilis, tardus, vibratus, inordinatus et inaequalis; at ſi malum inueteratum ac velut immedicabile, fere talis, qualis triſtitiae pulſus eſt. A *dolore paruo* fit maior, vehementior, frequentior, celerior; ab *magno*, minor, debilior, celer et frequens, idque eo magis, quo diutius ille hominem exercet. Reſtat *pulſus amoris*, qui, auctore GALENO s), nullus eſt, quoniam ab amicae adſpectu pulſus quidem inordinatus et inaequalis gigni et paullo poſt ad naturalem formam redire poſſe videtur, ſed numquis alius tunc temporis commotionum animi pulſus futurus eſt? Quare peraccommodate: *Nugae ſunt*, inquit ille t), *pulſus amatorio modo moueri eorum, qui non ſciunt, nullum pulſum amorem indicare, verum, turbata anima ob rem aliquam, pulſus alterari ita, vt neque aequalitatem ſecundum naturam, neque ordinem conſeruent.*

r) L. cit. c. 12. p. 172. et Cauſſ. Pulſ. IV. 2. p. 385 ſq.

s) In Prognoſt. *Hipp.* Comm. I. Text. 11. p. 738. IV.

t) In L. Praenot. c. 6. p. 832. IV. cf. *Struth.* Art. Sphygm. IV. 14. p. 217 ſequ.

§. 153.

Pulſus a ſomno primum minor eſt, debilior, tardior, rarior; deinde ſenſim pedetentimque augetur tarditas atque raritudo, itemque magnitudo et vehementia; tandem remittunt, et parui, tardi rarique fiunt. *Poſt ſomnum* vero dum homo ſurrexerit, e veſtigio magni, fortes, celeres, crebri et quodammodo vibrantes proueniunt, breuique intra mediocritatem conſiſtunt. Vnde colligitur, pulſum etiam ab *corporis habitu* mutato mutari multifariam poſſe.

§. 154.

Sunt porro *pulſus pro anni temporibus* variis varii, obſeruanturque illi *vere medio et autumno* maximi vehementiſſimique, moderate celeres, ac crebri, et ſenſim, prouti ver *aeſtati* cedit, multa magnitudinis ac vehementiae pars demitur, celeritas crebritasque increſcit; tandem *aeſtate ineunte*, debiles, parui, celeres crebrique pulſus fiunt. Contra ſub *autumno adulto* magnitudo, vehementia, celeritas crebritasque decreſcit, eoque magis in paruum, remiſſum, rarum et tardum transformatur, quo propius a *hieme* abeſt. A quo nec multum diſſentit SCHWENCKE [u]), quoniam pulſus *hieme* magnus et tardus, haud raro ſimul durus eſſe videtur, cum maxime dum homo quieſcit, *vere* magnus paullumque celerior, *aeſtate* crebrior et debilior, *autumno* tardior atque mollior. Ex his *medii* cuiusque *anni temporis pulſus* facillime intelligi poterunt, ſiquidem media aeſtate reperiuntur parui et debiles, celeres ac crebri, hieme vero parui et debiles, itemque tardi et rari. Similiter pro *caeli diuerſitate* diuerſi etiam pulſus deprehenduntur, et fere, quales hieme, aeſtate

u) Haematol. c. 3. p. 35.

ſtate aut medio vere ſunt, nec non identidem ab aere ambeunte permutantur. In his tamen, vt recte GALENUS v) monet, ſpectanda potiſſimum cuiusque natura eſt.

§. 155.

In *morbis* etiam pulſus multifariam a lege naturali recedere et poteſt, et ſolet. Eſt igitur in quauis *inflammatione* velut ſerratus, vibratus, durus, celer, creber, nonnunquam magnus, ita quidem, vt ſuus cuique inflammationis ſpeciei et proprius eſſe videatur. Etenim dum oritur inflammatio, fit illico iuſto maior et vehementior, celerior, frequentior, poſt vero, vbi increſcit, durior et magis vibratus, tandem in ſummo morbo eo magis talis apparet, ſed longe minor, frequentior, et celer eſt, non autem debilior. Sin vero conſiſtit inflammatio, et in ſcirrhum degenerat, gracilis fit et durus. Similis etiam, dum membrum aliquod infeſtat, cetero corpore fere immuni, in loco affecto detegitur, etſi iſta pro varia cauſſarum natura et inflammationis magnitudine variare debent. Sic enim a *febre tertiana* et quauis alia *diaria ex bubone* w) maximus vehentiſſimusque pulſus eſt.

§. 156.

Pulſus lethargicorum eſt magnus, mollis, debilis et remiſſus, et pulſui peripneumonicorum non abſimilis, ſed paullo tardior, rarior, minus inaequalis, magis intermittens, quam intercurrens, interdum dicrotus, et vndoſus, ſemper in alto ſopore deprehenditur, nec niſi molliter arteria compreſſa, facile internoſcitur x). At in *catocho* ſ. *catalepſi* magnus

v) L. Dignot. Pulſ. II. 3. p. 304.
w) Ibid. I. 6. p. 282.
x) Ibid. I. 1. p. 274.

gnus eſt, tardus, frequens, vt in lethargicis, ſed nec imbecillus, nec mollis, etiamſi aequalis.

§. 157.

Phreniticorum pulſus eſt paruus, perraro magnus, durus, neruoſus, celerrimus, creberrimusque, ex parte vndoſus ac tremens, et conuulſiuus mireque inaequalis. Qui quo magis increbreſcit, eo magis praenunciat ſyncopen mortemque imminentem. Perraro vere vndoſus fit, at fauſto cum omine *y*).

§. 158.

Pleuriticis pulſus ineſt celer et frequens, nec adeo magnus, interdum vehemens, itemque durus ſerratusque eſt, varieque mutatur, prouti res aegri aut in peius ruunt, aut ſalutem portendunt. At *peripneumonicorum* proprius *pulſus* eſt magnus et quodammodo vndoſus, debilis, mollis et fere talis, qualem lethargicorum eſſe diximus, ſed magis inaequalis, ac veluti interpellatus, dicrotus, haud raro intermittens ac intercurrens.

§. 159.

Suppurati pulſum habent primo eum, qui cum vigente inflammatione vrget, nonnunquam inaequalem et inordinatum, ſemper tamen hecticum; deinde vbi pus maturuit, aequaliorem, tandemque, eruptione facta, languidiorem, latiorem, tardiorem, rariorem.

§. 160.

Marceſcentium ſ. *tabidorum pulſus* varius ob variam cauſſam eſſe debet. Nam ſi ab inflammatione quadam reſidua, nec rite perſanata proficiſcitur, languidus erit, celerior, crebrior, decurtatus vno ictu

y) *Galen.* de Cauſſ. Pulſ. IV. 14. p. 394.

ictu [z]) et hecticus: Si ab ebrioſitate aut ſyncope ſtomachica, hecticus, debilis, creberrimus, innuens; Si denique febrem inſequitur, et debilitati corporis vniuerſi debetur, rarus, qualis ſenum eſt, adiuncta quadam febrili pulſus duritie. Ab hoc non multum diſſidet *pulſus phthiſicorum*, qui paruus, debilis, mollis, modice celer et hecticus obſeruatur, quippe talis cuique marcoris ac tabis generi ineſſe ſolet.

§. 161.

Pulſus eorum, qui *angina* excruciantur, tenſus eſt et conuulſiuo perſimilis, magnus atque vndoſus, et dum *ſuffocatio* exercet, paruus et rarus, in *moribundis* creber ac inaequalis. *Conuulſiuus* vero ille, quem modo nominaui, ſecundum GALENUM vere inaequalis eſt, haſtae vibratae non diſſimilis, modo celer, modo tardus, moderate vehemens, magnus, nec imbecillus, nec paruus, difficulter tamen explicari poteſt. In eo *ſpirationis difficilis* genere, quam *ὀρθόπνοιαν acutam* appellat, reperitur inaequalis, inordinatus, nonnihil deficiens: Quae ſi mediocriter vrget, creber eſt; Sin vero grauiter, tardus atque deficiens, tandemque ſi iugulat, creber ac debilis.

§. 162.

Reſolutis [a]) pulſus ineſt paruus, debilis, tardus, interdum rarus aut frequens, inordinate intermittens.

§. 163.

Stomachi affecti pulſus pro laeſione varia varius obſeruatur. Etenim ab roſione, nauſea, vomitu, ſingultu, paruus et debilis, paullo celerior atque creberrimus; a compreſſione ſola, itemque illa

 famis

z) Ibid. c. 10. p. 392.
a) Ibid. c. 17. p. 396.

famis perinſignis forma, quam *βϐλίμον* nominant, rarus, tardus, paruus, debilis, et ſi malum diutius conſiſtat, atque exacerbetur, in vermiculantem transformatur. At in *hyſtericis* tenſus perſentitur, et talis, qualis in iis eſt, qui conuelluntur, ac rarus, haud raro dum vteri ſtrangulatio nimis vrget, frequens, inordinatus, nonnihil deficiens. *Morbum arquatum*, ſi citra febrim eſt, pulſus comitatur minor, durior, crebrior, neque debilis, nec celer. Similiter *pulſus hydropicorum* pro hydrope vario varius deprehenditur. Nam in *anaſarca* latior, mollis vndoſusque eſt; in *aſcite* paruus, crebrior, ſubdurus, et magnam partem tenſus; tandem in *tympanite* longus, fortis, celerior, creber, ſubdurus, et ex parte intentus apparet.

§. 164.

Ex his, quae adhuc, tanquam pulſuum Galenicorum ſpecimina, danda exiſtimauimus, ſatis ſuperque patet, non ſpernendam omnem magni huius medici operam et diligentiam eſſe, multumque vtilitatis ac commodi exinde peti hodienum poſſe, modo medici praeiudicatam ſubtilitatis opinionem fouere deſinant, eiusque monimenta diurna nocturnaque manu verſare velint. Accedit, quod recentiores quidam medici, Cl. FOUQUETUS [b]), WETSCHIUS [c]) rel. GALENUM [d]) identidem, tanquam auctorem, inuentorem et quaſi architectum *pulſuum organicorum* ſ. *non criticorum* nominant. Sed de his paullo poſt pluribus. Commemorauit enim

b) Eſſai ſur le pouls, Montp. 1767. v. Diſcours préliminaire, p. 21 et 31.

c) Medicina ex pulſu, v. Praefat. p. 12 ſequ. et in ipſo opere pluries.

d) De Pulſ. ad tyron. c. 14. p. 173 ſequ.

enim bonus GALENUS praeter illas pulſuum formas, quas ſuperius diximus ab hominum noſtrorum decretis non abhorrere, etiam *pulſus virorum mulierumque* e) *naturales* cet. *pulſus nonnaturales* v. c. ab egeſtionibus, aſſumtis, balneis rel. *pulſus praeternaturales* v. c. ab motibus animi f), denique *pulſus organorum* ſ. *viſcerum* quaſi proprios, ſic, vt etiam afferat *pulſus anginoſorum*, *anhelatorum et pulmonariorum*, *ſtomachicorum*, qualis in imperatore AURELIANO reperiebatur, *ſplenicorum*, *ictericorum*, *hydropicorum*, *elephantiacorum*, *pulſus ab veratro ſumto* g) cet. Aliquos enim eorum iam ſupra commemorauimus ad perſpiciendam ingenii Galenici vim atque poteſtatem. Huc etiam ſine dubio referenda videtur AETII h) diuiſio, dum *pulſum motus verſus exteriora corporis* et *pulſum motus verſus interiora* a ſe inuicem diſcernit. Ille elatior, fortis, celer, latior eſſe dicitur, atque tum potiſſimum perſentiri poſſe, vbi ſanguinis per nares profluuium, ſudor rel. imminent; hic vero durus, inaequalis vnaque fortis eſt, adiunctamque habet celerrimam arteriae contractionem, ſemperque deſignat vacuationes per vomitum, aluum cet.

§. 165.

In hiſce GALENI placitis quodammodo emendandis ac corrigendis multus olim fuit IOSEPHUS STRUTHIUS, ideoque iam paucis viam et rationem, quam potiſſimum ſecutus eſt, adduxiſſe ſufficiat.

v. IOS.

e) De Pulſ. ad tyron. c. 9. p. 169. et de Cauſſ. Pulſ. III. 1. p. 370.

f) Ibid c. 12. p. 171 ſequ.

g) L. de Pulſ. ad tyron. c. 12. p. 177 ſq. et omnium optime. L. de Cauſſ. Pulſ. IV. 20. p. 397. *Actuar.* Meth. Med. I. 9.

h) Ap. *Fouquet* in Diſc. Prélim. p. 33 ſequ.

v. IOS. STRUTHII *Ars ſphygmica ſeu pulſuum doctrina ſupra M. CC. annos perdita et deſiderata, omnibus tamen medicinam cum nominis celebritate maximaque vtilitate facere volentibus ſumme neceſſaria.* Baſil. 1602.

§. 166.

Sunt ergo *pulſus* in vniuerſum omnes vel *ſimplices*, vel *compoſiti*, vel *cum relatione.* Aeſtimantur vero *ſimplices*

1) *Quantitate diſtenſionis;* Hinc pulſus *magnus*, *mediocris*, *paruus.*
2) *Qualitate motus;* hinc *celer*, *mediocris*, *tardus.*
3) *Quantitate temporis* ſ. *quietis:* hinc *creber*, *mediocris*, *rarus.*
4) *Qualitate virtutis;* hinc *vehemens*, *mediocris*, *languidus.*
5) *Qualitate arteriae;* hinc *mollis*, *mediocris*, *durus.*

Ex his multifariam inter ſe iunctis oriuntur *pulſus compoſiti*, quos tabula expreſſit STRUTHIUS [i]). At *relationes pulſuum* dicuntur *ordo et ataxia, i. e. ordinis perturbatio*, *rythmus*, *aequalitas et inaequalitas*, iisque amplius immorari nec lubet, nec licet.

§. 167.

Habet praeterea STRUTHIUS haud pauca, eaque perappoſita de *pulſibus organicis*, vt recentiores *Francogalli* iſta tantum recoxiſſe, paullulum immutaſſe, probabiliusque in ea argumentati fuiſſe videantur. Sic *pulſus aetatum* [k]), *ſexus*, *temperiei* cet. docuit, ſed etiam quomodo cum *inſtrumentis*

i) Art. Sphygm. I. 4. p. 8 ſequ.

k) L. cit. IV. 1. p. 185 ſequ.

mentis ſ. *viſceribus* l) affectis pulſus commutetur, quo pulſus ſigno quaeuis eorum perturbatio a ceteris internoſcatur rel. perdocte magnaque cum ingenii et dicendi orationis vbertate demonſtrauit. Accedit, quod multis in locis a GALENI decretis deflectit, eumque, vbi errauit, ad naturam quaſi reducit. Quare ſi qui feliciter in intelligenda pulſuum Galenicorum doctrina verſari voluerit, neceſſe eſt, ſemper ad manus habeat STRUTHIUM, monitorem, correctorem, ac ducem ſecuriorem minusque obſcurum.

SUBSECTIO IIII.

DE PULSIBUS NUPER EXCOGITATIS SIUE ORGANICIS.

§. 168.

Nunc nuper noua pulſuum doctrina in medicinam inducta eſt, eaque ſub auctoribus *Franciſco Solano de Luques*, Hiſpano, eiusque interprete *Iac. Nihell*, *Theoph. Bordeuio*, *Henr. Fouqueto*, *Michelo*, *Dan. Cox*, *Milcolomb. Fleming*, *Io. Ioſ. Menuret*, *Lecamus*, *Balme*, *Wetſchio* rel. Quae quoniam noua eſt, et a ſuetis artis medicinalis placitis, incredibile, quantum abhorret,

Laudatur ab his, *culpatur ab illis.* Hinc non poſſum non iſta fideliter diligenterque percenſere, ne qua cui iniuriam temere intuliſſe videar.

v. *Solani* L. cui nomen eſt *Lapis Lydius Apollinis*, quem anglice edendum curauit *Iac. Nihell* ſub hoc titulo: New and extraordinary Obſervations concerning the Prediction of various Criſes

l) Ibid. c. 16. p. 221 ſequ. vbi omnes et ſinguli multis explicantur.

Criſes by the Pulſe, undependent of the critical Signs delivered by the Ancients; made firſt by DON FRANCISCO SOLANO DE LUGUE, and ſubſequently by ſeveral other Phyſicians, illuſtrated with new Caſes and Remarks, to which are added ſome generale Hints on the nature, the ancient Obſervance, and modern neglect of Criſes, by IAMES NIHELL, London 1741. 8. latine *Guil. Noortwyk* medicus Leidenſis 1746. gallice *de la Virotte, Obſervations nouvelles et extraordinaires ſur la prédiction des criſes* etc. *par Solano de Luques, enrichies de pluſieurs cas nouveaux par M. Nihell*, à Paris chez *Debure l'ainé* 1748.

Don Manuel Gutierrez de los Rios Idioma de la naturaleza, con el qual enſenna al medico como ha de curar con acierto los morbos agudos etc. Madrit 1737.

Don Iuan Luis Roche Nuevas y raras obſervationes para prognoſticar las criſes por el Pulſo, ſin alguna dependencia de las ſennales criticas de los antivos, Madrit 1762. 4.

Theoph. de Bordeu Recherches ſur le pouls par rapport aux criſes, ſec. Edit. à Paris 1768. T. I. II.

Henri Fouquet Eſſai ſur le pouls par rapport aux affections des principaux organes, avec des figures, qui repréſentent les caracteres du pouls dans ces affections etc. *à Montpell.* 1767.

Michel Nouvelles Obſervations ſur le pouls par rapport aux criſes, à Paris 1757.

Cox Nouvelles obſervations ſur le pouls intermittent, qui indique l'uſage des purgatifs -- ouvrage traduit et augmenté de quelques remarques etc. *à Amſterd.* 1760.

Milc.

Milc. Fleming Diſſertation ſur les decouvertes de Francois Solano, concernant les modifications du pouls, et les prognoſtics, qu'on peut en tirer, à Londres 1753. ad calc. Op. *Fouquet.*

Wetſch Medicina ex pulſu ſiue ſyſtema doctrinae ſphygmicae, Vindobon. 1770.

Soleilhet Epiſtola ad Cl. Roux - - circa annotationes nouae pulſuum doctrinae vtiles, quas nuper iuris publici fecit Cl. de Haen - ex gall. in lat. lingu. verſa cum praef. Ioſ. Hüttenbacher, Vindob. 1770. Haec vero v. ap. HAENIUM Rat. Med. T. XII. c. 3. p. 89 ſequ. Huc etiam ob quandam argumenti ſimilitudinem referendus videtur MARQUETI libellus, *Nouvelle methode pour apprendre à connoitre le pouls de l'homme par les notes de muſique, à Nancy* 1747.

§. 169.

Sunt vero iſta pulſuum organicorum genera cognitu et explicatu difficilia, eamque ob cauſſam fidum et exercitatum magiſtrum deſiderant, ac, bene monente WETSCHIO m), *liberum a praeiudicata opinione animum, attentionis et inſignis induſtriae capacem, patientiam atque tempus. Magnum noſocomium omni ſubiectorum et aegrorum genere refertum optima eſt artis huius ſchola et vnica.* Et alio loco: *Studium, induſtria, patientia, tempus, exercitium ſtrictaque regularum dicendarum obſeruatio, minime doctis etiam ceterum medicis ſpem faciunt in arte hac proficiendi* cet. Ex his conficitur, doctos digitos habere oportuiſſe medicum, qui bono cum euentu morbos eorumque ſedem hac via et ratione praedicere voluerit.

§. 170.

m) Medic. ex Pulſ. c. 1. p. 6 et 9 ſequ.

§. 170.

Sed ante, quam ad explorationem aeſtimationemque iſtorum pulſuum accedatur, qui hoc potiſſimum nituntur fundamento, quod, GALENO [n]) auctore, poſſit in viſcere aliquo affectio eſſe, arteriarumque motus mire variare, corde immuni, vide, quaeſo,

1) Ne illos tam certos, quam qui certiſſimi ſunt, exiſtimes. Etenim *pulſus organici*, teſte WETSCHIO [o]), nec proprii adeo, nec ſtabiles atque immutabiles, quoniam in quibusdam viſceribus v. c. renibus, naturalibus, artubus rel. ſigna tuta et indubitata deſunt, ideoque ſaepius, et praeſertim in adultioribus, explorari debent: nam in infantibus atque ſenibus diſcrepantia [p]) haud raro obtinet.

2) Vide, in quos homines incidas. In iis enim, qui genus irritabile ſunt, neruorum ſenſu exquiſitiori, maloque corporis habitu laborant, aut cum morbis malignis conflictantur, *pulſus fere ſemper eſt acriticus* [q]), *fere plane non explicatus, contractus, conuulſiuus, variabilis, inconſtans, parum fixus, et licet quandoque criticus videatur, tamen non ſequitur euacuatio critica indicata.*

3) Vide, ne illas pulſus mutationes temere negligas, quae ab aetate, ſexu, digeſtione, habitu corporis naturali aut morboſo fiunt, i. e. inordinatus, intermittens, falſus, citra morbum vel ab animi motibus proficiſcens cet.

4) Ca-

n) Praeſag. ex Pulſ. IV. Prooem. p. 461 ſequ. IV.
o) L. cit. c. 2. p. 11 ſequ.
p) *Bordeu.* Recherches T. II. c. 3. p. 128 ſequ.
q) *Bord.* l. c. T. I. c. 28. p. 276. et T. II. c. 3. p. 138. *Wetſch* l. c. p. 12 ſequ.

4) Caue, ne varia morborum ſtadia aut medicamenta dedigneris: Multum enim ad bene iudicandum praeſagiendumque ſcire intereſt, vtrum res ad ſummum perducta ſit, an exacerbatio immineat, an res quaedam externae v. c. balnea, motus corporis animiue, veſicantia, vlcera, hominem affecerint rel.

5) Sunt denique, in quibus pulſus ſemper reperiatur inordinatus v. c. in malo arteriae poſitu mutataue natura rel. ideoque propter vitium fixum neceſſe eſt ſueta natura lex in pulſibus organicis formandis abrogetur.

§. 171.

Sunt porro hae cautiones medico perneceſſariae ad pulſus nouos feliciter detegendos,

1) Ne protinus, vt ventum eſt, manu brachium aegri apprehendat, ſed ante leniat probabili ſermone animum.

2) Vt pulſum aegri naturalem perſpectum cognitumque habeat, mediocriter caleat, nec digitos calloſos ad explorandum adhibeat.

3) Vt medicus, ſilentio impoſito et quiete imperata, aegroto ſedente aut reſupinato, capite paullulum erecto, dextram ſuam aegri ſiniſtrae, ſiniſtram vero dextrae eius admoueat, digitis quatuor arteriae aequabiliter impoſitis, (v. Fig. I. Tab. II.) indice pone apophyſin ſtyloidem quieſcente, ſiue, vt paucis complectar, *ambidexter* ſit. Hoc enim perneceſſarium eſt ad pulſus organicos inueniendos. At *ſpatium* illud digitis comprehenſum a Cl. FOVQVETO r) dicitur *ſpatium pulſans.* De reliquis digitorum applicandorum modis coram.

4) Vt

r) L. cit. p. 4.

4) Vt diu ac ſaepius in vtroque aegri carpo aliquam ictuum ſeriem, certe ad quinquaginta [s]) vſque, omni, qua fieri poteſt, diligentia, accuratione, attentione, exploremus, idque manu ac digitis aegroti extentis et porrectis, nec inflexis, medici autem digitis modo fortiter, modo molliter appoſitis. Nam ſine hac cautione identidem labi et falli debet medicus, v. c. in dicroto ac intermittente.

§. 172.

Iam ad hanc pulſuum nouorum doctrinam intelligendam propius accedamus. Habent igitur eius patroni praecipua illa genera, quae ſupra commemoranda duximus, mutato licet nomine vulgari ac ordine, ideoque illis immorari nec licet, nec lubet. Habent etiam pulſus permultos Galenicos, puta *naturales* ſ. *ſanitatis et perfectum adultorum*, qui ſecundum BORDEVIVM [t]) eſt *aequalis quoad interualla et pulſuum numerum, mollis, lenis, liber, non frequens aut lentus, viuidus, nec adeo fortis nominandus*, at ſecundum FOVQVETVM [u]) aut vere organicus, aut certe non multum ab eo diſſentiens. Quo etiam pertinent *pulſus ſexus, temperiei, aetatis, ſtaturae, ſomni, temporum anni, regionum, aeris denique ſpirabilis;* deinde *nonnaturales*, quales oriuntur ab *exercitationibus, balneis, cibis ac potionibus, ſitu corporis* cet. denique *praeternaturales*, qui animi motus et *morbos* inſequuntur. Hinc apud BORDEVIVM [v]) diuiduntur *pulſus* omnes in *pulſum irritationis, neruoſum, conuulſiuum, non criticum* ſ. *acriticum;* in *pulſum explicatum, latum, mollem, diſtentum, criticum.*

§. 173.

s) *Bordeu.* T. II. c. 3. p. 153. *t*) L. cit. c. 3. p. 16. T. I. *u*) L. cit. c. 5. p. 32 ſequ. *v*) L. cit. c. 3. p. 18. T. I.

§. 173.

Ex his elucet, omnes recentiorum medicorum pulſus eſſe debere vel *criticos*, quos SOLANVS et reliqui Hiſpani, itemque BORDEVIVS pereleganter ac docte deſcripſerunt; vel *non criticos*, *ſymptomaticos*, *organicos*, qui cum maxime debentur FOVQVETO et poſt eum WETSCHIO.

§. 174.

Cernuntur ergo potiſſimae de pulſu obſeruationes, quas SOLANVS vſu et experientia edoctus litteris prodidit, auctore FLEMINGIO w), primum *pulſu dicroto veterum* ſ. *bis feriente*, quem NIHELL *reduplicatum* appellat, FLEMINGIVS *duplicatum*; FOVQVETVS denique a caprizante veterum non abhorrere aſſerit; deinde *pulſu intermittente*, tandem *pulſu decretorio per ſudores*, quem *inciduum* SOLANVS nominat, NIHELL *ſe inaequaliter attollentem*, FLEMINGIVS vero *adſcendentem*. Priorem, puta *dicrotum*, ſaepenumero SOLANVS obſeruauit, eumque, dum in vna pulſuum ſerie detegitur, praenunciare iudicatoriam per nares ſanguinis profuſionem x) debet. Hanc vero eo breuiore tempore adfuturam auguratur, quo magis hicce pulſus pulſibus ceteris naturalibus commiſtus increbreſcit, itemque eo largiorem, quo fortior aut expreſſior ictus priorem inſequitur. Alter *pulſus* i. e. *intermittens*, praeſignificat vacuationes per aluum et vrinam decretorias imminere, easque eo copioſiores futuras, quo conſtantior iſte modus eſt, atque quo magis conſiſtit, et quo diutius ſecuturus ictus intermittit. Si arteriae tenſio cum intermiſſione pulſus artiſſima quaſi colligatione deuincta eſt,

 certiſ-

w) Diſſ. cit. p. 7 ſequ. et *Fouquet* in not. ad h. l. p 28.
x) Ap. HAEN. Rat. Med. T. XII. c. 3. p. 91 ſequ.

certiſſimo eſt indicio, vna cum deiectione vomitum inſtare iudicatorium. Sin vero *intermittens et mollis* ſimul eſt, profluuium vrinae atque deiectiones coniunctas: At mortem, cum vires vitales non ſufficiunt ad egeſtionem decretoriam perficiendam. Vltimus *pulſus inciduus* eſt, isque inaequalis, ita, vt ſecundus ictus altitudine ac fortitudine vſque ad quartum inſurgat. Qui pulſuum ordo quo ſaepius recurrit, quo fortior poſterior priore eſt, quo denique magis molleſcit arteria, eo certius exſpectanda eſt morbi *per ſudores* iudicatio. Semel tantum arteriam duram SOLANVS obſeruauit, tuncque *icterum* decretorium praedixit. Eſt tamen *inciduus*, vt auctor SENACVS y) eſt, difficulter cognoſcendus, ideoque et ipſum ſudoris praeſagium non adeo certum.

v. DON FRANCISCO GARCIA HERNANDEZ *Doctrina Solano - Lugue aclarada, utilidad de la Sangria.* Madrid 1765. 4. et cum maxime c. 11. p. 55.

VERDELHAN DESMOLES *Theſ. An in pulſu inaequali aut intermittente purgantia.* Pariſ. 1752.

§. 175.

Praeter haec pauca memoratu digna SOLANVS habet. Nam non meminit *pulſus critici et non critici*, non eius pulſus, qui ſputa ſanguinis, menſtrua, haemorrhoides ſignificant, non *pulſuum compoſitorum vel complicatorum*: id quod ad cognitionem certam valet plurimum: deinde non docuit, quam vim ac poteſtatem in pulſum medicamenta habeant, qui ſanitatis pulſus ſit, quae adhibendae cautiones ſint; tertio manca ſunt, quae de pulſu vomitus, vrinae, deiectionum, in medium proferenda puta-

y) In diſſ. ſur les Criſes, à Paris 1752.

putauit, nimis generatim enunciata, quae profuſionem ſanguinis per nares deſignare debent, nimis obſcura, quae ad praedictiones ex pulſuum commutatione, ad diem, quo vacuatio iudicatoria euentura ſit cet. pertineant. Hinc mihi iſta SOLANI decreta videntur non niſi indigeſta laceraque fragmenta ingenii nouaturientis eſſe, quibus ſecure inniti non licet, ideoque maioris momenti habenda BORDEVII et FOVQVETI opera, quoniam eorum miniſterio noua iſta pulſuum cognitio in ordinem artisque formam redacta, itemque ad vſus publicos magis accommodata fuit.

§. 176.

Eſt igitur ſecundum BORDEVIUM z) *pulſus criticus dilatatus*, *liber* ſ. *expeditus*, *mollis*, *extentus*, idque quoniam egeſtiones decretorias tantum non ſemper praecurrit, cum maxime vbi ſimul inaequalis eſt. Quare boni augurii exiſtimatur, ſi aliquamdiu ſubſiſtit, et ſi ſeries pulſuum tempore ac magnitudine ictuum a ſe inuicem haud diſſentiunt, vniuerſe praeſignificat aliquam inſtantem vacuationem, nulla habita ſingularis alicuius egeſtionis ratione. Similiter index coctionis eſt, non autem inſtrumenti, vnde humor iudicatorius profecturus ſit. Reperitur vt plurimum in morbi vigore ſ. ſtatu. At mali ominis habetur, ſi vacuationes ſine pulſu decretorio aut cum pulſu non decretorio ſ. irritationis vſu eueniſſe videntur: Haec enim iam morbum complicatum docent.

Schol. Aliquas obſeruationes haud contemnendas de pulſu iudicatorio, praeſertim *inciduo*, dedit NOORTWYK in Praefat. edit. lat. Obſ. SOLANI et NIHELL. De *intermitten-*

z) L. cit. p. 18 et 19.

mittente vero COX in *Nouvelles Obſervations ſur le pouls intermittent, qui indique l'uſage des purgatifs, à Amſterd. 1760.*

§. 177.

Contrarius pulſui critico *pulſus non criticus* ſ. *irritationis* eſt, eumque Cl. BORDEVIVS dicit *nimis ſenſilem, neruoſum, conuulſiuum, contractum, concentratum, frequentem, praedurum;* at Cl. FOVQVETVS a) *pulſum organicum, leuioresque organorum affectiones deſignantem, notam propriam haud deſerentem, adiunctis ſolis modis naturalibus vel ſubſidiariis citra febrim ac irritationem, aut certe permediocrem,* et hoc ſolo, quod diutius ſubſiſtat, vehementiusque impellat, a ſanitatis pulſu abhorrentem: Qui, ſi organon valde afficiatur, facile in organicum tranſeat, et tunc demum, vbi longius conſtiterit, in ſymptomaticum ſ. non criticum. Hinc pulſus vere organicus quaſi medius inter vtrumque foret. Nomen vero *pulſus non criticus* exinde accepit, quia ſine omni iudicatione eſt, et vt plurimum in principio et augmento morborum, maxime neruoſorum, obſeruatur: Qui vbi apparet, iudicatio bona morbi ſperanda non eſt.

§. 178.

Eminent ergo in hiſce pulſibus illi, quos *organicos* nominant, i. e. qui quasdam alicuius organi laeſiones indicant aut praeſentes, aut futuras procliuitatemque ad morbum inducentes b), quique *conſiſtunt,* auctore WETSCHIO c), *eleuatione aut depreſſione partis alicuius in ſpatio pulſante, quae inaequalitas inaequali digitorum applicatione facillime effici poſſet.* Et

a) L. cit. p. 34.
b) *Fouquet* l. cit. c. 3. p. 20.
c) Ap. *Wetſch.* c. 4. p. 25. itemque c. 7. p. 61 ſequ.

Et alio loco: *Horum pulſuum characteres obſeruantur ex impreſſione variata, quam ſuperficies ſpatii pulſantis arteriae iam ſub vno, iam ſub pluribus digitis, iam in interſtitiis extremitatum digitorum exhibet. Hae impreſſiones conſiſtunt vel maxime in eminentiis aut paruis vndis plus minus ſenſibilibus, plus minus figuratis in aliquo loco ſpatii pulſantis, ſiue in eleuatione plus minus notabili, magis vel minus circumſcripta illius ſpatii, ſiue in aliis modificationibus huius partis arteriae e. gr. in quadam complanationis, contractionis, interſectionis, disruptionis ſpecie arteriae aut columnae ſanguinis in ſpatio pulſante notata* cet.

§. 179.

Ex his colligitur, haſce pulſuum organicorum notas etiam ad omnes morborum pulſus referri poſſe, etſi ex auctorum fide non niſi a leuibus facileque euanidis affectionibus dimanant ſine vlla vitii morbiue impreſſione, ideoque etiam, quatenus quaedam hominis ſani viſcera laedi turbarique functiones poſſint; *pulſus organici* et *phyſiologici*, et *pathologici*, diſcernendi forent. Hinc porro intelligitur iſta apud FOVQVETVM diuiſio pulſuum organicorum in *organicum vere talem*, i. e. qui cum perexigua toni mutatione citraque morbum fit; in *criticum* i. e. qui a magno virium organicarum auctu ad expellendam morbi materiam proficiſcitur; tandem in *acriticum, non criticum*, ſ. *ſymptomaticum*, i. e. qui tantum velut effectus morbi aut propenſio in eum conſiderari debet.

§. 180.

Sunt autem, auctore FOVQVETO [d]), propriae pulſus organici notae ſiue modi, quibus omnium optime internoſcuntur,

d) L. cit. p. 22 ſequ.

1) Vt in quouis viſcere ſinguli pulſus, puta *organicus*, *criticus et non criticus*, ſuam formam atque figuram retineant.

2) Vt durities et mollitudo, vehementia et debilitas, celeritas atque languor, concentratio, elatio et paruitas pulſus ſ. arteriae, in fortuitis atque aduentitiis pulſus organici proprietatibus collocentur. Id quod etiam ad pulſus ſexus et temperiei pertinet, quoniam ſemper ad aliquam eorum claſſem referenda videtur, v. c. cum temperie melancholica pulſus durus et tenſus eſt, ideoque cum epigaſtrico fere idem.

3) Vt poſſint tales, quales ſe digitis ſentiendos praebent, figura quadam certa definitaque oculis ſubiici ac vſurpari: id quod in ceteris tantum tactu et commemoratione effici poterit.

§. 181.

Praeter haec dantur quidam eius modi quaſi ſubſidiarii *e*) et cuique paene pulſui proprii. Sic *durities* ſemper cum *pulſu ſtomachico et hepatico* iungitur, *mollities* cum *pectorali* et *inciduo* rel. *A loco* dicuntur *ſuperior et inferior*; *a conſenſione* et *cauſſa* praecipua *pulſus cruditatis et coctionis*; tandem *a plurium viſcerum laeſione*, *pulſus mixtus* ſ. *complicatus* BORDEVII. His enim, tanquam fundamento, nititur celebratiſſima illa pulſuum diuiſio in *criticos et non criticos*, eaque via, cum pulſum a loco affecto *capitalem*, *pectoralem*, *ſtomachicum* cet. appellant, et adiectis aliquibus notis a ſe diſcernendos putent, effugere ſine dubio difficultates eas voluerunt, quibus veteres impliciti fuiſſe videntur, dum pulſum myurum, capriſantem, formicantem, fortem debilemque identidem adferunt, neque ſatis definiunt,

e) Ibid. c. 4. p. 28 ſequ.

finiunt, quo quisque ſigno ſemper et vbiuis cognoſcatur *f*).

§. 182.

Sequitur vero *pulſus decretorius* *g*) in morbis acutis pulſum irritationis ſ. non criticum, tuncque, praegreſſa coctione, incipit attolli explicarique inſigniter, fortior, mollior, lenis, aequalis, duplicatus fieri, ſiue, vt GALENO viſum eſt, altus et magnus. Cuius iterum tres gradus ſunt, primus, dum materia morbi coqui coepit ac veluti maturari, tuncque *pulſus primae coctionis* apparet elatior, magnus, fortis, explicitus, dilatatus, prominulus, plenus, frequens, quodammodo vehemens ac perturbatus: alter, vbi illa bene agitata, laeuigata, transformata, ad egeſtionem procliuis eſt, vaſculaque peruia fiunt, et illico pulſus naſcitur mollior, ex ſerrato quaſi rotundatus, nonnunquam inaequaliter ſubſultans, conſtantior, explicatior, et cum forma organici magis expreſſa; is *pulſus ſecundae coctionis* eſt vereque *iudicatorius*; vltimus denique *pulſus excretionis* ſ. *excretorius* nominandus, quia cum egeſtione decretoria fit, vehemens eſt, euidentius ſubſiliens et inaequalis, viuidus, organicum exacte referens. Quare ſi in morbo adulto pulſuum organicorum notae cum elatione, explicatione, ſaltu, intermiſſione, veraque dicroti imagine iunguntur ac copulantur, et aliquamdiu conſiſtunt, praeſagienda iudicatio per ea viſcera eſt, quae potiſſimum afficiuntur *h*).

§. 183.

Hanc *vacuationem iudicatoriam*, vt SOLANVS et BORDEVIVS auctores ſunt, praeſignificant

f) Ap. *Bord.* Diſcours Prélim. p. 18 ſequ.
g) *Fouquet* c. 7. p. 45 ſeq. et *Wetſch.* c. 8. p. 117 ſeq.
h) *Bord.* T. II. c. 2. p. 33 ſequ.

ſicant quaedam pulſus dicroti, incidui et intermittentis commutationes; ſed certiora iudicationis imminentis vel perturbatae FOVQVETO [i]) videntur pulſus explicatior, mollior, minus compoſitus, duplicatus, organicorum notas probe exprimens, plus minus fortis, conſtans, mediocriter viuidus, naturae morbi et aegri, viſceri, vnde iudicatio prouentura eſt, denique tempori, quod ad felicem egeſtionem requiritur, ſatis conſentaneus. Id quod quoniam certis ſtatisque diebus fit, doctrinam veterum de diebus decretoriis ſatis ſuperque confirmat.

§. 184.

Quibus praemiſſis, conſequens eſt, vt vtrumque illud pulſuum genus ſingulatim percenſeamus, et, qua quodque ratione efficiatur, quid ſignificet, quid ſpei tunc reliquum ſit, iam videamus.

§. 185.

Ordiamur ergo a *pulſibus criticis*, iisque paullo poſt *non criticos* ſubiungere liceat. Illi generatim fieri ex doctrina HIPPOCRATIS [k]) dicuntur aut *in partibus ſupra ſeptum transuerſum collocatis*, aut in iis, quae *infra illud* latent. Hinc naſcitur *pulſus ſuperior*, qui duplicatione quadam accelerata in pulſuum ſerie cernitur; et *pulſus inferior*, quocum pulſus ſaltus, ictuum inaequalis numerus, inaequalia interualla, vera haud raro intermiſſio, deprehenduntur: eamque diuiſionem etiam FOVQVETVS [l]) memorat. At *decretorius* quisque *explicatus* [m]) eſſe debet.

§. 186.

i) L. cit. c. 7. p. 54 ſequ.

k) Ap. *Bord.* c. 4. p. 21.

l) L. cit. c. 4. p. 29.

m) *Bord.* T. I. c. 7. p. 42.

§. 186.

Indicat vero quisque *pulſus ſuperior* [n]) eorum inſtrumentorum, quae ſupra ſeptum transuerſum natura collocauit, affectiones, efficiturque accelerata quadam ictuum duplicatione i. e. pulſu vno veluti bifido et interuallis plus minus longis aut crebris ex morbi natura et magnitudine.

Schol. Contendit Cl. FOVQVETVS l. cit. c. 7. p. 49. BORDEVIVM non ſatis bene a ſe inuicem diſtinxiſſe pulſum dicrotum (le pouls rebondiſſant) et pulſum duplicatum (le pouls redoublé), eamque ob cauſſam auctor eſt, hunc ad naſalem vnice referendum eſſe, (v. *Fleming* diſſ. cit. p. 7.) illum vero ad omnes omnino reliquos, ſiquidem ſingulis fere ſanguinis humidorumque effuſionibus, quae per renes ceteraque emiſſaria ventris inferioris fiunt, ſe praebet comitem.

§. 187.

Pulſus huius *ſuperioris decretorii* formae *tres* dantur, quarum prior cum pectoris egeſtionibus intime quaſi copulatur, indeque *pulſus pectoralis* oritur i. e. duplicatus quaſi ad finem, mollis, plenus, dilatatus, cum ictuum numero aequali, ac vndarum in modum arteriae dilatatione: altera in fine morborum, qui gutturi infenſi ſunt, atque glandularum gutturalium ſputis iudicantur, obſeruari ſolet, et *pulſus gutturalis* i. e. fortis, duplicatus, minus mollis et plenus, haud raro pectorali frequentior ſ. falſus quaſi dicrotus, nominatur: tertia denique, quia in

n) Ibid. c. 4. p. 25 ſequ. Secundum *Haen.* Rat. Med. T. XII. c. 3. p. 103. idem, qui veterum dicrotus, eſſe creditur.

in ſocietate earum egeſtionum, quae per nares fiunt, tantum non ſemper prouenit, *pulſum naſalem* i. e. duplicatum ſ. verum dicrotum, ceteris pleniorem, celeriorem, duriorem, fortioremque conſtituit.

§. 188.

Hoc naſalis nomine ſecundum BORDEVIVM continentur, quicunque reliquas capitis partes exercent, easque affectas eſſe docent. Nos vero, quoniam etiam FOVQVETVM ſequi placet, cum pulſum *capitalem*, tum ceteros ſuo quosque loco adiiciendos curabimus, ne qua in re officio noſtro defuiſſe videamur. Quae pulſus ſpecies ſi per ſe vrgent, *ſimplices* appellantur; Sin vero plurium viſcerum miniſterio efficiuntur, *compoſiti* ſ. *complicati.*

Schol. BORDEVIO l. c. p. 27. auctore, *pulſus compoſitus* ille eſt, qui, egeſtione libera, nec impedita, per plura inſtrumenta fit; *complicatus* vero, qui tandem vacuationem decretoriam irritatione aliqua praepeditam quaſique interruptam, ſiue vt in ſcholis medicorum dicitur, poſt perturbationem criticam ſequitur. Sed iſta diſtinctio non ſatis accurata eſt fereque ſuperuacanea. cf. FOVQVET. l. c. p. 53 et 62.

§. 189.

Praeſignificat igitur *pulſus pectoralis ſimplex*, qui obſcura quadam aſſultus ſpecie potiſſimum cernitur, quamuis iudicatoriam pectoris vacuationem o), niſi diſturbata illa a fortiori alia fuerit, et ſaepenumero, dudum ceſſante illa, amplius conſiſtit: id quod egeſtionem mancam deſignat. Facile eum pulſui gutturali et naſali imperiti confundunt, ſed citra aliquod damnum aut periculum: at ſi pulſibus inferiori-

o) *Bord.* l. cit. c. 6. p. 29.

rioribus, peſſime. Sunt tamen potiora *pulſus pectoralis ſimplicis*, nec difficulter detegenda ſigna, vt ictus aequales ſint, vt *mollis*, *plenus*, *dilatatus*, et *vndoſus* ſit, i. e. inter expandendum media arteriae pars quaſi bifida appareat, itemque monticuli vniti, bene figurati ac laeuati inſtar elata et diducta, ſed cum leuiori aliqua, molli et modice forti oſcillatione. (v. Fig. 3. Tab. II.) Eſt vero iſte pulſus expreſſior in pleuritico morbo, haemoptyſi, vulneribus ad interiora pectoris penetrantibus, at mollior et velut vndoſus in pulmonum inflammatione, pectoris ſuppuratione, initio empyematis p), ad finem febrium continuarum q), vbi nec lateris dolor, nec tuſſis, neque difficilis ſpiratio aegrum exercet, in acutis morbis ab inteſtinorum ſordibus et ante vomitum r), diebus febrium intermittentium intercalaribus, in gibberoſis s), et ex veterum obſeruatione etiam in lethargicis atque iis, qui cum illo hydropis genere, quod *anaſarca* nominant, conflictantur.

Schol. Pulſus pectoralis FOVQVETO l. c. p. 75. videtur *veterum pulſibus eminulis et prominulis* reſpondere, WETSCHIO autem *reſiliens* eſſe, atque *dicroto Archigenis* apud GALENVM conuenire, etſi ad eum a naſali et gutturali diſcernendum prior magis valeat.

§. 190.

Pulſus gutturalis ſimplex perrarus t), isque tantum non ſemper complicatus cum irritationis pulſu

p) *Fouquet*. c. 11. p. 73.
q) *Bord.* T. I. ch. 6. Obſ. 2 ſequ. p. 33.
r) *Fouquet*. Obſ. ſur le pouls XII. p. 159.
s) *Bord.* l. cit.
t) *Bord.* T. I. c. 7. p. 42 ſequ. *Fouquet*. c. 10. p. 69. ſequ. *Wetſch.* c. 7. p. 79.

pulſu vel colligatus cum pectorali naſaliue eſt. Aiunt cognoſci gutturalem poſſe, ſi ex more cuiusque pulſus ſuperioris *fortis* eſt, *et ſingulis ictibus veluti duplicatus*, *quodammodo vndòſus*, *liber ac explicatus*, *cum impetu quodam et in cephalici ſimilitudinem elatus*, *inſtar noduli mobilis aut anuli ſubtiliſſimi et arteriam ſuccingentis*, *feriens* (v. Fig. 4. Tab. II.), *minus*, *quam pectoralis*, *mollis aut plenus*, *haud raro frequentior*, *medius* denique *inter pectoralem et naſalem*, aut etiam *capitali et pectorali conflatus*, a quibus haud facile internoſcitur. Sed et hic errare, periculoſum non eſt.

Schol. Debet ex auctorum fide huic pulſui gutturali cum GALENI pulſu peripneumonicorum, itemque ZECCHII pulſu anginoſorum, ſumma conuenientia intercedere.

§. 191.

Pulſus naſalis ſimplex indicat, humores cum impetu quodam maiorique copia, ac fas eſt, ad caput [u]) ferri, cum maxime in vaſcula minuta et emiſſaria narium, itemque vacuationes ſanguineas ac pituitoſas futuras. Cui cum tantum non ſemper ſe comitem praebeat pulſus irritationis, intelligitur, eum haud raro profuſionem ſanguinis e naribus ſymptomaticam oportere portendere.

§. 192.

Eſt vero eius nota quaſi propria et familiaris inflatio quaedam portionis brachialis arteriae et veluti exaequatio in extremo digito, ſub indice inſtar taeniae neruoſae ſiue nerui plus minus complanati apparens; at in eo loco, vbi exaequata videntur, percipias veluti corpuſcula parua, rotunda, in longitudinem porrecta, ſecundum certam ſeriem diſpoſita,

u) *Bord.* c. 8. p. 49.

ſita, valde fluxa, nec figurae ſuae adeo tenacia, ita quidem, vt inſtar guttularum aquae inter bina vitra ſibi adſidentia effuſa videantur, cum itu et reditu a preſſura oriundo. (v. Fig. 5. Tab. II.) Porro debet fere, *vt pulſus gutturalis*, *ſubobſcure duplicatus* eſſe, ſed *plenior*, *fortior*, *durior*, *celerior*, ideoque apud SOLANVM et FOVQVETVM v) *dicrotus* dicitur *ſanguinis e naribus decretorii fidus praenuncius.* Sed, auctore BORDEVIO, non niſi pulſum durum, plenum, dicrotum, fortem, aliquamdiu ſubſiſtentem, nec vllo modo deflectentem, itemque cum pulſu irritationis iunctum, inſequitur talis per nares egeſtio.

§. 193.

SOLANI experientiae conſentaneus *naſalis pulſus* deprehenditur, qui *nec praedurus*, *nec valde plenus* eſt et cum elatione pulſuum ſuperiorum ſolita, itemque quodammodo *vacuus*, vt FOVQVETO viſum eſt, *dicrotus*, *nec adeo vehemens*, *ſed conſtans*: Is enim decretoriam e naribus egeſtionem purulentam atque mucoſam deſignat. Quibus ſuppreſſis vel retardatis, ſubito oriuntur deliria, ſopores, eryſipelae oris, aures ſanguinem plorantes, oculorum inflammationes variae. Nam in oris eryſipelate et ſanguinis ex auribus fluore pulſus naſalis a forma naturali haud deſciſcit, at in ſoporoſis morbis illico, in conuulſiuum et non criticum tranſiturus, qualis fere in morborum grauiorum, maxime neruoſorum, principio exituque funeſto obſeruatur. Cum praecordiis intentis et dolentibus raro ſanguis effunditur.

§. 194.

Huc etiam *pulſus cephalicus* ſ. *capitalis ſimplex* w) referendus videtur. Cernitur autem ille ſingu-

v) L. cit. c. 7. p. 50.

w) *Fouquet*. c. 9. p. 65. et *Wetſch*. c. 7. p. 66 ſequ.

ſingulari quadam elatione partis anterioris ſiue digitalis arteriae, vel vt WETSCHII verbis vtar, *illius partis ſpatii pulſantis, quod manum aegri reſpicit, iam ſub acutiori, iam ſub obtuſiori angulo, parte brachiali arteriae* (ſ. *parte illa ſpatii pulſantis, quae brachium aegri reſpicit*) *ad planum ſuum parallela manente.* (v. Fig. 2. Tab. II.) *Obſeruatur etiam quandoque ad partem brachialem arteriae quaedam quaſi inflatio ſiue expanſio plus minus ſenſibilis, dum interim ad digitalem ſuam formam cylindricam conſeruet arteria, et in ſua eleuatione ſatis valido cum impetu medium et indicem, maxime vero indicem tangentis repellit.* —

§. 195.

Eſt porro ſignum pulſus huius proprium angulus plus minus magnus, plus minus apertus ratione roboris ſiue elationis pulſus, habetque ſemper adiunctam aliquam irritationem, arteria ad ſpatium digitale duriuſcula, atque inſtar chordae ſubtilis ſiue funis intenta et renitente, ad medium vero et indicem i. e. in ipſa altitudine quodammodo paſſiua, ac per vim aliquam externam ſurſum quaſi tracta. Denique nonnunquam concentratus et profundus deprehenditur, qualis lumbrici reptantis motus eſt, portione aliqua corporis quieſcente, interdum lentus, ſedatior, ac veluti alligatus, interdum viuidus, creber, plus minus liber, et cum febre copulatus.

§. 196.

Iungitur vero iſte *pulſus cephalicus* vt plurimum ad ſtomachicum, itemque ad reliquos, ideoque peraccommodate videtur magnus HIPPOCRATES *x*) ex dolore colli ac ictu arteriae temporum fortiori dyſenteriam praedixiſſe. Reperitur enim

x) Coac. p. 531. T. I. ed. *Lind.*

enim principio morborum acutorum, in febrium continuarum duplicatione, ac intermittentium acceſſionibus, in pertinacioribus capitis, maxime occipitis, malis, in hyſtericis et hypochondriacis, denique eum, imminente vel iam praeſente delirio, vehementer exaltatum FOVQVETVS y) obſeruauit.

§. 197.

Pulſu ſuperiore abſoluto, ſequitur, vt ad *inferiorem pulſum* z) ſiue *ventralem*, *abdominalem*, *epigaſtricum* a), *inteſtinalem* cet. (v. Fig. 6 et 7. Tab. II.) conſiderandum veniamus. Dicitur vero ille vacuationes decretorias, quae demum cunque a viſceribus infra ſeptum transuerſum poſitis dimanent, certiſſime praenunciare, et facillimo negotio a ceteris internoſci poſſe.

§. 198.

Eſt igitur cum primis *inordinatus*, i. e. numerus ictuum et temporis interualla ſunt inaequalia, interdum vere ac valde *intermittens*, haud raro cum arteriae aſſultu, quo fere ſolo ab reliquis diſcernitur: deinde *minus* eſt, quam pulſus ſuperior, *explicatus*, *mollis*, *aequalis*, eaque de cauſſa non, niſi ſumma diligentia et attentione adhibita, a pulſu irritationis ſiue conuulſiuo internoſcendus; Id quod fortaſſe a multitudine ac diuerſitate viſcerum, quae abdomine includuntur, itemque a coniunctione varia proficiſcitur. At ſi FOVQVETVM b) audias, pulſum abdominis quaſi a reliquis diſcernere ſolent cum maxime concentratio, duritia, et contractio arteriae perin-

y) L. cit. et *Wetſch.* p. 73. c. 9. p. 74 ſequ.
z) *Bord.* l. cit.
a) *Fouquet.* c. 12. p. 76.
b) Ibid. p. 84.

perinſignis, praeſertim in ſpatio digitali, viuacitas denique et inaequalitas ictuum.

Schol. Hic meminiſſe iuuat, auctore BORDEVIO, pulſum liberum, et dilatatum, qui ſingulis pulſus decretorii formis ſe comitem praebuit, haud raro aliquamdiu veluti titubantem intus latere, ideoque medici eſſe prouidere, ne in iudicando fallatur aut turpiter offendat. De reliquo iſte *pulſus* iterum in *ſimplices et complicatos* diuiditur.

§. 199.

Quare princeps omnium eſto *ſtomachalis ſimplex*, *pulſus vomitus* BORDEVII c), *gaſtricus* WETSCHII d) et FOVQVETI e). Hic pulſuum inferiorum decretoriorum quam minime explicatus, ſed magis aequalis, pulſui irritationis non multum abſimilis, perraro criticus, ſaepius ſymptomaticus, diſtinguitur potiſſimum eminentia inter indicem et medium inſigni, arteria ſub digitis veluti obrigeſcente ac tremente, ſaepenumero aſſiliente intraque eos aſſurgente inſtar pyramidis paruae, cuius cacumen obtuſum aut paullum rotundatum eſt, numero vero ictuum increbreſcente ac interuallis ſibi exacte reſpondentibus. (v. Fig. 8. Tab. II.) Hinc fere iſti pulſui ineſt quaedam adſcenſus et deſcenſus ſpecies. In priori eminentia illa pyramidalis, quam paullo ante adduximus, magis ferit latus digiti medii, quam indicis, videtur ſe velle expandere, diffundere, rotundare quaſique pulſus pectoralis formam induere, conſociatus cum inaequalitate multa, non-

c) L. cit. T. I. c. 10. p. 77.
d) L. cit. c. 7. p. 89. et c. 9. p. 142.
e) L. cit. c. 12. p. 76.

nonnumquam intermiſſione ac concentratione magna, et doloribus increſcentibus vehementer aucta: eumque FOVQVETVS *f*) *pulſum cardiae* ſiue *ſtomachicum ſuperiorem* nominandum cenſuit, quoniam cum primis in cardialgia flatulenta obſeruatur. In poſteriori vero contraria quaeuis fiunt. Nam eminentia illa videtur ſe contrahere, conſidere, lateri indicis magis magisque adhaereſcere, ita, vt vix ac ne vix quidem ad medii latus perſentiſcatur, cum pulſu paullo inaequali, et citra inſignem intermiſſionem: hunc *gaſtricum inferiorem* appellat, eumque indicio eſſe perhibet, colon ſub ventriculo affectum eſſe, vnde facilis ſit in inteſtinalem tranſitus. Oritur fere a flatibus atque vermium roſione.

§. 200.

Detegitur iſte *pulſus gaſtricus* omnium optime in iis, qui vomitoriam potionem hauſerunt, itemque poſt nimiam voracitatem, ac inediam, in nauſea, dolore oris ventriculi acerbo, cet.

Schol. Secundum SOLANVM ex pulſu intermittente ac duro vomitus praedicendus eſt, nec vnquam morbum vere iudicatum contendit, niſi in deiectionum ſocietate: id quod negat BORDEVIVS. Porro ille ab arteriae vi ac niſu, itemque ab pulſu intermittente ac duro vomitum praeſignificari auctor eſt; hic vero docet, hunc pulſum, dum intermiſſiones adiunctas habet, iam deſiiſſe eſſe ſimplicem, et in *pulſum criticum cum pulſu conuulſiuo complicatum* tranſiiſſe.

f) Cf. *Galen.* Praeſag. ex Pulſ. IV. 5. p. 465. IV. vbi os ſtomachi affectum ſequi dicitur pulſus paruus, creber, inaequalis.

§. 201.

Pulſus inteſtinalis ſimplex g) dicitur, qui egeſtiones inteſtinorum decretorias praeſignificat, et, vacuefactis iis, haud raro aliquamdiu remanet. Eſt vero ille cum ſingulari quodam coitu ac duritia partis, praeſertim arteriae digitalis, robore ac inaequalitate ictuum (v. Fig. 6 et 7. Tab. II.); Deinde eſt pulſu gaſtrico longe explicatior, ſecumque adfert ictus decem ſat fortes, velut rotundatos, inaequales magnitudine ac tempore, ita, vt poſt binos tresue pulſus vtcunque ſibi reſpondentes et elatiores iterum bini tresue appareant minus expliciti, celeriores, adductiores, ac velut clanculum intrantes. Vnde non poteſt non oriri ſaltus quidam ſiue exploſio arteriae plus minus ordinata, etiamſi cum iis ſaepenumero iungantur pulſuum inaequalitas et intermiſſio bene internoſcenda. v. c. in nonnullis inteſtinorum morbis longis, in quibus arteria vix ſentiri inuenirique poteſt. Tandem non adeo plenus aut vinculis ſuis quaſi liberatus eſt, ac pulſus ſuperior, elatior tamen quandoque in iſtorum viſcerum inflammatione, itemque nec intermiſſionem ordinatam habet, quo certe indicio a ceteris potiſſimum diſcernitur, quoniam ſemper debetur irritationi. Hinc talis *pulſus ſubintrans* BORDEVII, *intercurrens aut deficiens* GALENI, vna cum ructu, flatu, ſtrepitu et inflatione ventris deiectionem iudicatoriam praecedit, et ab inteſtinorum ſordibus, vermium roſione, atque acrimonia quauis oritur, eamque ob cauſſam infantibus perfamiliaris eſt, at non decernit h).

Schol.

g) *Bord.* T. I. c. 11. p. 86 ſequ. *Wetſch.* c. 7. p. 97. et c. 9. p. 145.

h) *Bord.* T. II. c. 3. p. 66 ſequ.

Schol. *Solanus* auctor eſt, pulſum inteſtinalem ſemper intermittentem eſſe, quoniam hanc rem prae ceteris contemplandam cenſuit; Sed, vt bene monuit BORDEVIVS l. c. p. 88. nefas eſt, exceptionem aliquam pro regula ipſa ſumere: nam ſaepius ſine intermiſſione fertur. Quae ſi iuncta et copulata inaequalitati eſt, tunc demum aluum decretoriam praenunciat. Caue tamen, ne iſtam inteſtinalis pulſus inaequalitatem iis temere confundas, quae propria pulſuum cum irritationis pulſu complicatorum ſunt: Hi enim nec ſemper decernunt, quoniam pulſum egeſtionis iudicatorium praecedere debet pulſus explicatior. Docuit etiam Cl. BALME (Diar. Med. Pariſ. T. 29. menſ. Iul.), pulſum inteſtinalem mentiri haud raro cephalicum, ſi digitos fortius admoueris. At iſta vis naturae lex non eſt.

v. HENR. FRID. DELII *Progr. de pulſu inteſtinali, Erlang. 1764.* eumque pulſum nuperrime verum eſſe ſtatuit Cl. POMA, Iourn. de Medecine de M. ROVX T. 41. menſ. Mai. n. 3. ann. 1774.

§. 202.

Species quaſi et modus aliquis pulſus inteſtinalis habendus eſt *pulſus hydropis abdominis* ſiue *aſcitis* i). Nam ſi malum illud iam inueterauit atque eualuit, arteria eſt magis intenta, contracta et dura, quam in inteſtinali fit, nec filo aereo craſſo abſimilis, extremitas vero digitalis brachiali adſtrictior, cum aliqua inaequalitate ac leuiori haud raro tremore ad finem obſeruato, interdum etiam crebritate

 ac

i) *Fouquet.* l. cit. c. 15. p. 88.

ac oſcillatione, citra inſignem irritationem. Quare GALENVS [k]) olim non male dixit *hydropicorum pulſum paruum, duriuſculum, crebriorem et cum quadam tenſione copulatum.* At ſaepenumero iſte pulſus in pulſus pectoralis ſocietate eſt, nonnunquam propter abdominis praecordiorumque diſtentionem ſepti transuerſi motus retardatur, atque pectus colluuie humidorum quaſi opprimitur, vnde tuſſis perpetua modicaque pituitae reiectio proficiſcitur.

§. 203.

Pulſus dyſentericus [l]) haud facile ab haemorrhoidali, de quo paullo poſt acturi ſumus, internoſcitur, in eo tamen diſcrepat, quod non adeo elatus eſt, ſiue longe depreſſior, minus plenus, frequentior, inaequalior, interdum ſimul intermittens, interdum per interualla ſenſum aculei vel teli miſſi, qualis veri inteſtinalis eſt, digitis tangentis medici imprimit; at vero eminentiae illae corpuſculorum paruorum et rotundorum vix ſentiuntur, haud raro videntur numero ac teneritudine valde increſcere, atque in fine arteriae diuaricando veluti diſpergi (v. Fig. 15. Tab. II.). Interdum iſte dyſentericorum pulſus fere eum mentitur, qui in feminis, vbi menſtrua purgatio imminet atque dolorem colicum ſimulat, vt plurimum reperitur, ſed facile differentiam videbis, modo diligenter attenteque arteriae manum admoueris. Si dyſenteriae vehementiores ſunt, et inflammationem minantur, aut in deiectiones crebras ac liquantes degenerant, pulſus multo fortior eſt, elatior, quodammodo aſſiliens, frequentior, et intentior, corpuſcula rotunda vehementius feriunt digi-

k) L. de Pulſ. ad tyron. c. 16. p. 178. IV.
l) *Fouquet.* l. cit. c. 20. p. 109.

digitos, at cum ſueta ictuum inaequalitate modisque iis, qui pulſus interioris ſiue abdominalis proprii indices ac teſtes habentur.

§. 204.

Pulſus haemorrhoidalis ſimplex m) vt plurimum iunctus cum pulſu irritationis eſt, eamque ob cauſſam difficulter cognoſcendus ac diſcernendus a pulſu vterino; Sed frequentior eſt, magis formicans et tremulus, ac naſalis, et potiſſimum eo differt ab reliquis, vt corpuſcula minutula, quae pulſui naſali ineſſe diximus, ex ſenſus iudicio minora et ſicciora eſſe videantur, pulſus vero ipſe inferiorum modo inaequalis ſit, etiamſi ex parte abhorrens, ictus robore ac temporis ſpatio ſibi non ſatis reſpondeant, eorumque alii veluti contrahantur, alii dilatentur, alii vtcunque concentrati, viuidi, renitentes, fere aequales ſint, quos bini tresue paullo dilatatiores ac quaſi rotundati, minus aequales, alii denique duplicati vnaque verus dicrotus inſequuntur. Communis tamen omnibus frequentia, et repugnantia maior eſt, quam in ceteris pulſus inferioris formis detegitur. At propter profundum, cum tremore conſtantiori iunctum, fere proprieque ab vterino pulſu diſcrepat, qui certe nec adeo dilatatus eſt: ille contra nunquam intermittit, niſi vbi ad haemorrhoides aluus fuſior atque crebra conſociata eſt. Hinc FOVQVETO pulſus haemorrhoidalis illi non diſſimilis videtur, qui a veteribus *impar citatus* appellatur. (v. Fig. 14. Tab. II.)

Schol. Res magni momenti, laboris temporisque multi, attentionis ac diligentiae ſummae eſt, ſi praedicta hoc ex pulſu ſumta ſibi

m) *Bord.* T. I. c. 14. p. 121. *Fouquet.* l. cit. c. 20. p. 107. et c. 9. p. 158. *Wetſch.* c. 7. p. 100 ſequ.

ſibi conſtare debent, cum maxime ſi, fartura vaſorum haemorrhoidalium adſit, an ſola crebrior deſidendi cupiditas, haemorrhoides rubrae, an mucoſae apparituræ ſint cet. definiendum eſt, etſi medici experientes hunc, quem diſputamus, pulſum tribus menſibus ante, quam erumperent, dextre praeſagiiſſe perhibentur.

§. 205.

Pulſus hepaticus ſimplex n), a ſtomachico ſi receſſeris, nullus criticus magis, ac ille, concentratus deprehenditur. Etenim nec durus, nec repugnans eſt, ſemperque inaequalis, ita tamen, vt ictus binos tresue inaequales inſequantur totidem perfecte aequales, videanturque haud raro naturalibus adſimiles. Porro intra medium atque indicem eminentia quaedam, gaſtricum aemulans, obſeruatur, at ea nec adeo vehemens, nec fortis, neque elata, ſed potius leuior, contractior, ſiccior; (v. Fig. 12. Tab. II.) contra arteria magis intenta, contracta et veluti concentrata eſt. Hinc vterino fortitudine atque impetu cedit, inteſtinali vigore atque inordinato motu, nec, niſi vbi cum ceteris iungitur, duplicatus ſiue dicrotus eſt. Nihilo tamen ſecius eum vere cognoſcere, hoc opus, hic labor eſt, quoniam ſaepius in ſocietate leuioris pulſus pectoralis, itemque ſtomachici et inteſtinalis decretorii apparet; ſolus vero, dum iudicatio morbi inſtat, detegitur. Praeſignificat quasuis hepatis obſtructiones, indeque oriunda varia hydropis genera, cum primis icterum decretorium,

n) *Bord.* ibid. c. 13. p. 112. *Fouquet.* c. 13. p. 80. *Wetſch.* c. 7. p. 92 ſequ.

rium, vt ex SOLANI fide atque auctoritate retuliſt BORDEVIVS [o]).

§. 206.

Pulſus ſplenicus ſimplex [p]) internoſcitur ea eminentia, quae epigaſtricis propria eſt, eo tamen modo ac lege, vt intra digitorum ſpatium arteria aſſurgere quaſique verticaliter ſecta eſſe videatur illo ex latere, quod indici reſpondet, ad ſectionis finem vero ſentiatur quaedam inciſura, vel, vt COVLESIO placet, obliqua in indicis latus impulſio, at ex parte oppoſita proclinatio ſua ad medium vſque conſtet, quaſi eſſet pars parui alicuius pectoralis pulſus media. (v. Fig. 13. Tab. II.) Inſunt praeterea huic pulſui ſplenico inaequalitas ſingulis binis triniſue ictibus exacte percipienda, concentratio et tenſio, ac in hepatico, longe minor, interdum quaedam veluti laxitas atque mollitudo, easque notas in ſiniſtro potius, quam dextro latere reperiri aiunt.

Schol. Cl. FOVQVETVS generali *epigaſtricorum nomine* comprehendit *pulſum gaſtricum*, primariasque eius formas, puta, *hepaticum et ſplenicum*, qui, auctore WETSCHIO l. c. p. 97. omnium optime deteguntur, *ſi digiti verticaliter ad arteriam applicentur:* ceteros autem, qui a viſceribus abdominis aliis nomen habent, *pulſus abdominis ſiue ventris* nominat.

o) L. cit. p. 112 et 114. Et ap. *Morton.* Phthiſiol. III. 14. ex hepate laeſo phthiſes ſymptomaticas fieri, itemque in intermittentibus febribus quartanis, maxime autumnalibus, quibuscum tantum non ſemper vrget obſtructio hepatis, pulſum iſtum reperiri contendunt.

p) *Fouquet.* c. 14. p. 81. *Wetſch.* c. 7. p. 95 ſequ.

§. 207.

Pulſus vterinus ſimplex q) ſiue *menſtruus*, naſali perſimilis r), haud facile a pulſu inteſtinali decretorio diſcernitur, ſiquidem *ictuum inaequalitas arteriaeque ſaltus* vtrique formae propria ſunt: at vere vterinus differt, quod

1) *Non adeo intermittat*, ac ille, et *perraro.* Nam ſi intermiſſionem habet, deiectionem vna adfuturam docet, ideoque iam *pulſus complicatus* habendus eſt, etſi, ex Cl. LE CAMVS fide, *inaequalis* et cum quadem oſcillatione ac titubatione deprehenditur.

2) Pulſus vterinus ſimplex illo fortior per ſe, frequentior atque plenior eſt ob maiorem ſanguinis copiam (plus ſanguin), qui certe pulſus familiaris et proprius ſanguinis profuſionum praenuncius et comes eſt; interdum durior atque maior, cum maxime dum vacuatio imminet.

3) Pulſus, qui decretoriam ſanguinis e naribus effuſionem indicat, *tenſionem* aliquam adiunctam habet, ſimiliterque vterinus; haec vero a pulſu inteſtinali ſemper diſſidet.

§. 208.

Ex his intelligitur, pulſum vterinum eſſe oportere elatiorem et explicatiorem, ac in ſanis eſt, ictum inaequalem et inordinatum, verumque dicrotum, at minori cum conſtantia et frequentia, naſali obſcuriorem, minus tamen eminentem, minus fortem aut crebrum, minus diſtinctum, etſi ſatis a ceteris internoſcendum; porro eum haemorrhoidali frequentia et contractione cedere, inordinatum eſſe, nec con-

q) *Bord.* T. I. c. 12. p. 100. *Wetſch.* c. 7. p. 103. et c. 9. p. 151.

r) *Fouquet.* c. 19. p. 100 ſequ.

contremiſcere, interdum adeo concentratum, vt vi quadam fortiorique digitorum appoſitu opus ſit ad corpuſcula iſta rotunda, quae multifariam commemorauimus, feliciter detegenda, interdum lentum et formae arteriarum cylindricae tenacem, contractum, paullo profundiorem, quocum ictus inaequales apparent. (v. Fig. 9. 10. 11. Tab. II.)

§. 209.

Quare prae ceteris explorari in puellis debet, quae primum ſanguinem per menſes exſoluunt, itemque in vetulis feminis, quae ab hac purgatione menſtrua vacare incipiunt, quoniam vtramque exercet vt plurimum perturbatio functionum corporis inſignis, nec non febricula, teſte vteri fortiter reſiſtentis idonea. Porro, vt auctor FOVQVETVS eſt, in iis, quibus menſtrua vere profluunt, in libidinoſis virumque crebrius admittentibus, nec non plures partus enixis aut abortum ſaepius perpeſſis, in menſium curſu ordinis naturalis experte *s*) cet. Hinc in hyſtericis aut ex mamma laborantibus pulſus huius vterini cognitio forte vtiliſſima putanda eſt. De reliquo in mulieribus ſanis beneque valentibus, quibus fluor vteri ordinatus eſt, pulſus vterinus cum pulſu irritationis raro conſociatur, nec ita frequentatur, cognoſcitur tamen quadam ictuum intercurrentium repugnantia, elatione ac explicatione ſalutaris huius egeſtionis propria.

Schol. Caue, ne haſce proprietates vbique deſideres: Etenim feminae multae ſunt, in quibus, dum vterus ſanguinem menſtruum plorat, pulſus conſiſtit, in quibus quaſi ſe contrahit atque renititur, in quibus inaequalitas ictuum et aſſultus crebri fiunt, v. c. in

s) *Lecamus* Mem. ſur divers ſujets de Medec. p. 258.

in paullo habitioribus, quae pulſum contractum, at ſemper ſubſultantem et inordinatum habent; in vetulis ſaepenumero per menſes integros pulſus vterinus adeſt, vacuatio abeſt, itemque in puellis pudicis, aut ſi quae, dum patent menſtruis, alium morbum ſimulant. Nuſquam enim fides tuta eſt, teſte BORDEVIO l. cit. p. 104. Sed iſta fere ad complicatos pulſus pertinent.

§. 210.

Praeterea hoſce *pulſus*, qui *profuſionem ſanguinis* portendunt, diligenter a ceteris FOVQVETVS t) diſcernendos cenſuit, iisque attribuit impulſionem quandam illi adſimilem, quae a paruis rotundisque corpuſculis naſcitur, eamque in extremitate arteriae digitali perpetua certe ſerie cognoſcendam, at verſus finem eminentiae radii collidendo veluti fractam et hinc inde diſperſam. Hinc eodem loco in quauis arteriae prolatatione ſentitur aliqua redundantiae ſpecies, cuius vis atque poteſtas varia eſt. In hoc pulſuum genere *naſalem*, *vterinum*, *haemorrhoidalem* et *dyſentericum* collocauit.

§. 211.

Indicat ergo *pulſus vterinus ſimplex* non niſi imminentem purgationem menſtruam, vt BORDEVIVS u) et SWIETENIVS v) perhibent, interdum etiam ne illa quidem ſatis conſtant, i. e. medicus inde definire non poterit, menſes inſtent, an fluant, an breui deſierint rel. eamque ob cauſſam caute praedicendum eſt. At eo minus ſufficit ad ceteros

t) L. cit. c. 18. p. 94.

u) L. cit. p. 104.

v) Comment. in *Boerh.* Aph. 1286. p. 420. T. IV. ed. Hildb.

teros vteri fluores eorumque modos deſignandos, etſi FOVQVETO w) atque WETSCHIO x) ita videatur. *Si menſes copioſi futuri ſint*, inquit, *maior irritationis gradus, quoad frequentiam, in pulſu eſt, qui magis eleuatus percipitur cum ſubſultu: Si menſtruatio impedita vel difficilis fuerit, renitens eſt, vehemens, minus eleuatus, aliquantum conuulſiuus: Si abortus aut haemorrhagia inſtet, pulſus admodum viuidus eſt, impetuoſus, vtcunque eleuatus: Lentus eſt, languidus, contractus, character eius laeuis, ſi infans in vtero mortuus fuerit. Si leucorrhoeam y) denotat, adeſt mollities aliquantum maior, lentor*, et *lenis ſubſultus, blanda pulſationum quaſi rotundatarum perceptio, minus bene expreſſis corpuſculis et formicatione.*

§. 212.

Eſt vero etiam curioſa ſatis deſcriptio *pulſus grauidarum* z) et *purgamentorum, poſt partum profluentium* a). Prior eſt *in genere quaſi febrilis, i. e. fortis, frequens, quandoque aequalis, ceterum primis tribus menſibus perplexus, variabilis, ſaepe gaſtricus; in progreſſu grauiditatis magis explicatur, et tendit ad characterem naſalem, ſed non ita conſtanter ſe ſuſtinet, vt ſequatur excretio, verſus illam menſis periodum, in qua antea menſes fluxerunt, irregularis, et magis vel minus reduplicatus, i. e. videtur indicare excretionem menſtruam, ſed non diu ſeſe ſuſtinet in hoc ſtatu; alias timendum eſſet de abortu, maxime ſi id illo tempore accidat, dum mulier abundantiora ſolebat habere menſtrua; — mox vbi partus immi-*

w) L. cit. p. 163. x) L. c. p. 153.
y) *Bord.* T. II. ch. 1. p. 6.
z) *Bord.* T. II. ch. 1. p. 29. *Wetſch.* l. c. p. 156.
a) *Fouquet.* p. 105.

imminet, *fit conuulſiuus*, *frequens*, *ſerratus*, *intermittens* cet. At poſterior adeſſe dicitur, ſi granula iſta minutula, quorum mentio identidem facta eſt, cenſentur paullo minora, nec adeo efformata, ac in vterino, ictus vero modo ſatis viuidi, ſicci, parum elati, fereque illis adſimiles, qui *pulſui complicato* BORDEVII proprii ſunt, modo valde inaequales, ac intermittentes. Debet etiam explicatior eſſe, et plerumque circa tertium quartumue diem poſt partum in puerperam ingruit.

§. 213.

Pulſus veſicae ſiue *vrinae ſimplex* [b]), itemque *renalis*, figuris haud facile exprimendus, propter ictuum inaequalitatem inteſtinali vehementer ſimilis eſt, at propter inaequalitatem ordinatam diſſimilis, praeter haec durus et adſtrictus ſaepenumero, myurus ſiue decurtatus reciprocus, in tenuem acutum deſinens, iterumque ſic reuertens, ictuum numero ad ſeriem quandam decreſcente, at intermediis quibusdam magis explicatis ac mollioribus, ſatis aequalibus, quodammodo ſubſultantibus, eumque ordinem exacte ſeruantibus. Quam ob rem ex parte *cum pectorali decretorio* [c]) *comparandus* videtur, ac ſemper *pulſui ſudoris* contrarius, vel potius, *pulſus ſudoris inuerſus*, vt BORDEVIVS [d]) et WETSCHIVS ſtatuunt.

§. 214.

Reperitur autem cum maxime in vrinae incontinentia eiusque copioſis profluuiis; item ad finem febrium quarundam putridarum, vbi vrina cum ſedimento albo aut ſuſpenſione fertur, pulſus concentratus,

b) *Bord.* T. I. c. 15. p. 135. *Fouquet.* c. 1[illegible]. p. 89. *Wetſch.* c. 7. p. 108.

c) *Fouquet.* l. c. p. 90. d) L. c. p. 137.

tratus, quodammodo debilis, iunctus cum mollitie ſiue rotunditate ictuum ac concentu pulſus huius ſolito. Poſt medicamenta ea, quae vrinam citant, praedurus eſt ac velut alligatus, certiſſimus vrinae crudae index ac proditor, interdum etiam mollis et explicatior obſeruatur.

Schol. SOLANVS iudicationem morbi per vrinae effuſionem non vidit, niſi cum deiectionibus copulata fuerit. Hinc arteriae mollitudinem et pulſus intermiſſionem ad praeſagiendum ſufficere, et pulſum veſicae criticum ſemper complicatum aut compoſitum eſſe contendit.

§. 215.

Pulſus ſudoris critici BORDEVII *e*), *ſudatorius criticus* HAENII, *cutaneus* ſiue *exterior* FOVQVETI *f*), *vndoſus* GALENI *g*), *incidimus* SOLANI, *redundans Sinenſium*, dicitur plenus eſſe, explicatior, liber, fortis, magnus, mollis, inaequaliter adſurgens vel increſcens, pectorali perquam adfinis, et digitorum apices vndatim feriens. At ſudor ſymptomaticus cum arteriae tenſione eſt, repugnantia, ſiccitate perinſigni, aſſultu et inaequalitate temporis, quo ſuccuſſus ſeſe excipiunt, ideoque cum pulſu irritationis plerumque combinatus.

§. 216.

Ferunt, *pulſum* hunc *incidimum non criticum* obſeruari in nonnullis febribus continuis, quae intermittentes mentiuntur, et aegros ſudore multo vniuerſi corporis vel partium exhauriunt, itemque in leu-

e) L. cit. ch. 16. p. 143. *Wetſch.* c. 7. p. 110. et c. 9. p. 160. *f*) L. c. ch. 17. p. 92.

g) De Praeſag. ex Pulſ II. 9. p. 435. et de Cauſſ. Pulſ. II. 8. p. 361. IV. *Baricell.* Hydronoſ. III. 6.

leucophlegmaticis poſt pulmonum inflammationem male curatam, in tabidis conſummatis, vbi ſputa crebra et ſudores nocturni eos fatigant cet. Contra *pulſum ſudoris decretorii* adeſſe circa morborum acutorum diſceſſum, ſiue poſt coctionem, in facili morbillorum variolarumque eruptione, etiamſi minori cum arteriae mollitie, in ſuprema febrium intermittentium tentatione rel.

§. 217.

Reſtat *pulſus organicus vnius lateris* h), i. e. qui aut in vno tantum carpo obſeruatur, aut fortius alicubi impingit. Hinc ſemper indicat partem aliquam organi adiacentis affectam, id quod omnium optime pulſui cephalico, gutturali, pectorali et vterino reſpondet; reliquis vero rarius. Sic v. c. in illo capitis genere, quod vulgo *hemicraniam* nominant, in dolore lateris acuto, in gutturis vterique morbis, in ſanguinis e naribus profuſione, nonnunquam etiam in haemorrhoidibus, in vitiis hepatis ac ſplenis, itemque in ceteris affectionibus, quae vnum potiſſimum latus, pectus aut pulmonum fibram exercent, pulſum organicum in latere affecto magis ſenties, minus in integro. Familiaris iſte pulſus modi in hemiplegia et vulneribus quibusdam ſunt, in multis melancholicis, hyſtericis, hypochondriacis, nec in ſanis rarum eſt reperire pulſum vnius lateris durum et concentratum, interdum et crebrum, at alterius lateris pulſum longe diuerſiſſimum. Cauſſae huius diſſenſionis ſatis patent.

§. 218.

Quibus abſolutis, ſequuntur *pulſus compoſiti ſ. complicati*, frequentiores illi quidem ſimplicibus, ſed

h) *Bord.* T. I. ch. 31. p. 337 ſequ. *Fouquet.* ch. 31. p. 110 ſequ.

ſed etiam paullo difficilius cognoſcendi, et vehementer mutabiles, quoniam multiplici multorum viſcerum affectione potiſſimum cernuntur. Hinc ii pulſus, qui eiusdem generis ſunt, interdum inter ſe iuncti copulatique apparent, v. c. naſalis et gutturalis, naſalis et pectoralis, pectoralis ſudorisque pulſus, pectoralis et inteſtinalis, interdum alter alteri longe antiſtat. Quod dum ſit, morbi augurium bonum i) eſt. Etenim ii morbi, quorum indicationes pulſu ſimplici ſignificantur, ſemper felicem fauſtumque habent exitum, contra periculoſi ſunt, qui cum pulſu complicato vrgent. Sed eamus per ſingula.

Schol. Pauca de hac pulſuum coniunctione SOLANVS commemorauit, ſed non ſatis definiuit.

§. 219.

Inſunt ergo *pulſus ſuperiores omnes* k) haud raro in vno eodemque morbo, videnturque ex BORDEVII fide indicare affectam telam cellularem omnium omnino partium, a ſepto transuerſo ad caput pertinentium, ideoque illorum motuum decretoriorum beneficio mali materiam poſſe hinc inde diffundi, deponi, diſpelli. Copulari certe iſti ſuperiores pulſus in leuiori morbo ſolent.

§. 220.

Conſtat vero *pulſus e pectorali et naſali*, ſi mollis et dicrotus, vt pectoralis, eſt; itemque reſiliens ac vehemens, vt naſalis. Neceſſe tamen eſt vnus eniteſcat aliquamdiu prae altero robore ac magnitudine, ſalua compoſitione, indeque oriantur formae

i) *Bord.* l. cit. ch. 17. p. 159 ſequ.

k) Ibid. ch. 18. p. 162.

formae fere innumerabiles ex aegri temperie, morbi natura, via et ratione medendi cet.

§. 221.

Pulſus ſuperiores cum inteſtinali copulati l) obſeruantur propter contagionem quaſi ac conſenſionem, quae ventri infimo cum morbis plurimis intercedit, v. c. *cephalicus vnaque inteſtinalis* m), id quod facile intelligitur. Ceterum pulſus alter alteri antecellere poteſt, eamque ob rem medici experientis eſt videre, vtrum vterque ſibi ſuccedant diuerſis morbi ſtadiis, an ſimul vrgeant. His enim vera medici prouidentia cernitur.

§. 222.

Eadem res *pulſuum inferiorum ſuperiorumque iunctorum* n) eſt, etſi hanc ob coniunctionem difficilius a ſe inuicem diſcernuntur, maiorique diligentia et attentione opus eſt. Nam in ſocietate grauium morborum ſemper tales deprehenduntur. Pulſus ſimplex formam ſuam identidem mutat, videnturque modo inferiores ſuperioribus longe antiſtare, modo vero ſuperiores inferioribus. Sic v. c. ſtomachicum pectoralis inſequitur, hunc pulſus vrinae aut naſalis, vt plurium pulſuum quaſi pugna et miſtura putanda ſit. Quare ſigna et indicia eo difficilius indaganda ſunt, eoque magis incertum medici iudicium, quo maior ſperanda eſt morbi iudicatio. At hic cauſſas pulſus mutabilis noſſe multum iuuat, itemque ordinem et principatum cuiusque generis, naturae viam rel. prae ceteris vero doctos habere digitos.

§. 223.

Simili ratione *pulſus vterinus et inteſtinalis* o), *vterinus et haemorrhoidalis* cum ceteris pulſuum formis,

l) *Bord.* l. cit. ch. 19. p. 170. m) *Fouquet.* ch. 22. p. 119. n) *Bord.* ch. 20. p. 180.
o) *Fouquet.* l. cit. ch. 22. p. 120.

mis, quae *ſanguinis profuſionem* praeſignificant, cum maxime *naſali* p), conſociari poſſunt. Eſt vero, vt ſupra docuimus, propria et familiaris ſanguinis effundendi nota adſultus quidam. Neque de *pulſu ſudoris cum reliquis decretoriis combinato* q) exempla apud auctores huius doctrinae deſunt.

§. 224.

E *pulſuum complicatorum* genere etiam *pulſus ſuppurationis* r) eſt, qui haud raro morbos acutos finit. Debet vero iſta pertimeſci, ſi pulſus ab morbi principio conuulſiuus et non criticus eſt, at ſecundo ſtadio paullo explicatior cum inſigni aliquo arteriae niſu et conſiſtente per aliquot dies irritatione. Hinc pulſus irritationis et ſuppurationis futurae cum decretoriae, tum ſymptomaticae inter ſe copulantur. Qua coepta, pulſus inter criticum et non criticum veluti medius atque anceps eſt, quorum alterum irritationis diminutionem indicat, alterum viarum earum, quibus vacuari materia et propelli e corpore poſſit, inopiam. Tandem fit pulſus excretorius, impetu aliquo decretorio ad emiſſarium alterius lateris delato, et in pectoralem, inteſtinalem cet. commutatur; id quod certiſſimo indicio eſt, puris egeſtionem per illa organa, quae pulſu manifeſtantur, futuram, eamque iuuandam eſſe. Quae dum non erumpit, aut ad locum emiſſario ſuo deſtitutum materia defertur, abſceſſus oritur, quocum primo copulatus pulſus irritationis eſt, poſt vbi pus maturuit, ſequitur pulſus explicatior, denique cum pulſu irritationis ac reliquis pulſuum excretoriorum formis

 egeſtio.

p) *Bord.* l. cit. ch. 21. p. 191.
q) Ibid. ch. 22. p. 207 ſequ.
r) Ibid. ch. 29. p. 288 ſequ. et p. 299. *Wetſch.* c. 10. p. 172.

egeſtio. Ex his elucet, cur ab iſta coniunctione pulſus ſuppurationis et irritationis metui debeant quaedam ſuppurationum genera, quae ex parte decretoria, ex parte ſymptomatica ſunt, cur a latere, quo talis pulſus reperitur, ſedes mali definienda videatur, cet.

§. 225.

Finitis pulſibus criticis, reſtat, vt ex doctrina BORDEVII s) et FOVQVETI t) *pulſum non criticum* ſiue *pulſum irritationis*, paucis iam explicemus.

§. 226.

Eſt igitur ille, quem eodem, quo ſuperius criticum, modo u) diſpeſcunt, compreſſior, frequens, praedurus, nec adeo a conuulſiuo veterum abhorrens, plenus, interdum lentus, modo ſublimis et fortis, modo profundus et concentratus, coctionem retardans, atque egeſtiones decretorias impediens, ceteras vero pulſus decretorii formas quaſi obliterans, et reperiri vt plurimum ſolet in initio ac cruditate febrium cum continuarum, tum intermittentium, in plurimis febribus malignis funeſtis, ad finem morborum exitioſorum aut male iudicatorum, in multis morbis longis, v. c. podagra, et doloribus ad partum, dolore colico, vomitu et quorumuis medicamentorum actione, cet.

§. 227.

Quare dentur neceſſe eſt varii huius pulſus gradus, qui doctos medici digitos non effugiunt, etiamſi ob locum affectum quodammodo differant. Praecipui tamen ſunt ex FOVQVETI v) mente cum

s) L. cit. ch. 23. p. 215 ſequ. t) L. cit. ch. 6. p. 39. u) *Fouquet.* ch. 8. p. 60. v) Ibid. p. 40.

cum qui *fortis et elatus* eſt, tum qui *profundus ſiue concentratus*, ideoque duas pulſus irritationis ſpecies effecit, quarum quaeque pulſum plus minus frequentem, lentum, durum rel. adiunctum habere poteſt. Etenim quadam duritie, remora, motu inordinato vel conuulſione arteriae potiſſimum cernitur, et, auctore BORDEVIO, ab neruorum actione oritur, ſiquidem hoc in *pulſu irritationis ſiue non critico* vehemens, incerta et ordinis expers eſt, atque *cum doloris pulſu* apud ACTVARIVM [w]) maximam partem conſentit. Fac ergo, cum eo vacuationes, easque nec ſpernendas fieri, ſemper ſine coctione fieri debent, i. e. ab vi atque conuulſione viſcerum proueniunt, et raro ſalutares ſunt, nec temere in egeſtionibus decretoriis collocandae. At ſi pulſus irritationis principio morborum fortis, elatior et frequens eſt, tunc, teſte FOVQVETO, minus pertimeſcendus eſt, ac ſi lentus et concentratus deprehenditur. Nam cum pulſu capitali tantum non ſemper conſociatur, et non ſolum praecurrit pulſus decretorios, verum etiam, dum iudicatio et vacuatio iudicatoria imminet, paullulum conſiſtit et quaſi ſubterlabitur. Vulneribus ineſt, donec ſuppurant, itemque primis poſt chirurgiam diebus, primis poſt partum horis. Ex his vincitur, pulſum irritationis nec ſemper, nec per ſe funeſtum eſſe, ſed tum demum, ſi diutius et vltra coctionis tempus conſiſtit.

Schol. Hac diſtinctione continentur celebratae illae *euacuationes criticae et ſymptomaticae.* His pulſus compreſſior ineſt, isque malus augur; illis vero explicatior ſiue excretorius, vnde virium naturalium conſtantiam et robur ominamur.

w) Method. Medend. I. 9.

§. 228.

Porro hic *irritationis pulſus cum pulſu decretorio iungi* x) copularique ſolet. Quod dum ſit, dubius mali euentus eſt. Eſt vero talis pulſus compreſſus, conuulſiuus, certe per duas, tres pluresue ictus, explicatior, interdum excretorius, etiamſi conuulſione quadam tum adhuc, cum aliqui ſuccuſſus explicatiores apparent, per ſenſum exquiſitiorem detegenda, interdum pulſus conuulſiuus in pulſum naturali adſimilem aut in aliquas pulſus iudicatorii formas inſtabiles ſubito commutatur. Tunc aegri res in ancipiti eſſe ſcito, vires vitae ſublatas aut certe ſuppreſſas, extremum pulſus irritationis et critici inter ſe coniuncti gradum adfuturum cet.

§. 229.

Ingruit praeterea *in acutis morbis, qui bonum euentum* habituri ſint, iſta *pulſus irritationis et decretorii conſociatio* y), eamque indicat pulſus irritationis in primo morbi ſtadio fortis, elatior, creber, viuidus, compreſſior, conuulſiuus, non criticus; in altero vero dilatatior atque explicatior, plenior, fortior, liberior; in tertio denique, dum egeſtio inſtat, pulſus in eam formam transformatur, quae cuicunque vacuationis iam euenturae inſtrumento propria eſt, i. e. *pectoralis* ſit, ſi per ſputa morbus iudicatur; *inteſtinalis*, ſi per aluum cet. Eadem fere ratio morborum longorum z) eſt, eadem ſtadia, etiamſi productiora, idem haud raro exitus, quoad ſecretiones et egeſtiones, iudicationes vt plurimum tardae ac imperfectae. Non rarum eſt, in capitis morbis pulſum irritationis cum capitali iungi, eumque elatio-

x) *Bord.* ch. 24. p. 223 ſequ.

y) Ibid. ch. 25. p. 233 ſequ. *Fouquet.* ch. 6. p. 43.

z) *Bord.* ch. 26. p. 243.

elatiorem ſiue concentratum; in abdominis affectionibus plerumque concentratus eſt, perraro elatior, certiſſimus febris vehementioris index, propius vero a BORDEVII pulſu inferiori veterumque inflammatorio abhorrens.

§. 230.

At etiam *in morbis acutis pernicialibus* a) pulſus irritationis cum decretorio iungitur, cuius cauſſae multiplices eſſe poſſunt, itemque in morbis conuulſiuis et neruoſis, vel qui magis neruorum, quam humorum vitio b) fiunt, et *ſine materia* exercent. Tunc pulſus tantum non ſemper eſt ſymptomaticus ſiue non criticus, nunquam fere explicatus, ſed velut vehementer compreſſus, multum conuulſiuus, et varius, mobilis, nec adeo fixus, et ab iſta conſtantia, facilitate ac aequalitate, quae pulſui decretorio propriae et familiares ſunt, longe alieniſſimus. Interdum criticum mentitur, nulla ſubſecutura vacuatione, v. c. in hyſtericis, hypochondriacis, et femellis, quibus defectio menſtruorum moleſta eſt, interdum lentus ac concentratus deprehenditur, et tunc temporis malus augur eſt. Praeſignificat enim viſcerum, quorum miniſterio humores ſecernuntur et egeruntur, turbas perinſignes, materiam morbi lentam atque tenacem, rel.

§. 231.

Mira etiam *horum pulſuum in febre maligna* c) eſt *coniunctio*. Quae cum quaſi complexio plurium morborum ſit, perarduum eſt, pulſum illum multifariam copulatum agnoſcere, ſiquidem concentratus, paruus, depreſſior, haud raro, ineunte morbo, lentior,

L 4

a) *Bord.* ch. 27. p. 260 ſequ.
b) Ibid. ch. 28. p. 275.
c) *Bord.* ch. 30. p. 320 et 335.

tior, quam dum ſanus homo erat, at nunquam perfecte explicatus in progreſſu mali, eamque ob cauſſam nullo modo decernit, valde conuulſiuus eſt atque mutabilis, plus minus tremulus, interdum vix a naturali vel iudicatorio differens, et hinc ſemper pertimeſcendus.

§. 232.

Reliquum eſt, vt, qui cuique morborum generi pulſus ſit proprius, ex inuentorum fide atque auctoritate paucis percenſeamus. Eſt igitur poſt *contuſiones capitis* [d]) aut vbi tertio quartoue die poſt *ſanguis e naribus effundi* debet, pulſus valde dicrotus vereque naſalis; poſt *contuſiones et durae matris vulnera* conuulſiuus et cum maxime compreſſus, poſt *inſigne cartilaginis thyroidis vulnus* ſuperior et dicrotus, et tum, cum ſuppurat, molliuſculus i. e. gutturali perquam ſimilis, itemque in *parotidibus acutis*, in cuius ſocietate pulſus irritationis eſt: poſt *vulnera pectoris intus adacta et ſuppurantia* pulſus pectoralis plus minus cum irritationis pulſu iunctus, nec non in ipſo *cancro* ac *nimio lactis aditu* pectoralis; poſt *ventris infimi vulnerationes* aut *abſceſſum hepatis* pulſus inordinatus, inaequalis, inferior i. e. inteſtinalis: poſt *calculorum ſectionem* primum conuulſiuus et cum pulſu irritationis combinatus, ſenſim ſeſe explicans, et inferior, interdum inconditus, fereque talis, qualis vrinarum eſt: in *abſceſſu decretorio* aut quouis alio *ad inferiores corporis partes* delato, pulſus inferior i. e. inaequalis, concentratus, paullo durior, profundus, vnaque intermittens, ſi deiectiones crebrae fiunt: denique *poſt femoris amputationem* compreſſus, paruus, conuulſiuus et veluti ſtrangulatus, ſatis aequalis, creber, intermittens, haud raro

d) Ibid. T. II. c. 1. p. 2 ſequ.

raro ſe attollit et explicat, per omnem ſuppurationem inferior, inaequalis, ſatis durus, et cum profluuio ventris intermittens eſt.

§. 233.

Tumor vteri cancroſus cum ſaniei fluore iunctus pulſu valde conuulſiuo, dum dolor exacerbatur, at dilatatus, inaequalis, inordinatus, dum ſanies vberius profluit, potiſſimum cernitur.

§. 234.

In *hydrope abdominis* obſeruatur pulſus ſemper inferior, inordinatus et haud raro intermittens, ſi cum *fluore ventris* eſt, ſemper vero quodammodo conuulſiuus, perparuus, et aliquot diebus ante, quam aeger moritur, durus. In *deiectionibus ſymptomaticis* paruus eſt, concentratus, inordinatus, debilis, intermittens, et cum quadam conuulſione copulatus; In *colica pictorum* plus minus ventralis, i. e. compreſſus, viuidus, inaequalis, haud raro morbi principio intermittens, poſt paullo explicatior, itemque inaequalitatis et intermiſſionum ſeruantiſſimus, tuncque egeſtiones copioſas praeſignificat. Sin vero ſuperior, dicrotus et pectoralis acceſſit, humorum ad caput impetum, ſanguinis e naribus profuſionem, tuſſes et ſputa variae craſſitudinis.

§. 235.

Vermes, in primisque *taeniam*, adeſſe docet pulſus inordinatus, inaequalis, viuidus, ſerratus, tremulus; *ſcorbutum* paruus, creber, inaequalis, cum irritatione quadam ſemper copulatus. In *rheumatiſmo* tempore morbi et loco affecto varius eſt. Nam ſi dolor renes, coxas, genua, pedesque exercet, pulſus apparet inferior, i. e. inaequalis, obſcurus, paullulum dicrotus: ſin vero caput, collum, palam ſ. ſcapulam, carpum, pulſus ſuperior. In

podagrae tentatione pulſus ſemper eſt inaequalis, durus, profundus; at quodammodo diuerſus, ſi manum offendit. Semper tamen, infimi ventris viſcera hoc in morbo ſimul affici, ſatis ſuperque docet.

§. 236.

In *febribus intermittentibus*, quae ſecundum BORDEVIVM *e*) acuta vnaque longa affectione continentur; pulſus eſt plus minus complicatus, plerumque ventralis, interdum a dextro latere hepaticus, v. c. in tertianis multis, vbi aut morbus regius erumpebat, aut bilis vacuatio. Sed febribus iſtis paene affectis, et cum maxime ſumto cortice, vt plurimum maiori cum impetu fertur, et egeſtiones praenunciat, etſi nunquam adeo explicatus, mollis, plenus atque decretorius eſt, ac ſi morbus per ſe ac ſponte ſua finitur.

§. 237.

Conualeſcentium pulſus vacuationi illi, quae tunc ceteris eminet, fere conſentaneus deprehenditur, neque pulſui ſuppurationis aut inteſtinali atque ventrali diſſimilis. At vero vbi aeger *animam agere f*) coepit, plerumque eſt varius, alter alteri ſubito, ſed irrito, quaſi ſuccenturiatus, v. c. capitalis pectorali, itemque pectorali ventralis cet. interdum ſimul mollis et vacuus, vt plurimum intermittens; qui ſi etiam inaequalis, debilis, paruus, et veluti vacuus eſt, perniciem certam portendit.

§. 238.

Balnea frigida aut *calida g*) pulſum efficiunt haud raro viuidum, et quaſi conſtrictum, dum iis vtimur, deinde paullo dilatatiorem explicatioremque, non excretorium: *Calida* interdum habent valde explica-

e) L. c. p. 23 ſequ.

f) Ibid. p. 27.

g) Ibid. p. 18.

plicatum, inaequalem, et mollem, qualis ſudorem indicat, eumque ſudores copioſi inſecuti ſunt.

§. 239.

De *medicamentis* haec habeto. Salutarem pulſum putamus, ſi exinde fit explicatior atque excretorius; at malum, ſi conuulſiuus et non criticus; denique ſi nulla ſequitur rerum commutatio, inter indifferentia h) ponitur. A *vomitorio*, per pulſum ſtomachicum indicato i), vbi pulſus inſigniter ſe explicat, ſaluti eſt; contra ſi concentratus fit, magis conuulſiuus et adſtrictior, malo. Itemque cum pulſu inteſtinali *purgatio ventris* k) bona cenſetur; Minus, ſi ſine eo ingruit, niſi pulſus oppreſſus et non criticus vna cum quadam neruorum irritatione iungitur.

§. 240.

Poſt *opium* l) oritur pulſus elatior, dilatatior, mollior, minus conuulſiuus, interdum crebrior, nec abſimilis pulſui profundioris ſomni, explicato, ſuperiori, itemque ſudoris: Poſt *kermes minerale et aquas minerales balſamicas* m) elatior, valdeque pectoralis, poſt *copioſa ſputa*. Plurimum enim iſta medicamenta, quae *alterantia* nominantur, pulſum mutant, eumque haud raro explicatiorem ac molliorem efficiunt. Sic ab *argento viuo* n) pulſus fit ſuperior et dicrotus, plus minus copulatus cum irritationis pulſu, ſi magnus ſaliuae fluor inſequitur; alias ille vtplurimum ſymptomaticus, inutilis, noxius, liquefaciens, habendus erit: A *veſicantibus* celerior, et explicatior, cum maxime eo tempore, quo locus affectus ſuppurat, et in latere, cui medicamentum ſuper-

h) *Bord.* T. II. c. 3. p. 61. i) Ibid. p. 66.
k) Ibid. p. 79. Reliquas hac de re cautiones v. p. 80 et 87 ſequ. l) Ibid. p. 107.
m) Ibid. p. 19. n) Ibid. p. 21.

ſuperimpoſitum eſt: tandem a *cortice* pectoralis, isque futura ſputa praeſignificat.

§. 241.

Qua igitur doctrina pulſuum organicorum abſoluta, reliquum eſt, vt, quid de ea ſentiendum iudicandumque ſit, quatenus illa in medicina colenda et facienda valeat, paucis videamus. Negare equidem non auſim, poſſe hanc pulſuum ſcientiam vere talem eſſe taliaque portendere, qualia Cl. BORDEVIVS, FOVQVETVS ceterique eius patroni identidem iactitant; poſſe etiam a ſingulis viſceribus affectis prouenire quasdam pulſus commutationes, vnde morbi ſedem naturamque illico cogniturus ſit medicus: Sed illae haud raro, ipſis auctoribus confitentibus, tam vagae ſunt, variae et mutabiles, nihil vt magis, easque quaſi e profundo DEMOCRITI puteo eruere, hoc opus, hic labor eſt, nec cuique datum eſt, hiſce myſteriis initiari, et doctos habere digitos. Hinc iſta pulſuum nuper excogitatorum ſcientia non adeo magnae vtilitatis eſſe videtur, primum quia ſimplex naturae via eſt, non abſcondita, omniaque eius bona neceſſaria velut in medium proiecta ſunt: Deinde incredibile, quantum huius doctrinae defenſores a ſe inuicem diſcrepent, vt alius aiat, alius neget, ideoque prudentis medici eſt, aſſenſum aliquantiſper ſuſtinere. Denique ars iſta coniecturalis ſub auctore SOLANO orta eſt: qui dum tantum non ſemper ſingularem enunciationem ad generalem temere transtulit, medicinae vehementer nocuit, decretis veterum immerenter damnandis et abrogandis, contra nouis, iisque nec ſatis certis aut tutis vbique ſurrogandis, vt praeclare Ill. HAENIVS o) demonſtrauit. Quare in exempla Perill.

HAL-

o) Rat. Med. T. XII. c. 4. p. 163.

HALLERI p) ceterorumque clarorum virorum intuitus, in eam ingredior ſententiam, non adeo certam illam eſſe, vt inuentoribus defenſoribusque viſum eſt, ſed potius aut a peruerſa medendi via et ratione repetendam, aut a rerum nouarum ſtudio, neque vero prorſum negligendam videri probabilem illam vnaque optabilem pulſuum organicorum doctrinam, vt aperte ac candide Ill. HAENIVS q), PEZOLDVS r) et *legati Pariſiaci* s) cenſuerunt, verum quoad eius fieri poſſit, fideliter, diligenter ac citra partium ſtudium in valetudinariis publicis excolendam, vt dies diem demum doceat, intelligatque optimus quisque, quid ſit ſpei reliquum.

v. PETR. LE CONTE, *praeſ.* CAROL. NIC. DESMONEVX *Theſ. Non ergo ex pulſu nota criſium praeſagia*, *Caen* 1774. vbi contra BORDEVIVM eiusque placita diſputant.

SECTIO II.

DE RESPIRATIONE, VT SIGNO.

§. 242.

Altera functionum vitalium pars *reſpiratio* eſt, cuius quam arcta colligatio et conſenſio cum motu cordis atque arteriarum ſit, inter omnes conſtat. Debetur enim illi honos idem, eadem gloria, nec, hac aëris reciprocatione laeſa, vel impedita prorſus, valitudo et vita vere conſiſtere poſſunt. Quare praeclare HIPPOCRATES t) ſalutem in morbis

p) Elem. Phyſiol. T. II. p. 272.
q) Ibid. c. 3 et 4. p. 112 ſequ.
r) Prognoſ. Febr. Acut. c. 3. §. 58. p. 42.
s) Ap. *Haen.* l. c. p. 112.
t) Coac. §. 2. p. 545. T. I. ed. *Lind.*

morbis acutis praeſagiendam putauit, modo reſpiratio bona conſiſtat. Poteſt etiam exinde colligi, quae vitia laryngem, aſperam arteriam, membranam latera ſuccingentem, mediaſtinum, pulmones, ſeptum transuerſum, muſculos pectoris ac ventris, connexasque partes occupent; eaque eo magis metui debent, quo vehementius vrgent. Quam ob cauſſam ad recte feliciterque praedicendum haec reſpirationis inueſtigatio perneceſſaria exiſtimanda eſt, neque temere veteres, quorum in natura morborum obſeruanda diligentia et accuratio tanta fuit, quanta eſt maxima, exinde permulta ſigna repetierunt.

v. PROSP. IV. 6. p. 245 ſequ. REGA Method. Med. P. II. c. 4. Aph. 492 ſeq. p. 175. Ill. ZIMMERMANN von der Erfahr. T. I. B. 3. c. 6. p. 386. ſ. cet.

§. 243.

Eſt vero reſpirationis forma multiplex atque mutabilis, quoniam multiplices cauſſae ſunt, quae iſtam aëris reciprocandi vim immutare, infringere, accelerare, retardare, rel. valeant, ideoque docti atque periti medici eſt prouidere, ne in iudicando fallatur, et ante omnia aëris naturam, aegri aetatem atque temperiem, habitum corporis, animique motus, pectoris conformationem, victus rationem, cubitum cet. ſtudioſe diligenterque anquirere.

§. 244.

Differunt igitur omnes reſpirationis modi

1) *Ratione temporis*, quo peragitur, tuncque eſt vel *velox* ſ. *celeris*, i. e. ſi exſpiratio inſpirationem continuo excipit, vel *tarda*, i. e. vbi altera alteram ſegnius inſequitur.

2) *Ratione quietis* dicitur *frequens* ſ. *crebra*, i. e. cui vix ineſt aliqua notabilis quietis ab ſpiratione mora,

ra, vel *rara*, i. e. vbi illa notari facile poteſt atque diſcerni. Huc etiam pertinet quorundam *reſpiratio denſa et rara* ſ. *longa.*

3) *Ratione ſpatii* ſ. *dilatandi thoracis et pulmonis* habetur vel *magna*, i. e. vbi vna vice aut magna aëris ſpirabilis copia pulmonibus attrahitur atque redditur citra vllam thoracis vim aut incommodum, aut tantum thorax multum extenditur [u]), etiamſi illud nec ſemper requiratur; vel *parua*, i. e. in qua contraria omnia.

4) *Ratione virium* ſ. *vehementiae* nominatur vel *fortis* ſ. *vegeta*, i. e. vbi magnum inſtrumentorum reſpirationis robur eſt, et in contrahendo ac dilatando pulmone ſe exſerit; vel *debilis*, i. e. vbi vires iſtae deficiunt, itemque *plena*, *profunda*, *alta*, *ſublimis*, i. e. ſi ſpiritum violenter reciprocamus et quaſi a primoribus pulmonibus trahimus multorum muſculorum miniſterio, v. c. narium diductarum, abdominis, coſtarum, oſſis pectoris, et iuguli, ſcutulorum opertorum ſ. ſcapulae, cet.

5) *Ratione ſenſus*, qui reſpiratum ſequitur, eſt vel *facilis*, i. e. quando ſine vlla moleſtia et dolore peragitur, vel *difficilis*, i. e. quae homini moleſtiam exhibet, ac ingentem relinquit debilitationem, itemque aliquem ponderis ſenſum. Eſt vero illa iterum *anxia*, a ſenſu ita appellata, et *anheloſa*, i. e. ſaepe ac cum ſtrepitu repetens. Illam denuo diuidunt in *ſupinam*, i. e. ſi aegri poſſunt inter ſpirandum ſupini cubare, ſub qua continentur *ſuſpirioſa* ſ. *luctuoſa veterum*, *ſtertoroſa*, et *ſuffocans*; et in *erectam*, i. e. quando aegri, ne ſuffocati pereant, violenta thoracis elatione ac erecta ceruice opus

u) *Galen.* de Loc. Affect. IV. 8. p. 103. IV.

opus habent. Huc etiam referas *reſpirationem dolentem et non dolentem.*

6) *Ratione modi* putatur eſſe vel *aequalis*, i. e. ſi inſpiratio et exſpiratio ex aſſe ſibi reſpondent, vel *inaequalis*, i. e. vbi minus. Quo etiam referenda videtur *interrupta* ſ. *interciſa et intermittens* ipſa, vbi ſpiratio ad tempus ceſſat, ſaltem non percipitur.

7) *Ratione qualitatis aëris ſpirabilis* eſt *calida*, *frigida*, *male olens* ſ. *foetida.*

Iſtae vero formae poſſunt mirifice inter ſe iungi atque copulari, ideoque propter illam coniunctionem maiorem morbi peſtem vel ſalutem portendere. Sed quoniam aut non magnae vtilitatis ſunt, aut certe multo cum labore deteguntur, ſtudio deditaque opera eas omittendas putamus, et lectores ad GALENVM [v]) ipſum amandamus. Hinc facile intelligitur ratio, cur quidam reſpirationem diſpeſcunt in *naturalem*, i. e. quae ſanis beneque valentibus propria eſt, libera, facilis, moderata, aequabilis, adeoque lenta, vt vix percipiatur, et *praeternaturalem* quae coacta, impedita, difficilis, laborioſa, inaequalis cet.

Schol. Veteres etiam quasuis ſpirationis formas in *ſimplices et compoſitas*, *inaequales et exitiales* diſtribuerunt, quas obiter repetiit IVNCKER Semiol. c. 3. §. 33. p. 457 ſequ. Sed iſta diuiſio, vt nobis videtur, non ſatis ſibi conſtat.

§. 245.

Indicat ergo *reſpiratio celeris*, eorum inſtrumentorum, quorum miniſterio peragitur, laeſionem grauem, maiorem acceleratumque ſanguinis in pulmones

v) Difficult. Reſpir. I. 20. p. 241. III.

mones aditum, itemque traiectum difficilem; hinc febris teſtis habetur idonea: Porro deſignat quoduis impedimentum, quod in pectore reſidet, v. c. pulmones obſtructos, rigidos, ſiccos, cruorem aut nimis denſatum, immobilem, aeſtuantem, aut valde reſolutum, conuulſionem et quaſi conſtrictionem partium exteriorum, nec non ipſius ſepti transuerſi a flatibus, materia acri, cruditate cet. quid? quod ſolam reſpirationis inſtrumentis vim [w]), dum pulmones libere ſe viciſſim contrahunt atque dilatant. Quare, bene monente BOERHAAVIO [x]), in morbis tantum non ſemper metuenda eſt, niſi cetera boni morbi teſtimonia praebent. Magis vero, quae ſimul *parua et breuis* eſt, denique *celerrima* fere mortem imminere docet.

§. 246.

Reſpiratio tarda ſ. *lenta*, niſi cum reliquis iuncta et copulata eſt, indicio eſt, pulmones ſe poſſe facile expandere iterumque contrahere, ideoque nec obſtructos eſſe, ſanguinis itum et reditum aequaliter fieri, vaſa libera et peruia eſſe, eamque ob cauſſam in morbis ſemper bonum ſignum exiſtimatur, cum maxime ſi aëris ſpirabilis reciprocatio moleſta non eſt. Contra ſi extrema frigent, et aeger debilitatus eſt, periculum magnum oſtendit.

§. 247.

Reſpiratio frequens multa habet cum celeri communia; Sed quia ſimul cum paruitate ac debilitate tantum non ſemper iungitur, vnde frequentia prouenit, multo magis periculoſa eſt. Praeſignificat enim citum ſanguinis reditum, ingens in pulmonibus

w) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 6. p. 362.
x) Inſtit. Medic. §. 976. p. 455. ed. Norib.

nibus impedimentum, cui ſuperando vires vitae impenduntur, v. c. ſanguinem in cellulas effuſum et inflammatum cum doloris, vehementis aut comprimentis ſenſu [y]), aquam reſtagnantem cet. Hinc in acutis pectoris morbis deſignat grauis mali periculum, et cum ſtrepitu a ſanguinis pituitaeue congeſtione propinquam mortem, at in hydrope, aquam in thorace vel abdomine copioſam. Hinc *crebra et parua reſpiratio* [z]) index doloris et inflammationis pectoris, itemque viſcerum vitalium eſſe ſolet.

§. 248.

At *reſpiratio rara*, ſi quem aegrum citra moleſtiam infeſtat, indicio eſt, pulmones ſe poſſe aequaliter dilatare atque contrahere, peruios, nec obſtructos eſſe, vaſa eorum meabilia, cruorem mobilem: Sin vero vna magna cum pectoris elatione aër ducitur, vires debilitatas et proſtratas eſſe notat, in hyſtericis animae defectionem [a]), in febribus deliria et ſopores imminentes. Quare in acutis ſemper terribilis iſta reſpiratio eſt, et in apoplecticis atque lethargicis perfectam humorum quietem [b]) praeſagit.

§. 249.

Ex *reſpiratione magna* colligimus, vires vitae ſufficere ad morbum conficiendum, inſtrumenta, quibus aër ſpirabilis attrahitur viciſſimque redditur, eſſe integra, puta thoracem probe cauatum, rotundatum atque in altitudinem exporrectum, pulmones magnos, tuto collocatos facileque expandendos, cor et vaſa ſanguinis motum rite accelerantia, ſeptum transuerſum aequabiliter ſe contrahens iterumque

y) *Zimmerm.* l. c. p. 363.
z) *Hipp.* Progn. §. 4. p. 451. et Coac. §. 2. p. 545. I.
a) *Zimmerm.* l. et p. cit.
b) *Gorter.* Prax. T. II. L. III. 329. p. 50.

rumque dilatans, viſcera abdominis non aegra nec conuulſioni obnoxia cet. Hinc in morbis reſpiratio magna fauſta quaeuis ſpondet, et tutam valitudinis iudicationem; haud raro ſuccorum multitudinem, cum maxime vbi ſimul pulſus magnus obſeruatur. Contra ſi reſpiratus talis moleſtus eſt, indicat ſanguinem ſpiſſum et haerentem, eiusque per pulmones et venae portarum vaſa traiectum impeditum, id quod hypochondriacis, hyſtericis, melancholicis, et quos malus corporis habitus exercet, familiare eſt quaſique proprium. Sic etiam ab *reſpiratione magna et longo quaſi interuallo interiecto reuertente* HIPPOCRATES c) delirium, cum maxime phreneticorum, a *magna et diu conſiſtente* delirium et conuulſiones d) inſtare auctor eſt.

§. 250.

Contraria *reſpiratio parua* eſt, ſignificatque illa vires vitae fractas, ſanguinem ſpiſſum, inflammatorium, fere immobilem, vix per cor atque pulmones meabilem, reſtagnantem, et circinationem eius peragendam valde retardantem, pulmones aut propter cruorem, aut propter quamuis aliam materiam inhaerentem haud facile extendendos, renitentes, rigidos, itemque moleſtiam aliquam ab inſtrumentis aëris externis et motum adiuuantibus, v. c. tumorem in aſpera arteria, ſtomacho et pectore ipſo natum, partium concreſcentiam, humidorum reſtagnationem, viſcerum abdominis obſtructionem, et ſepti transuerſi motum praepeditum, rel. Eſt ergo ſemper morbi mali teſtimonium, et exinde facile intelligitur, cur apud HIPPOCRATEM e) *exſpiratio*

c) Progn. §. 4. p. 451. d) Coac. §. 2. p. 545. e) Ibid.

ratio magna et inſpiratio parua, et vice verſa, dicatur mortem proximam deſignare, at *extendens*, *vrgens*, *obſcura et veluti duplicata* virium defectionem.

§. 251.

Reſpiratio fortis deſignat fere eadem, quae *reſpiratio magna et plena*, et per ſe ſemper ſecuritatem pollicetur, *debilis* vero contraria quaeuis et periculum. Vbi vero *alta et ſublimis* ſ. *conſpicua* eſt, eaque miniſterio oſſis iuguli et pectoris, nec non ſcapulae vehementer elatae ac motae, apertis diductisque pinnis narium, hiante ore, coſtis muſculisque abdominis valde agitatis, peragitur, indicio eſt, pulmones inſigniter opprimi atque obſtrui, certe a conuulſione ſtringi et anguſtari, pectus coarctari, ſanguinem difficulter permeare pulmonum anguſtias, aut etiam reſolutum huc deferri, ſcirrhos et peſſimam pulmonum affectionem, purulentam corruptionem, itemque vires vitae deiectas, atque defeſſas eſſe, cet. Hinc ſemper aeger de vita periclitatur, et haud raro, vbi, corpore morbi vehementia iam fracto, iſta reſpiratus forma euenit, propinquam ſuffocationem et mortem timere debemus. Obſeruatur enim vtplurimum in iis, qui ab angina, pulmonum inflammatione, aut rupta vomica praefocati pereunt, itemque vbi, vomica pulmonum intus latente, tumor pedis manusue *f*) aquoſus temere ad interiora repellitur.

Schol. A mala thoracis compagine oriunda reſpiratio ſublimis, etſi diu ſuſtinetur citra multum incommodum, tandem exitium infert. At ſi a cauſſis ſubitis facileque euanidis, v. c. a conuulſione in hypochondriacis, hyſtericis et anhelatione conuulſiua, ſubnaſca-

f) *Zimmerm.* l. c. p. 371 ſequ. *Proſp.* IV. 11. p. 261.

naſcatur, neque mala eſt, nec adeo perhorreſcenda. Apud HIPP. auctore GALENO Differ. Pulſ. III. 11. p. 297. *reſpiratio ſublimis* fere eadem, quae *parua*, et c. 13. p. 302. III. non *magna et vehemens* eſſe debet.

§. 252.

Reſpiratio facilis ſine vllo incommodo fit, ideoque exinde colligitur, pectoris ſtructuram, ceterorumque inſtrumentorum compactionem bonam eſſe, pulmones ad aërem recipiendum et reddendum aptiſſimos, cruorisque itum et reditum nec impeditum vſpiam, nec nimis acceleratum, valitudinem tutam ff) futuram. Quare nec verendae nimis ſunt iunctae quaedam pulſus proprietates, v. c. ſi profundus, celer, tardus fuerit; Spes enim eſt, fore, vt ob praeclaram pectoris fabricam ſanguinisque aditum facilem omnia proſpere eueniant.

§. 253.

Contra grauis morbi periculum eſt, vbi aeger *ſpiritum difficulter ducit.* Indicat enim illud virium vitalium defectionem et incredibilem impedimentorum vim et incrementum, v. c. anguſtiam et contractionem lingulae, polypum narium et aſperae arteriae, itemque corpora peregrina, vt putamina nucis auellanae g), glandularum colli tumores, vias bronchiorum obſtructas, pituita, pure, ſanguine refertas, et cauum thoracis imminutum, cartilagines coſtarum in oſſeam naturam h) degenerantes, vbi aeger ab aëre ſicco et ſereno caelo magis quam humido laeditur;

ff) *Baglin.* Prax. I. 9. Reſp. in acut. p. 90.
g) *Tulp.* Obſ. L. II. 7. p. 109. ed. ſext.
h) *Vogel* Progr. Obſ binae de aſthmate ſingulari ex cartilaginum coſtarum oſſeſcentia. Gott. 1773.

tur; pulmones inflammatos varieque affectos, abſceſſus, ſcirrhos, vomicas, ſeptum transuerſum conuulſione tentatum, abdomen flatu diſtentum et renitens, nec non viſcerum ibidem collocatorum obſtructionem cet. Quare quo plures et vehementiores cauſſae iſtud reſpirationis vitium efficiunt, eo maius periculum, eo magis imperuios pulmones, eo propinquiorem ſuffocationem letiferam praeſignificant. At ſi in morbis ſpiratio difficilis in expeditiorem transformatur et ſubſiſtit, ſecuritatem pollicetur. Sic ſimiliter, vt dolens, indicat in acutis vt plurimum pulmonum inflammationem, minus in *longis*, v. c. aſthmate ſueto, in hypochondriacis et hyſtericis, itemque in quibus poſt febres acutas cum gemitu, multo perpetuoque metu *i*) remanet; in *puerperis* febre continua correptis, periculum et haud raro mortem *k*); *cum delirio* iuncta, euentum febris letalem *l*), niſi melior aliqua ſuccedat; denique *nocturna talis* ſine tuſſi nocte concubia grauiter vrgens, plerumque hydropem iugulantem *ll*), cum maxime hydropem pectoris *m*).

Schol. In difficili ſpiratione explicanda prae ceteris ſpectandae variae multiplicesque cauſſae ſunt, vt bene reique appoſite monuit Cl. MACBRIDE Einleit. in die Arzneik. p. 349. T. I. verſ. germ. Etenim in iis, quibus genus neruorum irritabile eſt, et pulmo illaeſus, non adeo pertimeſci debet, ſiquidem haec quaſi princeps morbi diffe-

i) *Zimmerm.* l. c. p. 365.
k) *Bagliu.* Prax. l. 13. §. 6. p. 140.
l) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 555. et Aph. IV. 50. p. 87. I.
ll) *Bagliu.* l. c.
m) Sic *Piſo* de Seroſ. Colluu. p. 203.

differentia eſt, vt aut ab obſtructione proficiſcatur, aut a conuulſione eorum inſtrumentorum, quibus reſpiratio peragitur. Ex quo numero etiam ſunt praua thoracis ſtructura, aëris nobis circumfuſi caelique qualitas, rel.

§. 254.

Huc etiam referenda videtur *reſpiratio ſonora et clangens*, *ſuſpirioſa*, *ſtertoroſa*, *luctuoſa*, *ſuffocatiua*, quoniam vniuerſe aliquam difficultatem, impedimenta aëris ducendi haud ſpernenda, humorum per pulmones curſum paene nullum, aut certe nimis retardatum, ideoque ipſius vitae periculum oſtendunt, praeſertim ſi reliquae ſpirationis difficilis formae et mala ſigna aegrum ſimul exercent.

§. 255.

Indicat vero *reſpiratio ſonora et clangens* gutturis aſperae arteriae et pulmonis ſiccitatem, tubercula cruda, ſcirrhum et obſtructionem pituitoſam, tumorem, quo guttur gulaue coanguſtatur, conuulſionem, congeſtionem ſanguinis, ideoque parua, profunda, tarda, intermittens, interrupta et cum clangore effuſa, fere eorum eſt, qui e pectoris vitio [n]) moriuntur. *Suſpirioſa*, niſi moerori aut conſuetudini malae debetur, in febribus notat vaſa pulmonum fere imperuia, et grauis morbi periculum, in grauidis vero, vbi citra cauſſam euidentem cum marcore ingruit, abortum futurum [o]). In acutis febribus iſta *reſpiratio luctuoſa* [p]) peſſimum ſignum eſt: Alias dolorem et fallacem aegrorum impatientiam

n) *Albert.* ap. *Rega* Method. P. II. c. 4. Aph. 514. p. 197.
o) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 575 et 577.
p) *Hipp.* Aph. VI. 54. p. 102. I.

tiam q) deſignat. *Spiratio ſtertendo peragenda*, i. e. referens ſonum, qualis a coctura ciborum craſſorum et magno igne ſubigendorum fit, ſemper ſignificat ignauiam, ebrietatem, impedimenta et ſordes in bronchiis atque pulmonibus haerentes, cellulas ob inflammationem ſanguineam plenas, indeque vehementer compreſſas, pulmonum inflammationem, cum primis ſi vna denſa r) eſt, impotentiam exſcreandae pituitae, maxillae tonique relaxationem, et fibrarum mouentium reſolutionem, denique inſtantem ſuffocationem et mortem, v. c. in febribus acutis, inflammatione pulmonum, vomica cet. quae ſane eo certior eſt, quo reſpiratio operoſior eſt, quo magis adulto morbo apparet, (nam in principio s) minus metui debet,) quo vehementius vrget cum aegri rebus deſperatis, feruente quaſi gutture, ingentique ſtrepitu, et oris ſpuma t). Tunc fere mors ſequitur intra biduum, at ſin pulmonum inflammatione, celerrime in gangraenam tranſitura, etiam citius, raro in anhelatione ſanabile malum tt) eſt.

§. 256.

Reſpiratio ſuffocatiua ſemper peſſimi morbi teſtis eſt, exindeque colligimus pulmonem inflammatum, obſtructum, ſiccum, rigidum, *peregrinis* corporibus refertum et denſatum, vaſa imperuia, cruorem immobilem, et mortem imminentem, niſi a cauſſa ſubita, itemque conuulſione familiari oritur. Ex his intelligitur, cur illa ſpirationis forma, quae ab reſolutione neruorum inducitur, poſt ſummam anxie-

q) *Taurell.* l. c. P. II. p. 293.
r) *Taurell.* Meth. Praed. Med. p. 260 ſequ.
s) *Hipp.* Epid. VII. 7. p. 831 ſequ.
t) *Proſp.* IV. 11. p. 258. et L. VII. 20. p. 549. *Boerh.* Inſtit. §. 984. p. 456.
tt) *Zimmerm.* l. c. p. 373.

anxietatem vt plurimum occidit; ſi qua vero a maiori ſanguinis impetu profecta fuerit, profuſione copioſa et detractione fere leuatur ac tollitur cet. Neque omittenda eſt *reſpiratio dolens et non dolens*. Indicat vero illa, vt MACBRIDIO u) videtur, ſi dolor vehemens, perpetuus, intolerandus aegrum exercet, inflammationem membranae latera ſuccingentis, itemque vaſa pulmonum ob farturam inuia, et nimis diſtenta; At ſi dolor obtuſior et profundus eſt, et cum pulſu celeri ac debili copulatus, pulmonum inflammationem. Certe ſemper grauis morbi periculum docet: Contra ſcire licet, aegrum non periclitari, ſi *nihil dolet*, dum reſpirat.

§. 257.

Sequitur *reſpiratio aequalis*. Quae ſi incidit, indicio eſt, integra eſſe reciprocandi aëris inſtrumenta, pulmones ſanguini traiiciendo non imperuia, cruorem probe miſtum, mobilem, aequabiliter vaſa permeantem, ideoque vires vitae ſaluas, incolumes, conſtantiores, proſperrima quaeuis et valitudinem tutam futuram docet. At ſi *inaequalis* eſt, mali morbi ſignum habetur. Etenim exinde inordinatum humidorum motum, vaſa non peruia vndasque pene irremeabiles, obſtructiones pertinaciſſimas, cum maxime pulmonum impedimenta magna et varia, conuulſionem viſcerum rel. colligimus, eamque omnium periculoſiſſimam et vitae infenſiſſimam cenſemus, niſi a vitio fixo et inueterato proficiſcatur v. c. gibbere, aut cauſſae ſubitaneae debeatur v. c. conuulſioni partium, aut etiam validis febrium exacerbationibus, itemque iudicationi imminenti.

u) Einleit. in die pract. Medic. l. c. p. 348.

§. 258.

Neque diſſimilis ratio *ſpirationis intermittentis* eſt, quoniam tunc obſtantiae eo maiores et vehementiores eſſe debent, quo crebrius intermittit. Cuius certe forma peſſima videtur, vbi *aër inaequaliter interciſeque ducitur*, i. e. *ſpiratio interrupta* ſ. *offenſans veterum*, ſi inſpirationem nondum affectam aut abſolutam exſpiratio ſonora, ſuſpirioſa, ſingultans cet. celerrime inſequitur, et veluti duplam aëris intra pectus reuocationem mentitur. Ex hac enim intelligitur, conuulſiones et haud raro mortem ipſam inſtare, medicumque eo magis terrere debet, quo maiori cum vehementia et moleſtia ſpiritus ſuſpenditur atque comprimitur.

§. 259.

Reſtat *ſpiratio calida et frigida*, i. e. ſub qua anima ex ore naribusque talis fertur. Illa, auctore GALENO *v*), tantum non ſemper denſa et magna ſimul eſt, v. c. in pectoris inflammatione, haec vero rara et parua ſimul; Illa perinſignem ſuccorum feruorem circa vitalia viſcera, febrem vehementem et concitatiſſimam, pulmonum inflammationem atque eryſipelam *w*), ſummum vitae diſcrimen, et haud raro mortem *x*) ipſam praeſignificat; Haec vero perniciem et mortem *y*) certam, quoniam exinde debilitas actionum vitalium, ſanguinis per pulmonum anguſtias motum prorſus ſufflaminatum, gangraenam viſcerum et vaſorum, cum primis pulmonum,

v) Diffic. Reſp. III. 8. p. 291. III.

w) *Gorter*. Prax. T. II. L. 3. 329. p. 51.

x) *Swieten* Comm. Aph. 734. p. 432. II.

y) *Hipp*. Coac. §. 2. p 545. Progn. §. 4. p. 451. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 1. 2 p. 673 ſequ. et Epid. VI. Sect. 4. p. 809. I. *Gal*. l. cit. c. 10. p. 296.

num, incipientem et depaſcentem, denique exitium imminens auguramur.

§. 260.

Spiratio male olens ſ. *foetens*, odoratu percipitur atque aeſtimatur. Quare niſi abſceſſus oris, aſperae arteriae, pulmonumue praeceſſerit, in febribus acutis illa ſemper peſſimi morbi, corruptionis humorum atque putredinis internae teſtis et praenuncia exiſtimatur, et ſi vna *cadauer olet*, eo certior propiorque mors z) eſt. At ſi in morbis longis incidit v. c. ſtomacace, dentibus carioſis vel fiſtuloſis, faucium vlceratione, praeſertim a lue gallica, vomica rupta et aperta rel. portendit valitudinem, etiamſi ſpatium aliquod habitura ſit, tamen non tutam futuram, ſed tandem, niſi mali fomes exſtinguatur, corruptionem inductum iri vt partium, ita etiam vniuerſi corporis pro membri affecti dignitate.

§. 261.

Reſpiratio naturalis dicitur, quae tarda, facilis aequalisque eſt, ab aëris circumfuſi iniuria, motu corporis animiue cet. quam minime laeditur, citra vllam moleſtiam, dolorem et violentam pectoris elationem peragitur, et quam celerrime ad ſuetas naturae leges reuertitur. Quae vbi in morbis talis apparet, ſecuritatem pollicetur, ſiquidem hinc inſtrumenta, quibus ſpiramus, integra et bene valentia, obſtructionem aut nullam, aut certe perexiguam facileque diſcutiendam, viſcera abdominis non affecta, ſanguinis itum et reditum vt per vniuerſi corporis vaſa, ita cum maxime per pulmonum anguſtias nuſquam impeditum, vel retardatum, humorum ſecretiones egeſtionesque proſpere euenturas auguramur.

z) *Auicenn.* L. IV. Fen. I. Tr. 4. c. 2. p. 806. ed. Baſ. 1556.

mur. At ſi cum malis ſignis aegrum vrget, aliter ſentiendum eſt: Tunc enim *reſpiratio ſanorum ſimillima* [a]) terrere vehementer debet.

§. 262.

Iſtae vero reſpirationis formae, quas hactenus diſputauimus, perraro ſolae ſunt, ſed mirifice inter ſe iunctae et copulatae. Quamobrem iam apud veteres identidem commemorantur *ſpiratio magna et celeris*, *magna et tarda*, *parua et citata*, *parua et tarda*, *frequens et magna*, *frequens et parua*, *rara et magna*, *rara et parua*, *extra magna*, *intra parua*, *frequens et veluti geminata* [b]) cet. quae in vniuerſum fere malae ſunt. Dantur tamen multo plures coniunctiones, ideoque potiores iam paucis explicare placet, et vbiuis, quid ſignificare dicantur, fideliter adiicere.

§. 263.

Reſpiratio magna et celeris tantum non ſemper bona eſt, et in morbis vires vitae idoneas ad materiam ſubigendam, acceleratos humorum motus, caloris et motus inteſtini incrementum, magnam ſanguinis per pulmonum anguſtias traiiciendi copiam, humorum concitationem, quam vulgo ὀϱγασμον appellant, coctionem et iudicationem [c]) ſalutarem praeſignificat: *magna* vero, *celeris vnaque ſublimis*, inflammationem quamuis, cum maxime pulmonum, et anginam, eamque ducendi aëris difficultatem, quae erectam ceruicem requirit, et ὀϱϑόπνοια nominatur. At ſi *magna et tarda* deprehenditur, itemque *magna et*

a) *Hipp.* Epid. VII. n. 3. p. 827.

b) *Hipp.* Epid. II. Sect. 3. p. 699. et VI. Sect. 2. p. 799.

c) *Boerh.* Aph. 985. p. 457. *Rega* Meth. Med. P. II. c. 4. Aph. 508. p. 188.

et rara, quae, GALENO [d]) iudice, *minor eſt frequente et magna, quatenus rara eſt; quatenus vero magna, hactenus praeſtat parua et rara*, colligemus cerebri vaſcula inuia, omniaque exinde oriunda morborum genera v. c. comata et lethargum, cum maxime delirium et melancholiam, phrenitidem *e*), ſi cum dolore, pectoris debilitate ac difficultate anima effertur. Si *magna et crebra*, et citra febrim eſt, aut pulmonum tuberculum deſignat, aut lentorum viſcidorumque ſuccorum multitudinem, vomicam, pus *f*); Contra *parua et frequens*, vires vitae infirmas *g*), et impedimentum quoddam, quo pulmo vrgeatur, et ſanguinis motus retardetur, inprimis inflammationem grauem colli, pulmonis, laterum, ſepti transuerſi, ventriculi et inteſtinorum hepatis, ſplenis cet. conuulſionem partium inſignem et irritamenta multa v. c. in hyſtericis atque hypochondriacis. Hinc *parua et denſa*, vt GALENVS [h]) auctor eſt, ſemper dolorem malique vehementiam denotat. *Parua et rara*, virium defectionem et mortem inſtantem [i]), itemque hydropem, nimium ciborum congeſtum, grauiditatem, ſpinam diſtortam [k]) rel. inſequitur. *Reſpiratio celeris et magna* [l]) obſeruatur vt plurimum, ſi inflammatio vnam pulmonum fibram occupat, at *celeris et parua*, ſi latera pergra-

d) Comm. III. in III. Epid. t. 88. p. 582. et Diff. Reſp. II. 2. p. 249. III.
e) *Gal.* ib. Text. 89. p. 584. *Zimmerm.* l. cit. c. 6. p. 367. I.
f) *Gal.* Loc. Affect. IV. 9. p. 105. IV.
g) *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 339.
h) Diff. Reſp. I. 10. p. 233. et L. II. 7. p. 258.
i) *Rega* l. c Aph 511. p. 192.
k) *Gal.* Diff. Reſp. II. 7. p. 259.
l) *Zimmerm.* l. c. p. 368.

pergrauiter offenſa ſunt; itemque in febre acuta ſimplici ſaepe vires fractas et proſtratas eſſe docet, et in affecta febre hectica perniciem certam: Grauis etiam morbi periculum eſt, ſi *frequens in raram*, *magna in paruam* transformatur: Febrem enim exinde mutari peſſimo cum omine neceſſe eſt. *Celeris et frequens* familiaris ſuppuratorum et inflammati pectoris m) comes eſt: *Frequens et parua* n) vero viarum ſpirabilium coarctationem, inflammationem, dolorem, portendit, et fere delirium praecedit, etiamſi tunc temporis *cum inaequali* iungatur: *Frequens et rara* o) certum internae inflammationis, praeſertim pulmonum, teſtimonium praebet. At ſi *ſpiratio tarda et debilis* incidit, nec a moerore atque triſtitia proficiſcitur, virium imbecillitatem notat, et in phreneticis p) peſſimi ominis cenſetur. A *tarda et parua* q) colligimus vires exhauſtas, naturam morbi magnitudini cedentem et ſuccumbentem, viſcera vitalia iam in gangraenam prona, eamque ob cauſſam in malis ſpirationis formis eminet, in febribus acutis mortifera eſt, vnaque frigida reperitur, et talis etiam eorum eſſe debuit, qui multo tempore poſt e mortis faucibus erepti et exſuſcitati dicuntur. *Reſpiratio difficilis et breuis* anhelationi humidae propria eſt, et cum ſono ſpumae quaſi efferueſcentis fertur propter pituitae copiam, quae pulmonum anguſtias obſtruit atque compreſſas tenet; at in ſicca difficilis quidem eſt, nec breuis, verumtamen cum ſibilo ſonoro. *Difficilis* tandem *et anxia* iis communis eſt, qui

m) *Gal.* Loc. Affect. IV. 8. p. 103.
n) Ibid. V. 2. p. 121.
o) *Bagliu.* Prax. I. p. 90.
p) *Hipp.* Epid. III. Sect. 3. Aeg. 14. p. 741.
q) *Zimmerm.* l. c. p. 369.

qui a praecordiis vterique ſtrangulatione laborant, et immenſam flatuum incluſorum, nec ad inferiores partes deuoluendorum multitudinem, inteſtinorum conuulſionem atque diſtentionem, aluum pertinaciter adſtrictam, et cum primis neruorum ſenſum perinſignem denunciat.

§. 264.

Sed iſtae reſpirationis formae iterum multifariam iunguntur, et haud raro tribus, quatuor et amplius conſtant. Quare eo magis terrere debent, quo plures id genus periculoſae aegrum exercent. Indicat ergo *ſpiratio frequens, denſa et feruens*, aeſtum internum et concitationem humidorum ingentem, ſaepius pulmonum inflammationem, vnde anceps in febribus acutis ſignum r) eſt, interdum dolorem tumoremque praecordiorum s); *Rara, magna, offenſans*, itemque *parua, rara et obſcura*, ob vires fractas mortem imminentem: *Celeris, difficilis et ſtertenti conſimilis*, vbi cum pulſu debili et crebro, ſudore frigido, ſenſus vacuitate, virium iactura copulatur, vel iſta mala ſigna inſequitur, mortem appropinquantem t); *Alta, crebra et difficilis* u), incumbentem per febres mortem: *Sublimis et miniſterio ſcapulae, itemque pinnis narium peragenda*, ſic, vt viciſſim contrahantur valdeque dilatentur, vires oppreſſas v) et certam perniciem, v. c. in febribus acutis, angina, pulmonum inflammatione ac ſuppuratione. Porro *reſpiratio luctuoſa* ſ. *ſuſpirioſa, parua et rara* w), nec non *interrupta, exilis, dura*, in febri-

r) *Hipp.* Coac. §. 23. p. 504 ſeq.
s) *Galen.* Diff. Reſp. I. 9. p. 231 ſequ.
t) *Macbride* l. c. p. 349. *Hipp.* Epid. VII. 11. p. 837.
u) *Lomm.* l. c. p. 340.
v) *Proſp* IV. 11. p. 262.
w) *Hipp.* Aph. VI. 54. p. 102.

febribus acutis et ardentibus ſemper horrenda et perPnicialis eſt: *Inaequalis* vero, *rara et magna* obſeruatur, vbi ſeptum transuerſum x) inflammatum eſt; at *inaequalis parua et frequens* y), vbi cerebrum affectum eſt, et morbi ſoporoſi, deliria et conuulſiones incidunt.

v. GALEN. L. de Diffic. Reſp. I. 1. p. 222 ſequ. vbi omnia ea ſigna, quae magnus HIPPOCRATES ab reſpiratione repetenda putauit, diligenter collegit atque explicuit.

§. 265.

Ex his, quae hactenus diſputauimus, magni BOERHAAVII z) effatum de variis ſpirationis formis, quatenus ad futura praeſagienda valent, facile intelligitur. *Facilis*, inquit, *magna*, *lenta*, *aequalis*, *reficiens*, *peracta ſolo leni motu muſculorum intercoſtalium*, *diaphragmatis*, *et muſculorum abdominalium*, *eſt quam maxime ſalutaris. Illa autem, quae plurimas harum conditionum implet*, *bonitate optimam ſequitur. Difficilis*, *dolens*, *parua*, *celeris*, *anheloſa*, *inaequalis*, *ſuffocatiua*, *ſublimis*, *exercita omni molimine muſculorum coſtis adnatorum*, *indubitato letalis. Sed ea*, *quae habet plurima horum vitiorum*, *eo eſt peior*, *quo plura eorum ſecum gerit.*

§. 266.

Reliquum eſt, vt, addendis nonnullis cautionibus, varias reſpirationum formas finiamus.

1) Caue, ne ſpirationis naturalis conſtantiam negligas: Nam ſine hac notitia non facile quicquam ac tuto in futurum praeſagiri poteſt. Sic v. c. pueris

x) *Gal.* Loc. Affect. V. 3. p. 121. IV. *Hipp.* Coac. §. 2. p. 545.

y) *Bagliu.* Prax. I. p. 90. *Rega* l. c. Aph. 509. p. 188.

z) L. c. §. 981. p. 456.

ris frequens eſt, concitata, magna, adoleſcentibus maior, minus accelerata et crebra, ſenibus multo minor, quam adoleſcentibus, mediocriter parua, tandem decrepitis minima, tardiuſcula, perrara, difficilis.

2) Magni intereſſe debet medici, noſſe reſpirationis leges, quas cuique aegro proprias natura eſſe voluit. Quamobrem ſaluti cenſetur, vbi mala in bonam transformatur; at exitio, ſi de hac in illam deflectat velutique deſciſcat.

3) Memineris, quae demum cunque res pulſum mutant, eas etiam reſpirationes mutare poſſe, ideoque tantum non ſemper, illo laeſo, has ſimul laedi neceſſe eſt. Similiter motus animi, v. c. moeror, timor, deſperatio, incredibiliter ſpirationem turbant.

4) Caue, ne reſpirationi ſoli fidem adhibeas: Fallax enim eſſe poteſt ob diuerſitatem ingeniorum, morum, ſenſus cet. et prudentis medici eſt, reliqua ſigna ſedulo diligenterque attendere, quoniam haud raro, dum aeger periclitatur, facilis ſpiritus fertur, et contra, praeſertim in morbis acutis, qui ſine pulmonum inflammatione vrgent, itemque in peſtilentia.

5) Memento, reſpirationes ſimplices raro reperiri, neque ſufficere ad certum praeſagium: At ex pluribus inter ſe iunctis et cum ceteris morbi teſtimoniis, longe certius fit.

6) Vide, ne inordinatas reſpirationes, quae cauſſae ſubitae aut vitio corporis debentur, nimis perhorreſcas: Diu enim iſtae ſuſtinentur ſine vitae periculo.

7) Vide, ne in febribus acutis ante ſtatum ab reſpiratu indicia ſumas, ſiquidem plurimi aegrorum, vbi iudicatio imminet, difficulter ſpirant, et paullo poſt melius ſe habere videntur.

CAPVT II.

DE ACTIONIBVS ANIMALIBVS, VT SIGNIS.

§. 267.

Actiones animales ex veterum recentiorumque medicorum ſententia *ſenſu et motu* potiſſimum cernuntur. Quicquid igitur haſce functiones immutare poteſt et ſolet, inſtar ſigni erit medico, cuius miniſterio poterit multa in futurum praeſagire. Iam vero cum ſenſus atque motus nullus ſit, niſi humorum itus et reditus ſimul aut retardetur, aut, incredibile, quantum acceleretur, perſpicuum eſt, non male huc referendam videri Stahlianorum doctrinam de motu tonico, ſiquidem eo nomine et motus vitales comprehenduntur, et motus, qui muſculorum beneficio peragitur, et ſenſus ipſius inſtrumenta varia.

§. 268.

Quare liceat nobis per ordinis leges illas functiones corporis ſic diuidere, vt primum de *motu tonico*, tanquam morborum teſtimonio, agamus, deinde ad *ſenſus externos* progrediamur, denique *ſenſus internos* diligenter percenſeamus, non neglectis variis earum formis aut ſignis, quae exinde a medico deduci poſſunt et debent.

SECTIO I.

DE MOTV TONICO, VT SIGNO.

§. 269.

Poteſt igitur motus tonicus, quem ſupra definiendum duximus, multifariam a naturali via deflectere, velutique abhorrere. Hinc orta fuiſſe videtur

tur illa apud IVNCKERVM a) *motus tonici* diſtributio in *excedentem*, *deficientem*, et ex harum iunctione conflatum ſ. *mixtum*. Ad primum genus, me quidem iudice, referenda ſunt *irritabilitas Halleriana nimia*, *horror*, *rigor*, *ſternutamentum*, *riſus*, *tuſſis*, *ſingultus*, *pauor*, *tendinum aſſultus*, atque *conuulſio*: ad alterum *debilitas*, *laſſitudo et torpor corporis*, *oſcitatio*, *vocis defectio* ſ. *ἀφωνία* et *animi deliquium*; ad extremum tandem *tremor et palpitatio cordis*. Quae ſi quando incidunt et ſub aſpectum veniunt, tunc certe plurima mala denunciant, quorum magnitudinem et periculum aeſtimare atque praeſentire debet medicus.

SUBSECTIO I.

DE MOTV TONICO EXCEDENTE.

§. 270.

Variae huius motus tonici modum excedentis formae ſunt, quae vt gradu a ſe diſcrepant, ſic ſeorſim explicari diiudicarique debent.

A) IRRITABILITAS HALLERIANA NIMIA.

§. 271.

Mira eſt ea fibrae muſculoſae vis inſita quaſique ingenerata, vt a quocunque ſtimulo modo fortiter, modo remiſſius in motum cieatur et contrahatur. Quae vtrum diuerſa ſit a virtute contractili et mortua, ab facultate neruorum ſentiendi, ab poteſtate animi, nec ne, iam non attinet multis anquirere: Scripta enim hanc in doctrinam doctiſſima cum defenſorum, tum aduerſariorum proſtant et in omnium manibus ſunt. Certe iſta irritabilitas Perill. HAL-

a) Semiol. ç. 4. §. 40. p. 467.

HALLERI, vt multis videtur, conuenit maximam partem cum GLISSONII *irritabilitate*, *oſcillatione* BOERHAAVII, *virtute ac mobilitate vitali* GORTERI [b]), *orgaſmo et ataxia ſpirituum* SYDENHAMI, *oſcillatione atque criſpatura fibrarum perinſigni*, *itemque Stahlianorum motu tonico*. Cui irritabilitati cum debeatur omnis cordis muſculorumque motus, in eaque, tanquam principe ac nobiliſſima cauſſa, poſita omnis ratio ſit earum actionum, quae ab variis illis ſtimulis oriri et longe diuerſiſſimae eſſe debent, non poſſumus non eam ceteris motus laeſi generibus praeferre, eiusque ſigna breuiter adducere.

v. Ill. HALLERI Serm. I. II. III. De partibus corp. hum. ſentientibus et irritabilibus, in Comment. Gotting. T. II. ſequ. et Gall. Lauſann. 1756. 12. Ital. Bonon. 1757. 4. Angl. Lond. 1755. 8. germ. in Hamb. Magaz. T. XIII. et rec. in Oper. Minor. T. I. P. II. p. 329 ſq. Elem. Phyſiol. T. III. p. 440 ſequ. WHYTT Edinb. Phyſ. Eſſ. Vol. II. p. 309 ſequ. DELII Animaduerſ. in doctrinam de irritabilitate, tono, ſenſatione, et motu corp. humani, Erl. 1752. CAR. CHRIST. KRAVSE Diſſ. de ſenſilibus partibus humani corporis, Lipſ. 1765. WALTH. VAN DOEVEREN Verſuche über die Empfindlichkeit und Reizbark. der thier. Theile, aus dem Latein. von KRAVSE, Leipz. 1767. VNZER Erſte Gründe einer Phyſiologie der eigentl. thier. Natur thier. Koerper, Leipz. 1771. rel.

§. 272.

b) Prax. L. III. Tit. 2. 173. p. 161.

§. 272.

Qua conceſſa irritabilitate, mirae variaeque morborum formae facile poterunt explicari atque intelligi, quarum aliae a cauſſa quadam materiae externe proficiſcuntur, aliae vero debentur materiae. Sic propter rarum fibrae muſculoſae textum, qualis tenellorum infantum, puerorum et feminarum eſt, innumerae corporis commutationes oriuntur a perexiguo ſtimulo, phantaſiae viſis, animi perturbatione, ſordibus, vermibus, medicamentorumque, cum maxime purgantium, efficacia cet. et id genus homines in tremores, dolores, conuulſiones, deliria, animi defectionem et ipſam mortem facile coniiciuntur. Sed iſta apud viros minus valent, certe apud eos tantum, quorum fibrae non multum a feminino corpore abhorrent. Hinc perſpicuum eſt, feminas morbis acutis ob iſtam teneritudinem ſtimulique impatientiam prae viris obnoxias eſſe debere, at minus periclitari, facileque caſus longe grauiſſimos euadere.

v. Cl. ERN. GOD. BALDINGERI reſp. IO. WEISE diſſ. de irritabilitate morborum genitrice, Ien. 1772.

§. 273.

Porro iſta irritabilitate, tanquam firmiſſimo fundamento, innititur et firmatur magna gaudii, terroris, irae, amoris vis, quae certe in puellis feminisque tanta eſt, quanta eſt maxima, ſed breui euaneſcit. Itemque patet, cur irritamenti poteſtas celerrimo impetu a fibra alia ad aliam deferri poſſit, cur in hyſtericis et hypochondriacis ab acritudine quauis tam dira et horrenda ſymptomata ſubſequantur, cur peſtilentiae, variolarum, purpurae, luisque venereae contagionem, viperarum rabidorumque animantium venenum, peſtiferi caſus excipiant, cur epile-

epilepſiae illa ſpecies, quae a vehementi animi commotione dimanat, omnium longe pertinaciſſima ſit, plerumque per omnem vitam miſellos aegros excruciet, et a leuiſſimo ſtimulo excitata recrudeſcat rel. Etenim, ſopitam vel certe immutatam nimiam irritabilitatem valitudo certa ſequitur.

v. EBERH. ROSEN reſp. PAVLL. BÅNGE Diſſ. de ſanatione epilepſiae per imminutum vitium irritabilitatis et mobilitatis neruorum, Lund. 1771.

§. 274.

Quare nec infantum conuulſiones metum incutere poſſunt medico, quoniam, laxitate ac teneritate fibrarum muſculoſarum ſublata et irritabilitate hebetata, ſponte ſua ceſſabunt. Hac etiam ſola continetur ratio, cur pulſus tenellorum iuniorumque crebrior et celerior, ſenum vero rarior eſt, cur ſanguis illorum tenuis et floridus, horum vero tenax et viſcidus, cur infantilis aetas a dentitione peſſime afficitur et procliuior ad morbos acutos eſt, contra ſenectus longis cum maxime patet, cur pubertas varia conuulſionum genera et morbum comitialem ipſum reſoluere ſolet, cur ſenes tuſſis, fluxiones, alui obſtructio et humidorum glutinoſorum corruptio tantum non ſemper exercet, cur illa mors, quae iuniores e vita diſcedere cogit, violenta quaſi eſſe videtur propter maiorem irritabilitatem eiusque conſtantiam, ſenes vero, quibus moleſta eſt corporis firmitas et omnis iſta virtus quaſi obliterata, ſine vlla notabili vi, lente ac veluti per ſomnium ſublati cenſendi ſunt.

§. 275.

Immo vero *idioſyncraſia* ſ. ſtimuli impatientia et propenſio quorundam hominum inde ab vtero

matris

matris ad oſcillationes aliquas fixas, nonnunquam per morbos progenerata, v. c. in hyſtericis, in quibus noua morbi acceſſio ab moſchi et gratiſſimae roſae exſpirationibus oritur, deſignat ſingularem irritabilitatis conditionem: Qua mutata, aut certe per aetatem, vitae genus, artem, morbos, hebeſcente, non poſſunt non ſimul immutari aliae ſenſus moleſtiae, quae olim hominem excruciarunt.

§. 276.

Praeter haec iſtam irritabilitatem febres omnes ſatis ſuperque docent; quae quamdiu nec a ſanguine nimio, nec a ſero, lympha, pure ſorpto vel acrimonia ſingulari excitatur, morbus nullus eſt; quo ſublato irritamento morboſo, morbus etiam tollitur. v. c. febres ephemerae, metaſtaticae, exanthematicae, intermittentes, bilioſae, gaſtricae, inteſtinales cet. Neque inflammatio ſine ſtimulo vlla eſſe poteſt.

v. GERHARD Triga Diſſert. Phyſiol. Med. Berol. 1763. DAN. MAGENISE The doctrine of inflammation, founded upon reaſon and experience, and intirely cleared from the contradictory ſyſtems of BOERHAAVE, VAN SWIETEN, and others, Lond. 1768. GATTENHOF Diſſ. Venaeſectionis verae indicationes, Heidelb. 1771.

§. 277.

Similiter poſt graues morbos remanens debilitas ſtimulique impatientia hanc irritabilitatem quaſi defeſſam ſignificant, in multis vero conſuetudinis vim et irritabilitatis vacuitatem, vt in pulueris et fumi contianae vſu, itemque potatione ſtrenua, Ruſſorum balneis frigidis poſt calida, nudato femellarum delicatularum pectore, pharmacis et ſoporiferis

 medica-

medicamentis, nec non venenis ipſis, v. c. arſenico cet. quotidie obſeruatur.

§. 278.

Quidni etiam ſub diuerſo caelo et anni tempore diuerſa morborum genera ab hac ſola virtute muſculorum inſita prognaſcantur, et interdum remiſſius afficiant, interdum exacerbentur? Quidni exinde repetenda incredibilis animi et aëris conſenſio, prouti aut grauis eſt, aut leuis, calidus aut frigidus, ſerenus aut nubilus? An in ea latet cauſſa, quare qui ſemel variolas, morbillos, et peſtilentiam euaſerunt, ii in poſterum ab iſtorum venenorum irritamento immunes putandi ſunt?

§. 279.

Cernitur vero omnis irritabilitatis vis atque poteſtas in ſolo *glutine*, vt bene demonſtrauit Perill. HALLERVS. Hinc perſpicuum eſt, cur ſenes, hydropici, et ſi qui malo corporis habitu laborant, ob nimiam terrae abundantiam glutinique veri defectum, calorem naturalem fere nullum habent, et genus minus irritabile ſunt, cur in febribus putridis et malignis, vinculo illo partium per fermentationem, vt Cl. BRINCKMANNO videtur, ſecuturamque putredinem ſoluto, aegri ſe peſſime habent, cur, vbi mucus deeſt, quo fibrae vniuerſae ſuperillinuntur, doloris vehementiſſimi ſenſus exoritur, cur febris poſt medicamenta adſtringentia ex toto quieſcit, et corpus fit integrum, cur opium ceteraque ſomnifera ſedationem irritationis adferunt rel.

v. BRINCKMANN Beitraege zu einer neuen Theorie der Gaehrung, Duſſeld. 1774.

§. 280.

Et perantiqua illa veterum doctrina *de diebus decretoriis morborumque iudicationibus*, firmior ab hac

hac irritabilitate Halleriana eſt. Quo magis enim morbi materia aegros irritabiles aut tardos exercet, eo citius aut tardius finietur, eo vehementiores aut debiliores ſolidorum humidorumque motus ſubſequentur, eo maius aut minus periculum, eo certius exitium aut ſalus erit. Signa vero, quae iudicationes morborum acutorum vt plurimum antecedunt, puta, rigor, ſtupor, tremor, palpitatio, pruritus, punctura, nauſea cet. praepeditam a conuulſione materiae morboſae egeſtionem docent, eaque facta, maximam partem minuuntur, ſopiuntur, ceſſant, vſum huius irritabilitatis in medicina multiplicem ſatis ſuperque ſtabiliunt. Hinc irritabilitas poſt febres acutas intenſior c) breui deſinit et pacatior fit.

v. Cl. VERSCHVIR Diſſ. de arteriarum et venarum vi irritabili, Groning. 1766.

B) HORROR.

§. 281.

Horror, repentina facileque vt plurimum tranſitura cutis veluti adſtrictio et conquaſſatio, fidiſſimus contagionis, peſtilentiae, et febrium quarumuis, acutarum, continuarum, ardentium, putridarum, earum, quae cum eruptione macularum puſtularumue incidunt, cum maxime algidae, comes et pediſſequus eſt. Qui vbi apparet, exinde colligimus, latere in corpore aegri grauem aliquam cauſſam, vnde vis vitae vehementer afficitur, irritabilitatem nimiam, et vaſorum cutis muſculoſarumque partium conuulſionem, quam breui ſubſecuturus aeſtus febrilis ſit. Qui ſi in valitudinis principio fortis et vehemens horrorem excipit, horror vero ſaepius

c) *Kloekhof.* Diſſ. de animi morb. p. 73. Opuſcul. ed. *Schlegel.*

pius reuertitur, augurari licet inflammationem internam, cum maxime pulmonum [d]), itemque ſuppurationem [e]); Sin vero crebri, parui et inconſtantes ex dorſo horrores [f]) fiunt, vnaque aeger leuiter inſudat, vrinae difficultas aut ſuppreſſio dolens pertimeſci debet. At *longus horror crebroque repetens* materiae multitudinem morbique diuturnitatem [ff]), *horror cum laſſitudine atque capitis dolore iunctus* [g]) menſtruam purgationem fere denunciat.

v. Cl. GEHLER Diſſ. de horrore, vt ſigno, Lipſ. 1758.

§. 282.

Eſt ergo *horror vehemens in febribus acutis* per ſe ſemper *bonus* ob vires vitae integras fibrarumque robur idoneum, praeſertim ſi illum ſudor inſequitur, aut certe corpus incaleſcit [h]), ſi egeſtio magna oritur, et aeger releuatur [i]), ſi in ſtatu morbi, diebus decretoriis et poſt antegreſſae coctionis ſigna incidit [k]), et conuulſio ſudore ſoluitur: Tunc enim futuras aut iam praeſentes vacuationes declarat, vereque iudicat. Contra ſi aeger iure veluti decretorio inhorreſcit atque inſudat, poſteroque die iterum praeter

d) *Gorter*. Comp. Med. Tr. 29. §. 9. p. 115 ſeq. T. I. ed. Lipſ.

e) *Tiſſot* Anleit. für den gem. Mann, c. 4. §. 68 ſeq. p. 87. verſ. germ. Hamb.

f) *Klein* Interpr. Clin. p. 83. et prae ceteris *Hipp.* Praedict. I. 10. p. 477. Coac. p. 523 et 525. I.

ff) *Gorter*. Prax. L. III. Tit. 2. 176. p. 167. *Lieutaud* Precis de la Medecine Prat. T. I. Sect. 1. p. 12.

g) *Hipp*. Coac. §. 3. p. 576.

h) *Proſp*. L. III. 11. p. 206 ſequ.

i) *Hipp*. Aph. IV. 58. p. 86.

k) *Galen*. Comm. I. in *Hipp*. Epid. I. text. 22. p. 418. et Comm. III. in III. Epid. t. 83. p. 578. III.

ter rationem horret, nec praecordia dolentia habet, nec materiam morbi coctam, profuſio ſanguinis *l*) exſpectanda eſt, et ſi ſimul inordinatus eſt, delirium, conuulſiones et ipſa mors *m*): At vbi tempore iudicationis inducit anxietatem, laſſitudinem, debilitatem, ſtuporem, conuulſionem, vocis amputationem, paruas parotides, ſudorem frigidum, deiectiunculas foetidas, metuenda eſt mala humoris morboſi migratio vel commutatio *n*). Talis horror fere ſymptomaticus eſt atque peſſimus augur: Apud HIPPOCRATEM et GALENVM dicitur *decretorius non decernens.*

Schol. Diuidunt vulgo *horrorem in decretorium*, *ſymptomaticum*, *perdurantem*, *reuertentem* ſ. *periodicum*, *vagum*, *frequentem* cet. de quo vid. HEVRNIVS Comment. in HIPP. Aph. IV. 46. p. 389. et 58. p. 412 ſequ.

§. 283.

Boni etiam *horrores* exiſtimantur, ſi in febribus continuis eos intermiſſio *o*) ſequitur, itemque in ardentibus, ſi acceſſio cum frigore et horrore ingruit, quoniam vires naturae ad materiam morbi ſubigendam et euacuandam ſufficere, certe moliri illud, declarant.

§. 284.

At *malus horror* cenſetur, ſi debilis eſt, nec cum aliqua egeſtione iungitur: Ille enim vires vitae accifas et fractas, impedimenta humorum mouendorum ineluctabilia, et reſtagnationem ſummam denunciat.

l) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 524. Aph. IV. 56. p. 87.

m) *Lieutaud* l. cit. *n*) *Gorter.* l. c. p. 168.

o) *Prosp.* l. c. p. 211.

nunciat. Malus etiam eſt, ſi, ineunte febre p), vehementer vrget, vnde certe eius magnitudo, malignitas, vitae imbecillitas, et periculum colligitur, quoniam, eo diu conſiſtente, dira anxietas, calor intenſior, inflammatio et gangraena, ſuffocatio et mors ipſa oritur. Porro malus et haud raro funeſtus eſt, qui crebro inuadit, celerrimeque permutatur q), qui ſudorem ſequitur, et morbi iudicationem conuulſione interceptam arguit, qui in febrilis ſimilitudinem et cum ardore interno aſciticorum r) viſcera exercet, qui purulentos atque tabidos explicat, et puris abundantiam aut corruptionem, itemque phthiſin s) praeſagit; ſi poſt nimiam egeſtionem incidit, aut eam, quae per ſe bona eſt, ſequitur; id quod reliquias materiae morboſae malique diuturnitatem praeſignificat: ſi ſub iudicationis ſpecie, et in laſſitudinis, leuis ſudationis citatique caloris ſocietate incidit; ſi cum pulſu debili, et anxietate increſcente eſt. Denique horror peſſimus et mortiferus haberi debet, ſi, acuto morbo vrgente, externae corporis partes ſunt frigidae, at internae quaſi exuri videntur, aegerque ſitim intolerandam et inexplebilem habet, ſi morbi vehementia vires t) attritae velutique ſucciſae ſunt, ſi horror febrem non finit cet.

§. 285.

Quibus praemiſſis, videamus, quid *horror in variis febrium generibus* ſignificet; Etenim ab acceſſione eius febris ſpeciem definiri poſſe, conſtat inter omnes. Eſt igitur *horror gradatim increſcens, febris*

p) *Boerh.* Aph. 623. et *Swieten* Comm. ad h. l. *Proſp.* III. 11. p. 212.
q) *Hipp.* Praed. I. 6. p. 474. I.
r) *Klein* l. c. p. 139.
s) *Gort.* Prax. l. c. p. 168.
t) *Hipp.* Aph. IV. 46. p. 86.

bris intermittentis index, *vagus* vero, *continuae.* Ille raro malus eſt, quoniam morbi materiam ad cutis emiſſaria *u*) deferre valet, eamque elidere, et niſi nimis protrahatur, aut aegros debilitatos, itemque quorum corpora frigida ſunt, exerceat, periculum adferre non poteſt. Vnde perſpicuum eſt, cur ſenes inter inhorreſcendum moriuntur, et cur *horrores vagi ſ. maligni apud* HIPPOCRATEM, ſi qui in intermittentibus incidant, nouam materiae morboſae congeſtionem indicent, et, vbi vires deficiant, periculum.

§. 286.

At *continuae horror* non niſi in acceſſione perſentiſcitur, nec adeo vehemens eſt. In acutarum initio, exceptis febribus inflammatoriis, horror vix vllus eſt, facileque euaneſcit, peſtilentia vero et febre maligniſſima ineunte perinſignis et crebrior, at adulta illa calor *x*) maximus et male ominoſus ſuccedit. Sin vero fortiter vrget, grauis morbi teſtimonium eſt, aegrumque de vita periclitari, ſcire licet, vbi illud, ineunte febre, accidit, quoniam iſta mali malignitatem et magnitudinem, nec non horrendas viſcerum nobiliorum inflammationem et gangraenam ipſam portendunt. Sed ſi longiore tempore tenuerunt, intutus eſt, et ſymptomaticus, bonus ac malus, propter cauſſas, vnde proficiſcitur, tempus, quo incidit, ceteraque ſigna. Nam ſi diebus decretoriis, antegreſſis coctionis notis, et bonis cum aegri viribus fit, ex his colligitur materiae morbi mutatio et ſubactio, irritabilitas fibrarum iuſta redintegrata, iudicium inſtans, idque vt plurimum ſalu-

u) Ibid. 58. p. 87.

x) *Swiet.* Comm. Aph. 623. p. 177. T. II.

ſalutare [y]), interdum vero nullum, ſiquidem horrorem illum ſudores, recidiuae, profuſiones ſanguinis, vrinae ſuppreſſio, morbus arquatus, abſceſſus, et mors ipſa ſequuntur.

§. 287.

Horror in putridis febribus ſi crebro reuertitur et magna cum debilitate, ſudatione, vocis defectione ceteriſque ſignis malis copulatur, pernicioſus eſt, et putridae humorum corruptionis [z]) index.

§. 288.

Nec ab *exanthematicis febribus horror* abeſt, iisque quaſi proprius, v. c. variolis, purpurae cet. Nam ſub variolarum acceſſione, et ſub altero morbi ſtadio horror ab acri materia ad cutim delata fit, vnaque indicat vim vitae et irritabilitatem concitatam fortiterque renitentem, pus ſorptum, cum maxime in confluentibus malignis, inflammationem internam, delirium, gangraenam, et plerumque mortem. Vbi vero iam deſquamantur, aegerque horret, iudicationem morbi per ſudores vel vrinam futuram, etſi ſaepius infidam, exſpectare licet. Contra *horror* frequens, iunctus cum vehementi capitis, dorſi et lumborum dolore, anxietate praecordiorum, reſpiratione difficili et ſuſpirio, ſenſu eo, qui a formicis oritur, in facie atque palpebris, oculorum caligatione, ac ſi aranearum telae ſuperinductae fuiſſent, inſolita virium defectione, pulſu frequenti ac debili, vigiliis, ſomniisque turbulentis, timore, moeſtitia, vrina ſanorum perquam adſimili, et die ſexto ſeptimoue ingruens, nota purpurae albae [a]) certa velutique

y) *Wedel* Path. Med. Dogm. Sect. 3. c. 8. p. 585 ſq.
z) *Avicenn.* L. IV. Fen. 2. tr. 1. c. 63. p. 826.
a) *Ludwig.* Inſtit. Clin. P. I. c. 1. Subſ. 8. §. 213. p. 95. *Hamilton* et *Nebel* ap. *Klein* l. c. p. 244.

tique indiuidua eſſe fertur. Neque raro praeſagit illam purpurae formam, quam ars aut peruerſi aegri mores [b]) extuderunt, tuncque potiſſimum incidunt circa vigorem morbi [c]) ſudores intempeſtiui, ſpiratio difficilis, facies flammea, oculi lacrumantes, flammei et quodammodo inflammati.

v. Ill. TRILLERI Diſſ. de horrore in febribus exanthematicis, praeſertim variolis, ſigno plerumque letali, Viteb. 1769. reſp. CHRIST. GOTTL. SCHATTER.

§. 289.

Horror in febribus inflammatoriis tantum non ſemper malus et periculoſus eſt, ideoque in continuis denunciat inſtantem inflammationem, et communis nota rheumatiſmi et dyſenteriae acutae, anginae, inflammationis pulmonum, laterum, vteri habetur, quoniam cum horrore perinſigni incidunt. Peſſimi vero horrores ſunt, ſi ab internis partibus exoriri videntur, et materiae acris ac putris ad interiora migrationem portendunt; in bonorum ſignorum ſocietate futurum abſceſſum [d]), haud raro gangraenam et ſphacelum imminentem. Eſt ergo horror in laterum et pulmonum inflammatione, ſi iudicatio nulla aut infida praeceſſit, ſemper ſuſpectus, et ſignificat gangraenam aut iam praeſentem, aut futuram, aut ſuppurationem, et empyema, aut ſorptum pus indeque oriundam tabem. Ex his intelligitur ratio, cur horror, qui ab vlceribus prouenit, ſemper

b) *Pezold* Progn. c. 4. Sect. 2. §. 116. p. 72.

c) De *Berger* ap. *Klein* l. c. p. 243.

d) *Foeſ.* Oecon. *Hipp.* p. 553. et *Swiet.* Comm. in *Boerh.* Aph. 834. p. 746 ſequ. II.

per malus *e*) cenſetur et ſymptomaticus, at bonus nonnunquam, ſi qui a vaſis.

C) RIGOR.

§. 290.

Rigor, i. e. concuſſus vniuerſi corporis, et quaedam partium muſculoſarum veluti demta mobilitas, quae tantum non ſemper a lumbis exoritur, deinde per dorſum ad caput fertur, commune morborum, maxime febrium, itemque egeſtionum quamuis futurarum et ſudoris decretorii *f*) ſignum, et bonus, et malus haberi ex reliquorum ſymptomatum ſocietate debet.

Schol. BAGLIVIVS Prax. Med. I. p. 80. triplicem *rigorem* efficit, *criticum*, i. e. qui egeſtionem decretoriam praenunciat; *periodicum*, i. e. qui in acceſſione frigoris febrium intermittentium incidit; tandem *ſymptomaticum* ſ. *erraticum*, i. e. qui vagus et citra vllam febrem eſt.

v. CHRISTOPH. GVIL. DE BERGER Comment. Med. de praeſagiis ex algore in febribus acutis, Gott. 1750. rec. ad calc. Opuſcul. BRENDELII, T. I.

§. 291.

Eſt ergo rigor interdum ſine febre, pluries cum febre: Qui ſi cum torpore multo iungitur, aut eum ſequitur, mentis alienationem, malignitatem *g*) et febrem quotidianam *h*) denunciat, itemque febrem

e) *Ballon*. Epid. II. p. 273. *Aretaeus* Cur. Acut. I. 6. p. 61. coll. *Steph.*

f) *Taurell*. Meth. Med. P. III. p. 427.

g) *Hipp*. de Vet. Medic. §. 29. p. 31. Praed. I. 2. p. 472. I. *Klein* l. c. p. 83.

h) *Hipp*. Aph. IV. 63. p. 88.

brem ardentem [i]) et phreneticorum [k]) morbum haud raro ſoluit, dum, morbo adultiore, ſudor copioſus et per totum corpus aequalis ſequitur. At ſi intempeſtiuus eſt et cum febre iunctus, vel continuus et crebro repetens, iudicationem irritam et inflammationem in ſuppurationem tranſituram [l]) indicare cenſetur, et cum opiſthotono, mortem [m]): praegreſſa ſanguinis profuſione [n]), vaſorum exinanitionem et morbi diuturnitatem; cum ſopore, flammeo oris colore, ſudore, frigore poſticarum corporis partium [o]), conuulſionem imminentem; cum garrulitate, conuulſiones ſoporas. Rigor, qui quaſi acceſſiones et deceſſiones [p]) ſuas habet, in febribus metui non debet.

§. 292.

Quare boni rigoris indicium eſt, vbi die decretorio incidit et poſt antegreſſam coctionem [q]), ſalutarem febris abactum per ſudorem, vomitum, alui ſanguinisue profluuia; vbi poſt rigorem corpus facile incaleſcit atque inſudat [r]), rel. Contra malus eſt et haud raro letalis, ſi die decretorio accedit, ſine vlla iudicatione, et cum ſignis decretoriis non decernentibus, v. c. ſudore frigido, tardo caloris reditu, cet. quoniam difficilem iudicationem, ſuppurationem

i) *Hipp.* Aph. IV. 58. p. 87. De Iudicat. II. p. 445. Coac. §. 1. p. 532.
k) *Gal.* in I. Praed. I. 13. p. 633. IV.
l) Ibid. Loc. Affect. I. 5. p. 22. IV.
m) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 524.
n) Ibid. Praed. I. 21. p. 485.
o) Ibid. Coac. §. 1. p. 523.
p) *Hipp.* Aph. IV. 43. p. 86. *Proſp.* III. 10. p. 205 ſq.
q) *Klockhof.* Diſſ. de Criſib. p. 209.
r) *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 1. p. 8 ſequ.

nem internam, migrationem materiae morbi infelicem [s]), et fractis iam aegri viribus, perniciem certam praeſignificant, praeſertim vbi cum ſopore [t]) copulatur. Malus etiam eſt, ſi febrem nec minuit, nec finit [tt]), ſi poſt inteſtinorum laeuitatem [u]) oritur, ſi febribus tertianas mentientibus ſ. inordinatis, ad ſummum euectis, conſociatur, ſi rigor tantus eſt, vt aeger facta et dicta obliuiſcatur, nec familiares agnoſcat [v]), ſi ſaepius recurrit, et ſine ſudore [w]) eſt, ſi potationes et comiſſationes rigor atque delirium [x]) ſubſequuntur, ſi partum praecedit, isque dolorem non adfert.

§. 293.

Peſſimi morbi et mortis ipſius teſtimonium eſt, ſi, ineunte ardente febre, aeſtus et rigor magnus aegrum occupant, ſi ſub acutorum morborum vigore rigor continuat, viresque attritae ſunt, v. c. febribus malignis, et quibusdam exanthematicis, phrenitide; ſi ad finem tabis pulmonariae [y]) accedit, ſi quouis veſperi exacerbatur cum vigiliis, ſomno turbulento, delirio, vrina non voluntaria: Nam conuulſionibus [z]) finietur.

§. 294.

Interdum et viros hypochondriacos, et mulierculas hyſtericas, rigores vrgent, qui ab irritamento quo-

s) *Hipp.* Praed. I. 21. p. 485. Coac. p. 523.
t) Ibid. Aph. IV. 29. p. 85.
tt) Ibid. 46. p. 86.
u) *Klein* l. c. p. 52.
v) *Hipp.* Coac. p. 522.
w) *Gal.* in l. Praed. I. 27. p. 665. IV.
x) *Hipp.* Aph. VII. 7. p. 103.
y) *Brendel* Coac. Praen. Penſ. III. n. 10. p. 180. T. I. Opuſcul.
z) *Hipp.* Coac. p. 523.

quodam, cui irritabilitas cum maxime patet, et conuulſione ipſa proficiſcuntur. Sed ſalua res eſt et ſalus integra, quoniam, ſublata iſta cauſſa, effectus ceſſare debet. At ſi feminis ex rigore febres incidunt, eaeque cum laſſitudine, horrore, capitis grauitate copulatae, ſcire licet, menſes fere imminere; contra vbi ſimul cum ceruicis dolore iunguntur, ſanguinis e naribus profuſionem exſpecta.

D) STERNVTAMENTVM.

§. 295.

Sternutamentum, quod in morbis accidit, denunciat ſepti transuerſi et muſculorum exſpirationi parentium conuulſionem, materiam irritantem infenſamque neruis. Hinc ex crebra eius repetitione inſtantem deſtillationem et grauedinem praedicimus, eamque eo pertinaciorem, periculoſam et caſu fortuito exitioſam, quo acrius inſidet iſta materia, et ſternutamenta ciet. v. c. quae a perpetua fluxione oriuntur, tandemque pulmones vlceratos [a]) relinquunt.

§. 296.

Sunt vero ſternutamenta bona, morborum teſtimonia, ſi in febrium acutarum ſtatu accedunt ſine malorum ſocietate, quoniam haec naturam fortem et prouidam [b]), itemque ſanguinis profuſionem decretoriam portendunt; ſi malignis febribus, rebus iam deſperatis, pulmonibus adhuc integris [c]), in lethargo cum oculorum auriumque fluxione, dolore capitis acri, deſtillatione finiendis, parciori menſium

O 2 fluore,

a) Ibid. Progn. §. 13. p. 459. et Coac. §. 3. p. 560.
b) *Gal.* in Progn. Com II. t. 49. p. 779. IV. *Lieutaud* Precis, T. II. Sect. 2. p. 107.
c) *Riuer* ap. *Klein.* p. 271.

fluore, ſecundis retentis, partu difficili d), conualeſcentibus e), hypochondriacis et hyſtericis ſuperueniunt, quarum acceſſionem ſternutamentum, ſi quod ſponte ſua incidit, haud raro reſoluit et male affectos neruos liberat. Itemque ſingultus perpetuos f) et dolorem dentium a ſeri colluuie oriundam tollit.

§. 297.

At inter mala indicia ſunt, vbi in febribus acutis, v. c. phrenitide g), pulmonum inflammatione h), aut poſt cetera pulmonum viſcerumue vitia vrgent; nam periculum aegri denunciant; vbi in morbis populariter graſſantibus, morbillis, variolis et febribus reliquis, per migrationem infidam ad nares i) declinantibus, proueniunt; vbi ſenes vertigine ac comate correptos, itemque ſanguine redundantes, morbo ſontico aut hernia laborantes, grauidasque feminas occupant; vbi modum excedunt, et per horas, dies, menſesque integros ſine intermiſſione continuant, vnde profecto metus eſt, ne languorem, ſyncopen, grauiſſima capitis mala, hemiplegiam, conuulſiones, caecitatem k) et mortem ipſam inducant. Numerare vero ſternutamenta, vt FORESTO placuit, indeque vaticinari, ridiculum eſt.

E) RISVS.

§. 298.

Riſus vt in ſanis hominibus et qui ſuae ſpontis ſunt, mire confert ad aequabilem humidorum motum

d) *Hipp.* Aph. V. 35. p. 93.
e) *Celſ.* de Med. II. 3. p. 49.
f) *Hipp.* Aph. VI. 13. p. 99.
g) *Conſtant. Afric.* Loc. Comm. X. 11.
h) *Lieut.* l. c.
i) *Gort.* Prax. T. II. L. I. 295. p. 13.
k) *Lieut.* l. c. p. 107.

tum efficiendum et obſtructionem incipientem libe-randam, ita in morbis tantum non ſemper habetur peſſimi ominis, cum maxime ſi aegro inuito, nec deliro accidit. Tunc enim indicat ſtimulum neruis infenſum [l]), conuulſionem ſingularium partium, et prae ceteris ſeptum transuerſum et inflammatum [ll]), id quod vulgo funeſtum ſignum ſtatuunt. Sunt tamen, qui iſtum riſum haud voluntarium ſepti transuerſi affecti teſtem eſſe negent, nec, vt nobis videtur, iniuria. At vbi infantes per quietem, et cum maxime vigilantes, modice leuique nutu ſubrident [m]), ſcire licet, conuulſiones vel eclampſiam inſtare.

F) TVSSIS.

§. 299.

Tuſſis, communis ac frequens eorum morborum comes, qui pectus, pulmones, ipſumque abdomen irritando afficiunt et occupant, aut certe ſputis iudicantur. Hinc vbi iudicium imminet, ſalutaris eſt, nec in febribus continuis acutis [n]) adeo terrere debet; at ſi magna, ſicca, et irrita eſt, morbi cruditatem notat, horror creber, cum tuſſi copulatus [o]), inflammationem in ſuppurationem tranſituram, exindeque oriundam tabem; itemque in inflammatione pulmonum ſicca, ferina, dolente, peſſimam morbi naturam, et reſolutionem vix vllam; in ea vero, quam ſputa ſincera et male olentia ſequuntur, ſuppurationem lentam et depaſcentem, interdum gangraenam atque mortem propinquam [p]). Si qua vero

 tuſſis

l) *Haller* El. Phyſ. T. III. p. 305.
ll) *Coopmans* ap. *Monro*. Neru. Anat. Contr. p. 45. n.
m) *Roſenſt.* l. c. Abſ. 10. p. 43.
n) *Sydenh.* Sect. I. c. 4. p. 83. I. Opp.
o) *Hipp.* Coac. §. 1 p 523.
p) *Pezold* Progn. Febr. Acut. c. 3. §. 78. p. 51.

tuſſis poſt morbum laterum acutum quouis veſperi incidit cum calore miti ac blando, nec remediis tollitur, aut recurſus mali, aut ſuppuratio q) et tabes praeſagiri debet. Contra ſi humida ſubito in ſiccam transformatur, et poſt grauitas pectoris oritur, febris hectica et pulmonum vlceratio exſpectanda eſt.

§. 300.

Ex his intelligitur, cur tuſſis ſtomachica, niſi inueterauit, minus pertimeſcenda videtur, quam tuſſis conuulſiua, quae peſſima corporis mala haud raro relinquit, nonnunquam iugulat; cur inanis et vehementiſſima iecur morboſum et obſtructum, arida vero ex quorundam ſententia tympanitidem indicare, illa denique, quae ab ſcirrho viſcerum dimanat, fere inſanabilis eſſe dicitur; cur in articulariis ſaepe nouam acceſſionem portendit, et circa exacerbationem vbi aeger leuiter inſudat r), malum indicium eſt, cur in hydropicis s) certum exitium portendit; rel.

G) SINGVLTVS.

§. 301.

Singultus denunciat ſiccitatem ſtomachi, eiusque oſculo acrimoniam aliquam, cruditatem ſordesque inhaerentes, ciborum potusque frigidi redundantiam, ſanguinem nimium, irritationem et conuulſionem ſtomachi ipſiusque ventriculi, ſepti transuerſi, hepatis, renum, praeſertim ſi calculus ibidem reſidet, nobiliorum viſcerum corruptionem, cartilagines coſtarum et oſſis pectoris depreſſiores, ideoque propter artam neruorum praecipuorum colligationem

q) *Aret.* de Sign. Diut. Morb. I. 9. p. 28. coll. *Steph.*
r) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 530.
s) Ibid. Aph. VI. 35. p. 100. VII. 47. p. 106.

nem inflammationem et gangraenam metuendam, interdum vbi materia morbi ad interiora migrauit, periculum, debilitatem inſignem et fatum ineluctabile.

Schol. Singultus, vt litteris prodidit magnus HIPPOCRATES Aph. VI. 39. p. 101. fere ab plenitudine aut inanitate oritur: vnde, inuenta cauſſa, facile ſciri atque praedici poterit, ſingultus periculoſus ſit, nec ne.

§. 302.

Neque terrere debet ſingultus, qui a ventriculo alimentis abundante, a lactis copia et corruptione, ab refrigeratione corporis, et in fine aphtharum a dolore partium proficiſcitur, itemque qui hypochondriacos, hyſtericas et iuuenes occupat, aut die decretorio incidit cum ceteris ſignis bonis; Tunc enim vomitum aut fluorem ventris decretorium *t*) praeſignificat: Alias malus *u*) eſt. Similiter ille ſingultus, qui in intermittentium febrium *v*) acceſſione per conſenſum vel materiam huc delatam fit, cum febre ipſa finiri ſolet.

§. 303.

Eſt ergo ſingultus periculoſus, qui in febribus acutis, continuis, ardentibus, praeſertim malignis, exanthematicis, inflammatoriis, putridis, aut poſt materiae morboſae demigrationem cum praecordiorum anxietate, dolore, ardore, atque ſiti magna, ſine vllis iudicationis indiciis accidit, et frequentia ſua moleſtus eſt; nam futurum exitium *w*) portendit: Id quod etiam certum eſt, ſi cum facie Hippocrati-

t) *Holler.* ap. *Klein* p. 270.
u) *Lieut.* Precis, T. I. S. 3. p. 316.
v) *Gorter.* Prax. T. II. L. 3. 353. p. 55.
w) *Ramazzin.* Conſtit. Epid. Ann. 1693. §. 22. p. 57. T. II. Opp. *Sydenh.*

cratica iungitur, aut antegreſſum vomitum meracum, nigrum ac foetidiſſimum, nec non inflammationem ventriculi inteſtinorum, hepatis et ſepti transuerſi, de quo multi dubitant, ileum, dolorem colicum, choleram, dyſenteriam, ſanguinis profuſionem *x*) et quamuis nimiam egeſtionem ſequitur. Porro inter mala indicia eſt, vbi ab hernia alicubi incluſa et retenta, eiusue et calculi chirurgia prouenit, cum maxime in ſenibus, ex colica vel tabe, quam maraſmum appellant, decumbentibus; vbi poſt laeſionem muſculorum oſſisque temporum *y*), cerebrum affectum et vulneratum, eruptiones cutis *z*) et egeſtiones decretorias repreſſas, oritur; vbi cum languore, ſtupore, delirio, conuulſione, ſomno profundo et animi deliquio eſt, vbi puerperas vrget, et teneſmo laboranti accidit rel. Peſſimus habetur ſingultus, quem vocis defectio, tremor et conuulſio corporis vniuerſi comitatur.

§. 304.

Ex his etiam perſpicuum eſt, ſingultum eorum, quos morbus arquatus exercet, per ſe terrere non poſſe medicum; at qui a venenis, viſceribus corruptis et immoderata humorum expulſione in pernicioſorum ſignorum ſocietate exoritur, eum eſſe formidabilem, praeſertim in ſenibus *a*), in aphtharum principio, et putrido pulmonum tabo *b*); ſingultum ab coſtis fractis, diſtortis, luxatis *c*), inflammatio-

x) *Lieutaud* l. c. p. 315. *Hipp.* Aph. VII. 3. p. 103. et Aph. 17. p. 104.
y) *Holler.* ap. *Klein.* p. 270.
z) *Aëtius* Tetr. III. Serm. I. c. 5. p. 442. Coll. *Steph.*
a) *Sydenh.* Sect. I. c. 4. p. 42. T. I.
b) *Swiet.* Comm. Aph. 991. p. 200. III.
c) *Klein.* l. c. p. 270.

mationem imminentem denunciare; contra vbi adoleuit, praedicta minus certa eſſe debere.

H) PAVOR.

§. 305.

Haud raro accidit, vt quis per ſomnum atque quietem inquietatus ſaepius expergiſcatur, quam aſſueuit, ſubito excitetur, percellatur et veluti conuellatur. Vitium illud, bene monente HIPPOCRATE d), infantum quaſi proprium et familiare eſt, ſi qua labes intus ſubeſt, nec qua cauſſa externa impellit. A noſtris, das Auffahren im Schlaf, das Erſchrecken, appellatur.

v. IO. HADR. SLEVOGT Diſſ. ſiſtens pauores puellae morbo complicato laborantis, Jen. 1706.

§. 306.

Sunt vero pauores, ſi qui febribus acutis continuis et ſomno e) ſuperueniunt, ſemper mali et conuulſionum praenuncii. Hinc in hyſtericis, hypochondriacis, atque iis, quos morbus comitialis et incubus exercet, frequentes ſunt punctiunculae, ſubitique ex pauore concuſſus. Hinc ab acrimonia, ſiue in primis viis et viſceribus illa lateat, ſiue ad cutim deferatur, vt in variolis et morbillis fit, ſimilia mala oriuntur; Hinc calculoſi et qui ſeminis profluuio laborant, vbi pauores crebri ſunt, exinde nouam acceſſionem f) augurantur.

§. 307.

Neque non ſcorbuticorum pollutionem terribiles antecedunt imagines, dolor acutus capitis, et

 cum

d) Aph. III. 24. p. 81.
e) *Hipp.* Aph. IV. 67. p. 88.
f) *Slevogt* l. c. §. 16. p. 17.

cum maxime occipitis, quaſique ab incuſſo iaculo, nec non corporis vniuerſi tremores. Sic etiam in infantibus, dum ex difficili dentiunt *g*), in feminis, quibus ſanguis moleſtus eſt, in iis, quibus articularis morbus inſidet, et qui Baccho et Veneri litant, haud raro pauores continuant: et ex ceteris ſignis, quae ſimul adſunt, diiudicari debent.

l) TENDINVM SALTVS.

§. 308.

Symptoma morborum grauium, acutorum, malignorum et ad ſummum deductorum familiare eſt *tendinum in carpo adſultus*, et haud raro delirium ferox atque conuulſiones ipſas antecedit, naturam valitudinis exacerbat, ſphacelum et mortem ipſam, vbi cum peſſimis ſignis incidit, ſaepe praeſignificat.

v. KLOEKHOF Diſſ. de ſtrepitu in pectore cet. p. 173. Opuſcul. ed. SCHLEGEL.

§. 309.

Eſt vero iſte tendinum ſaltus per ſe magis ingratus, quam vt terrere debeat, ſiquidem et in ſanis beneque valentibus, qui viſis per quietem inquietantur, itemque in hypochondriacis et hyſtericis crebro accidit ſine vllo periculo. At alia res eſt, dum homines morbis correpti decumbunt. Tunc enim ex vario morbi genere variaque cauſſa bonus aut malus eſſe debet.

§. 310.

Bonum ſignum eſt, ſi eius miniſterio eruptiones ad cutis emiſſaria deferuntur, v. c. in purpura et variolis, praeſertim vbi in febre ſecunda confluunt, aut, vbi intus reuerterunt, iterum in cute efflore-

g) *Roſenſt.* Kinderkr. Abſ. VIII. p. 28. ed. ſec.

floreſcunt; ſi parotides attolluntur, ſi dolor recrudeſcit, ſi egeſtio humorum morboſorum ſalutaris ſuperuenit. At grauis morbi periculum eſt, vbi peſſimas cutis eruptiones inſequitur, aut illae inauſpicato ad interiora delapſae fuerunt; vbi ob perturbationem aliquam decretoriam antegreſſam abſceſſus aurium exoriuntur, morbique materia denuo intus aufugit; vbi arthritidi et podagrae accedit; vbi in acutis per vices et interualla modo remiſſius, modo intenſius aegrum afficit et vrget, vbi in inflammatione viſcerum die aliquo decretorio peſſimis cum ſignis, difficili ſpiratione, tremore labiorum, cet. et proxime ante mortem *h*) oritur; vbi cum delirio vehementi iungitur, et a cerebro infirmato, laeſo atque deſtructo proficiſcitur.

§. 311.

Neque raro, vbi diuturnae conuulſiones aegrum occupant, aſſultus tendinum carpi conſpiciuntur, dum acceſſio exacerbatur. Sed iſti nec periculoſi ſunt, nec ad praeſagiendum multum valent, niſi exinde acceſſionis imminentis tempus et magnitudinem definire velis. Quam ob cauſſam non male HIPPOCRATES *i*) ex tali rigore, tendinum aſſultu, et ſomno turbato, vbi quis crebro expergiſcitur, conuulſiones, et ROSENSTEINIVS *k*) in infantibus eclampſiam praedicendam exiſtimarunt. Iis vero, quibus tendines in carpo praeter conſuetudinem ſubſiliunt, morbus grauis *l*) imminet.

K) CON-

h) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 7. p. 5.

i) Praedict. I. §. 13. p. 479. et Coac. §. 1. p. 523.

k) L. cit. Abſch. 16. p. 43.

l) *Lieutaud* l. c. T. I. Sect. 1. p. 11.

K) CONVVLSIO.

§. 312.

In malis iis, quae hactenus diſputauimus, eniteſcit *conuulſio*, quam Graeci σπασμὸν appellant. Horrendum malum eſt, ſed per ſe non adeo fatale ad interitum, et vtplurimum aut a multitudine humorum, aut a penuria [m]) dimanat. Quod ſi vero morbos grauiores comitatur, ſemper eorum magnitudinem, vehementiam, materiae morboſae malignitatem et ſolidarum partium obluctantium vim intentiſſimam denunciat.

§. 313.

Sunt vero communia conuulſionis futurae ſigna refrigerationis ſenſus in dorſo et ceruice, qualis ab ſuperinfuſa frigida oritur, vrina tenuis, aquoſa, pallida, ſpumans et cum animi defectione iuncta, itemque iumentaria, vox acuta et lugubris, oculorum hebetudo atque obſcuritas, aurium tinnitus, dolor capitis, oſſis pectoris ſub proceſſu enſiformi, dorſi, lumborum orisque ventriculi intenſior, itemque ille, quem ὀςεόκοπον ſ. oſſifragum nominant, palpitatio cordis, reſpiratio difficilis et interciſa, oſcitatio, ſomnus turbatior, pauores, vigiliae longae, delirium, ſopor, praeter haec crebrae loci permutationes et iectigationes, cutis, quae volas manuum occupat, intoleranda titillatio, plantarum pedis tenſio, torpor, tremor tendinumque aſſultus, inflatio ventris, cet. Haec enim ſine cerebri neruorumque [n]) vitio eſſe non poſſunt.

§. 314.

m) *Hipp.* Aph. VI. 39. p. 101.

n) *Pezold* l. cit. c. 4. S. 3. §. 117. p. 72 ſeq. *Klein.* Int. Clin. p. 56.

§. 314.

Quare ſi conuulſio in acutarum febrium principio incidit, vt plurimum humorum abundantiam, acrimoniam indeque ſuſcitatam irritabilitatem denunciat, et fere ſine periculo eſt: Id quod eo magis certum eſt, ſi febris nulla vrget, aut a ſordibus inteſtinorum oritur. In his vomitus bilis fuſcus, porraceus, rel. itemque deiectio o) ſaluti ſunt, eamque ob cauſſam conuulſio febrilis, quae eodem die finita eſt, bona p) putatur, quia febris illico aut certe breui ex toto quieſcit; contra ſi diutius ſubſiſtit cum viſcerum dolore magno et acerbo, mala q), cum maxime ſi quos iuuenes tenet. Etenim metus eſt, ne illis aut mortem afferat, aut in ipſo aetatis flore morbum articularium pariat, ſenes vero in anhelationem conuulſiuam, apoplexiam, contracturas neruorumque reſolutiones r) coniiciat. Haud raro vagi et inconſtantes conuulſionum motus in morbum longum, tumorem pedum ſtuporemque artuum, alui profluuia tetra, epilepſiam, apoplexiam, affectiones ſoporas, fatuitatem, caecitatem, nyctalopiam et ſurditatem degenerant. Cum delirio paruo ſi qua conuulſio per interualla vrget, ſuſpecta eſt, at non periculoſa; magis, vbi cum continuo delirio iungitur.

§. 315.

Porro ſi conuulſio tum, cum materia cruda coqui coepit, nec qua bona ſigna praeceſſerunt, incidit, peſſima quaeuis portendit, niſi hac via et ratione ſubtilior morbi materia excutiatur. Contra in ea iudicatione, in qua eius migratio ad cutim potiſſimum

o) *Gal.* Loc. Affect. V. 5. p. 125. IV.

p) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 554.

q) Ibid. Aph. IV. 67. p. 88.

r) *Stahl* ap. *Klein* p. 58 ſequ.

ſimum cernitur, v. c. variolis, ſaepius expulſionem accelerat, et corpus a periculo liberat. Neque terrere debet, vbi febris conuulſioni ſuperuenit: nam hoc morbum [s]) ſoluit: vbi a ſanguinis copia aut a ſuetis eius profuſionibus oritur, vbi paraplegiae ſuperuenit, aut febre, vrina, aluo, ſanguine, iudicatur, vbi in febribus ſubito accedit ſine vllis ſignis, propter oris ventriculi vitium, quod vomitu [t]) fere tollitur; denique vbi feminis hyſtericis atque hypochondriacis [u]), itemque pueris [v]), moleſta eſt.

§. 316.

Similiter malae conuulſiones ſunt, quae poſt dolores capitis acerbos, longas aſſiduasque vigilias [w]), deliria furioſa [x]), ſopores [y]), ſomnum tumultuoſum, pauores, tremores, neruorum tendinumque vulnerationes [z]), eruptiones cutis intus reuertentes, ingentia ſanguinis [a]) et ventris profluuia, ſiccitatem [b]) nimiam partium, itemque poſt menſes et purgamenta partus ſuppreſſa [c]) incidunt, aut aegros multum infirmatos [d]) occupant. Tunc enim ſcire licet, cerebrum vehementer affici, eiusque functiones mire turbari, et mortem [e]) ipſam plerumque ante portas eſſe.

s) *Hipp.* Aph. IV. 57. p. 87.
t) *Klein.* l. c. p. 57 ſequ.
u) *Hipp.* Praed. I. 17. p. 481. Coac. §. 3. p. 554.
v) *Roſenſt.* l. c. Abſ. 10. p. 60.
w) Aph. VII 18. p. 104.
x) *Pezold* l. c. p. 22.
y) *Galen.* Meth. Med. II. 8. p. 57. T. VI.
z) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 573. Aph. V. 2. p. 90.
a) Ibid. Aph. V. 2. 3. 4. p. 90.
b) *Gal.* de Palpit. c. 22. p. 214. III.
c) *Sydenh.* Diſſ. ep. ad *Col.* p. 279. I. *Hipp.* Praed. I. 18. p. 482.
d) *Hipp.* Aph. IV. 49. p. 87.
e) *Pezold* l. cit. c. 4. S. 3. §. 118. p. 73.

eſſe. Id quod eo magis valet, ſi tandem partem aliquam corporis, v. c. oculos, nares, labia, tenet conuulſio f) mireque diſtorquet.

§. 317.

Ex his facile intelligitur, quid potiora conuulſionum genera denuncient. Sic conuulſio, maniacis infenſa, caecitatem abſolutam, quam ἀμαύρωσιν g) nominant, et periculum vitae h) haud raro parit; ab venere nimia i), malam concoctionem et facilem ebrioſitatem. Mortiferae vero tantum non ſemper ſunt, ſi inflammatio cerebri in conuulſiones deſinit; id quod gangraenae funeſtae ſignum eſt: ſi anginae illae ſuperueniunt; ſi cum virium debilitate crebraque animae defectione k), itemque reliquis ſignis peſſimis iunguntur atque copulantur, ſi lumbricis inteſtina perforantibus aut veneno debentur, ſi in empyicis exoriuntur. Neque minus terrere debet, vbi vrinam craſſam aquoſa, alba, diluta, pellucida, et in qua nihil ſubſidit, ſubito ſubſequitur. Nam ob materiam acrem retentam, et irritamenta exinde oriunda, cerebrum l) affici et res aegri in peius mutari debent.

§. 318.

Reſtat conuulſio, quae ſingula membra occupat, et a loci affecti natura diiudicanda videtur. Etenim eae, quas ὀπισθότονον et ἐμπροσθότονον appellant, horrenda quidem corporis mala ſunt, at non ſemper

f) *Klein* l. et p. cit.
g) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 569.
h) *Zimmerm.* von der Erf. T. I. B. 3. c. 8. p. 440.
i) *Gal.* Loc. Affect. V. 5. p. 125. IV.
k) *Hipp.* Aph. IV. 49. p. 87.
l) *Boerh.* Aph. 712. et *Swiet.* Comm. ad h. l. p. 353. ſequ. T. II.

ſemper exitioſa. Itemque conuulſio maxillae m) inferioris, ſiue a ſocietate reliquarum proueniat, ſiue ab materiae et irritamenti migratione, ab rheumatiſmo capitis et ceruicis, a dente carioſo rel. ſanationem et ſecuritatem pollicetur. Nonnunquam vero intra quatriduum interficit, ſi peſſimis cum ſignis incidit. At poſt faciei conuulſionem mors certa et ineuitabilis eſt, niſi parotis oriatur atque pus deponat.

v. BRENDEL Progr. de ſpaſmo maxillae inferioris infantili, Gott. 1757.

SUBSECTIO II.

DE MOTV TONICO DEFICIENTE.

§. 319.

Contrarium actionum animalium vitium eſt, vbi *motus tonicus* veluti nimis torpet ac *deficit*. Potiores eius formae hae ſunto.

A) DEBILITAS.

§. 320.

Debilitas ſ. impotentia motus voluntarii, familiaris febrium comes et pediſſequa, ſemper indicat aditum ſucci neruoſi ad muſculorum fibras denegatum, aut eius defectum, itemque irritabilitatem Hallerianam valde imminutam et fere proſtratam. Quare quo maior eſt debilitas, et quo inconſtantiores vires ſunt, quae ad membra corporis mouenda requiruntur, eo periculoſior morbus haberi debet.

v. SWIETEN Comment. Aph. 661. p. 267 ſequ. T. II.

§. 321.

m) *Klein* Int. Clin. p. 58.

§. 321.

Denunciat vero debilitas, ſi qua ſubito accedit, graues morbos, eosque fere iam incipientes, v. c. febres inflammatorias atque putridas [n]). Neque terrere debet, ſi a humorum multitudine ac feruore, circuitu impedito, et cerebro compreſſo, aut a bile ſordibusque inteſtinorum itemque vermibus, proficiſcitur, quippe poſt vomitum [o]) illico ceſſat: Si in hypochondriacis et hyſtericis, in obeſis atque iis obſeruatur, quibus leucophlegmatia moleſta eſt, aut tela celluloſa inflatur atque diſtenditur. Si inediam vel grauem et diuturnum morbum ſequitur, niſi cum malis indiciis eſt; Tunc certe deliria et melancholia [p]) metuenda videntur.

§. 322.

Peſſima et haud raro letalis eſt, vbi in febribus acutis vehementerque fatigantibus incidit et cum ſubita virium defectione ac ſenſus amputatione [q]) iungitur; vbi a vaſorum exinanitione, obſtructione, compreſſione, cordis irritabilitate deiecta, aut ſine exinanitione [r]), nec non a contuſione capitis [s]) inſigniori, et gangraena imminente oritur; vbi ſubito et magna cum vehementia eos, qui ex angina [t]) laborant, occupat; vbi in aegris praedebilitatis et iam deſipientibus apparet, v. c. in phthiſicis conclamatis.

B) LAS-

n) *Iſenflamm* von den Nerv. §. 27. p. 80.
o) *Zimmerm.* l. c. p. 442.
p) *Lieut.* Precis de la Med. T. I. S. 1. p. 230.
q) *Macbride* Syſt. Einleit. T. I. B. II Abſ. 14. p. 114. *Sydenh.* Sect. I. 3. p. 57. c. 4. p. 65. I.
r) *Hipp* Praed. I. 5. p. 474. Coac. § 1. p. 526.
s) *De la Motte* Tr. de Chir. p. 580. T. II.
t) *Kettelaer* de Aphth. p. 37.

B) LASSITVDO ET TORPOR.

§. 323.

Laſſitudo, i. e. motus voluntarius, non niſi cum moleſtia, torpore atque obtuſioris doloris ſenſu peragendus, nonnunquam ſponte ſua incidit, nulla cauſſa euidente vel egeſtione copioſa antegreſſa. Haec morbos u) fere praenunciat, et motus inſtrumenta imbecilla, ſucci neruoſi penuriam parcioremue aditum, difficilem ſanguinis per vaſa, in primis muſculorum, curſum, et mali imminentis magnitudinem declarat.

§. 324.

Quare ſi laſſitudo febribus acutis et ardentibus ipſis accedit, ſcire licet, fieri rapidiſſimum humidorum motum, ſanguinem denſitate inflammatoria laborare, indeque meatus quaſi obſerari: qui niſi breui aperiantur, difficilis reſolutio humorum v) exſpectanda eſt. Bonam vero exiſtimant, ſi brachia cruraue occupat, et cum coctionis w) indiciis eſt, quoniam ſaepius materiae morboſae a nobilioribus corporis partibus ad ignobiliores demigrationem praeſignificat. Neque minus bona eſt, quae poſt egeſtiones x) corpus integrum dimittit. At mala et pernicioſa habetur, vbi, dum materia cruda eſt, vniuerſum corpus tenet, aut volubilis huc illuc oberrat; vbi inter mala ſigna, puta, caligationem oculorum, vigilias continuas, ſtuporem, ſoporem, ſingultum y) rel. eminet, vel in febribus malignis vſu euenit. Hinc ſi aeger exhorreſcit et decretorie inſudat,

u) *Hipp*. Aph. II. 5. p. 72.
v) *Swiet*. Comm. Aph. 739. p. 452. II.
w) *Gal*. Comm. in *Hipp*. Aph. IV. 31. p. 114 ſq. VII.
x) *Hipp*. Coac. §. 2. p. 537.
y) Ibid. §. 1. p. 525.

dat, iterumque incaleſcit, mali morbi teſtimonium eſt, cum maxime ſi vna ſanguis e naribus ſubſtillus profluat. Itemque propria quaſi ſcorbuticorum laſſitudo [z]) eſt, eaque cum defectione virium et animi copulata; Haec plerumque mali magnitudinem et periculum portendit. Senſus vero laſſitudinis, qui haud raro morbos acutos inſequitur, aut abſceſſus [a]) denunciat, aut vires corporis nondum ſatis inſtauratas.

§. 325.

Neque minus *torpor* terrere debet, qui in febrium acutarum principio, malignitatem, ſaepius mortem certam, v. c. in phrenitide [b]), ſignificat et ſi quam prae ceteris partem occupat, neque cum coctionis iudicationisque ſignis iungitur, ſemper malus augur eſt. Hinc ſi qui torpor per omne caput cum frigoris ſenſu huc illuc vagatur, grauem morbum praeſagire poſſumus, et ſi celerrime in contraria permutatur, perniciem. Malus etiam torpor eſt, qui cum ſurditate ſanguinisque ſtillis accedit, itemque qui conuulſionibus finitur, qui in hypochondriacis et hyſtericis [c]) ſaepius reuertitur, qui praeter conſuetudinem eos infeſtat, quibus ſanguis redundare videtur, aut cum rigore accidit. Illis enim apoplexia inſtat, his vero delirium. At ſi torpor et inflammationes internae conſociantur, ſcire licet, aegrum de vita periclitari. Quare poſt anginam non rite iudicatam praecordiorum dolor et torpor peſſimum ſignum putatur, et inſidioſe iugulat.

z) *Rouppe* vom Scorb. §. 12. p. 45. ed. *Schleg.*

a) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 556.

b) *Lieutaud* Precis T. I. S. 1. p. 214.

c) Ibid.

§. 326.

Perfecta vero et longa *neruorum reſolutio* ſemper periculum habet, et inſanabile vitium eſſe creditur niſi febris acceſſerit. Minus, quae in fine acutarum relinquitur, nec omnem ſentiendi vim dolorisque ſenſum aufert, et ſenſim dilabitur, nec non qua ſcorbutici et hypochondriaci, ſolius motus expertes, afficiuntur. Peſſima eſt, et fere immedicabilis, ſi a cerebro eiusue medulla laeſa et deſtructa oritur, ſi membrum affectum emacuit, et colorem cutis decoremque amiſit, ſi infimum ventrem partesque inferiores tenet, et aut conuulſionibus finitur, aut gangraena. Certe reſolutio denuo reuertens d) ſemper periculoſa eſt.

§. 327.

Contraria quaeuis denunciat *facilis membrorum motus*, et boni morbi teſtimonium eſt, corpus leue eſſe, et naturae legibus appoſite huc illuc ferri poſſe; at mali, graue eſſe. Id enim aut nimiam humorum copiam, aut debilitatem e) indeque oriundum diſcrimen praeſignificat.

C) OSCITATIO.

§. 328.

Oſcitatio, i. e. lenta et longa inſpiratio, quam magna exſpiratio cum quodam moti aëris ſtrepitu ſubſequitur, haud raro morbos antecedit, et lentiorem ſanguinis motum per pulmonum ceterorumque vaſorum anguſtias, nimiam eius multitudinem aut penuriam, nec non raptum celerrimum, grauitatem corporis, debilitatem et defatigationem, ſucci neruoſi defectum, humorum congeſtionem, obſtructionem,

d) *Lieut.* l. et p. cit.

e) *Taurell.* Meth. Praed. Med. p. 142.

ctionem, inflammationem, dolores, conuulſionem, febres rel. praenunciat.

v. AVG. FRID. WALTHER Diſſ. de oſcitatione, Lipſ. 1738. ANDR. EL. BVCHNER reſp. IO. CONR. FINGER Diſſ. de oſcitatione, vt ſigno in morbis, Hal. 1758.

§. 329.

Si ergo oſcitatio crebra et profunda febrientibus incidit, praedicenda noua acceſſio eſt, eamque comitabuntur eo grauior et longior conuulſionis vis, itemque eo copioſior et efficacior morbi materia, quo frequentius reuertitur, et quo diutius ſubſiſtit, v. c, in intermittentibus febribus, cum maxime tertiana et quartana. Porro crebrae oſcitationes et pandiculationes in febribus exanthematicis denunciant papularum eruptiones *f*), et cubitum feri ad tunicam pituitariam, glandulas colli faucesque ipſas, neque raro praecedunt febres bilioſas et peſtilentiales, vbi male ominoſae ſunt.

§. 330.

Neque rara eſt oſcitatio, vbi *ſanguinis profluuia* vel inſtant, vel ſolita deficiunt, vel nimis copioſa ſunt. Hinc familiaris femellarum eſt, quibus menſtrua purgatio *g*), cum ſpiratione difficili fereque conuulſiua, dolore capitis mordaci, neruorum diſtentione deeſt. Timere vero oſcitationem debemus, quae vulneri grauiori *h*), largiſſimo ſanguinis e naribus et pulmonibus profuſioni, conuulſioni ab vaſorum inanitate, cet. ſuperuenit.

f) *Franc. du Port* de Sign. Morb. L. IV. 23. p. 117.
g) *Hoechſtetter* Rar. Obſ. Dec. IV. Obſ. 9. p. 497.
h) *Ioh. a Meekern* Obſ. Medico-Chir. verſ. ab *Blaſio* c. 16. p. 87.

§. 331.

Porro a frequenti oſcitatione colligimus ingentes capitis dolores, ex ſeroſa colluuie oriundos, dolores ventriculi et inteſtinorum tormina, a ſordibus, vermibus et quauis roſione, pulmonum ſcirrhos et vomicas *i*), congeſtiones, vaſorum diſtentiones, conuulſiones, et ipſum caducum morbum, nouam hyſtericarum et hypochondriacorum acceſſionem, hernioſorum *k*) a delapſo et flatibus diſtento inteſtino miſerias, inſtantes animae defectiones, easque funeſtas futuras, ſi a laeſione graui, vlcere atque ſphacelo internorum viſcerum, cum maxime pulmonum, oriuntur.

§. 332.

Immo vero ſaepius oſcitatio poſt conceptionem *l*) incidit, et in grauidis difficilem ſanguinis per vteri vaſa traiectum, congeſtionem indeque ſubſecuturam abortionem portendit, in parturientibus *m*) partum difficilem, vteri impotentiam, inflammationem et gangraenam, itemque copioſiſſimam ſanguinis profuſionem, vteri vlcera, pulmonum tophos et hecticam futuram.

D) VOCIS DEFECTIO S. APHONIA.

§. 333.

Vocis defectio per ſe ſemper inter mala morborum indicia eſt, et decretoria aut raro, aut nunquam exiſtimari debet. Nam exinde colligitur magna inſtrumentorum vocis laeſio, conuulſio, plenaque abolitio, in morborum principio humorum multitudo, ventri-

i) *Walther* Diſſ. cit. §. 19.
k) *Walther* ibid.
l) *Hipp.* L. de Superf. §. 9. p. 650. II.
m) *Plin.* Hiſt. Nat. VII. 6.

ventriculi a ſordibus roſio, eaque euanida, vbi illae vacuefactae ſunt, in vigore vero plerumque mors ab ligamentis lingulae reſolutis. Quare in febribus continuis [n]) ſemper mala eſt, ſi aegri nictare oculis non ceſſant, neque vomitus aut ſanguinis e naribus effuſio accedit: Nam poſt ſpirationis difficultatem perniciter iugulat. Mala etiam, vbi in febribus adiunctam habet reſpirationem ſublimem et praecordiorum dolorem, nec ſudore tollitur; vbi grauidas tenet, et poſt partum ſubſiſtit; vbi anginae, catoche, viriumque amputationi [o]) ſuccedit, et in febribus conuulſiuis cum delirio taciturno [p]) iungitur, vbi poſt apoplexiam, linguae reſolutionem, lapſum ab alto, itemque ab arthritide retrograda [q]) fit. Peſſima tandem et perniicioſa habetur, ſi vires proſtratae ſunt, nec ſudor vllus incidit; ſi ſingultus, ſtupor, dolor [r]) cum peſſimis ſignis vrgent; ſi morbi iudicatio [s]) aut nulla ſequitur; aut in ſocietate vehementis delirii [t]) venit et in illud deſinit; ſi conuulſiones ab vaſorum exinanitione [u]), cum ſingultu et animi deliquio copulatas, excipit.

§. 334.

Media quaſi vocis defectio habenda eſt, quae vermium roſioni, atque terrori debetur, nec iam multo abhinc tempore corpori inſedit; quae vulneribus cerebri ſuperuenit, et cum ſanguinis fluore, bilis vomitu, ac ſideratione membrorum eſt: nam poſt

 caliga-

n) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 525 et 527.
o) *Hipp.* Coac. §. 2 p. 543.
p) *Hipp.* Praed. I. 7. p. 475.
q) *Gal.* Loc. Aff. I. 6. p. 25. IV.
r) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 544.
s) *Proſp.* L III. 13. p. 221.
t) *Hipp.* l. cit.
u) Ibid. Praed. I. 3. p. 473.

caligationem oculorum et ſurditatem plerumque mors [v]) inſtat. Saepenumero in conuulſionibus vox amiſſa, die impari reuertens [w]), a graui morbo vindicat.

§. 335.

Quibus praemiſſis, ex facili cetera medicorum effata de vocis iactura intelligentur. Indicat ergo in febribus acutis conuulſiua inſaniam magnam, cum ſilentio iunctam, et perniciem certam; ſi die decimo quarto [x]) accedit, periculum et morbi longitudinem; poſt iudicationem [y]), aegrum tremore atque ſopore correptum interiturum; poſt ebrietatem [z]) grauem, conuulſiones indeque oriundam mortem, ni febris ſucceſſerit; poſt conuulſiones breui ceſſans [a]), linguae, brachii et dextrae ſiderationem; in hyſtericis nouam acceſſionem; in hominibus pituitoſis, hydropicis, catocho et ſopore laborantibus, item apoplecticis, longum periculoſumque morbum [b]); in dolore capitis acerbo [c]), delirium, phrenitidem, cerebri oppreſſionem; in inflammatione laterum et pulmonum, empyemate, hydrope pectoris, aſthmate humido cet. grauis morbi periculum.

§. 336.

Reſtant cetera vocis vitia, quae ſaepe ante aduerſam valitudinem oriuntur eamque quaſi praenunciant, ſaepe autem cum illa ſimul accedunt. Quare vox

v) Ibid. Coac. §. 2. p. 572.
w) Ibid Epid. II. S. 6. p. 708. I.
x) Ibid L Vict. Acut. §. 50. p. 309. II.
y) Ibid. Praed. I. 12. p. 478. Coac. l. cit.
z) Ibid. Aph. V. 5. p. 90.
a) Coac § 3. p. 555.
b) *Gort.* Prax. T. II. L. II. 314. p. 29.
c) Ibid.

vox rauca in febribus acutis et inflammatoriis notat gutturis et aſperae arteriae ſiccitatem nimiam, humorum lentorem, periculum, nec non bilis redundantiam, vt BAGLIVO videtur; at in morbis liquantibus et egeſtione continua perdentibus, febre hectica; phthiſi conſummata, empyemate, et poſt ſanguinis ſputa, res aegri deſperatas; *vox acuta*, cum praecordiis retractis [d]) peſſimisque ſignis copulata, inſtantem mortem; *acuta*, *clangens* ſ. *ſtridula*, *querula*, *plorabunda*, *flebilis*, *lugubris*, *interciſa*, *inaequalis*, *obſcura*, *ſuſpirioſa*, quae non niſi gradu a ſe in iisdem differunt, vbi in febribus continuis incidunt, ligamenta lingulae ſicca et intenta, inflammationem harum partium, conuulſionem, et mortem [e]): *vox tremula*, debilitatem perinſignem, delirium, conuulſionem, et fatum [f]) ineluctabile; denique *vox acuta*, *debilis*, *deficiens* in febribus acutis, partium anguſtiam, defectionem virium, migrationem materiae infauſtam, et periculum [g]) ſummum denunciat.

§. 337.

Contra *ſonorus pectoris ſtrepitus* laterum inflammationem fere ſubſequitur, et ſanguinem in pulmonibus haerentem, itemque inflammationis in abſceſſum permutationem declarat. Qui quoniam vt plurimum die octauo vel decimo ſuperuenit, ſcire licet, periclitari aegrum, et ſalutem aut deſperandam, aut certe ancipitem eſſe: at ſi ſimul ſputa mala ſunt, mortem [h]) breui adfuturam.

d) *Hipp.* Praed. I. 17. p. 482.
e) Coac. §. 1. p. 526.
f) Coac. §. 2. p. 544.
g) *Gorter.* Prax T. II. L. II. 314. p. 29.
h) *Klein* Int. Clin. p. 238.

E) ANIMI DELIQVIVM.

§. 338.

Periculum in morbis oſtendunt *crebra animi deliquia.* Quae dum oriuntur, ingentem virium vitalium et animalium imbecillitatem, mali magnitudinem, vehementiam, malignitatem, et haud raro exitum funeſtum denunciant. Hinc ab vehementi animorum motu, phantaſia viuida, aſpectu rei turpis vel deteſtandae, odore graui vel ſuauiuſculo, et neruorum ſenſum valde concitante, ab acrimonia quacunque, a morbo, inedia, vigiliis, exinanitione, conuulſione, cet. identidem proueniunt, et, vti variae cauſſae ſunt, vnde dimanant, ſic etiam varia praebent indicia. Neque protinus timeri debent, ſi debiles, valde irritabiles, hypochondriacos, hyſtericas grauidasue feminas tenent, niſi cum peſſimis ſignis copulata fuerint, minime vero omnium, ſi ſanguinem miſſum ſequitur, modo quies et ligatura iuſta adhibeatur. Quam animae defectionem inſtare [i]) docent pulſus debilior, vacillans, et identidem inaequalis ac intermittens, ſanguinis celeritas imminuta et retardata, palpitatio cordis, leuis vertigo, oculorum acies hebetata, pallor oris et labiorum, nauſea et vomituritio, cet. Id tamen certum eſt, eos, qui ſaepe ac vehementer animo linquuntur [k]), ex improuiſo, nec opinantes mori.

v. HEISTER Diſſ. de animi defectione, Helmſt. 1728.

§. 339.

Grauius vitium *ſyncope* eſt, et haud raro febres [l]) praenunciat, at ſi ſine cauſſa aperta incidit, mortem

i) *Swiet.* Comm. Aph. 141. p. 214 ſequ. I.
k) *Hipp.* Aph. II. 41. p. 75. I.
l) *Lieut.* Precis T. I. S. 3. p. 301.

mortem ipſam. Quae etiam plerumque ſequitur in pueris, quorum ſtomachum vermes [m]) rodunt, iique tunc, cum inſtat, per os exeunt.

§. 340.

Terrere igitur non debet, quae ſcorbuticos affligit, neque cum viſcerum vitio, deiectiunculis nigris et atrabilariis ceterisque indiciis malis eſt; quae poſt grauem morbum a debilitate oritur, vel voracitati, ſordibus ventriculi, flatibus, exſpirationibus putridis et grauibus, calori cubiculi multo, irritabilitati facili et exquiſitiori neruorum ſenſui, itemque vehementibus animi perturbationibus debentur. Contra peſſima et fere pernicialis eſt, ſi ex viſcerum corruptione, ſphacelo, opio, ſanguine nimis tenuato, vel vaſa magna [n]) obſtruente, nec non poſt tumorem ad cor et membranam eius ſuccingentem, palpitationem longam et inueteratam, partum laborioſum, profuſionem ſanguinis immoderatam, abſceſſum [o]) internum ruptum, niſi alicubi pus effluat, poſt fulminis ictum et conuulſiones horrendas naſcitur, aut ſi in febrium acutarum initio et ſtatu, in febribus malignis et exanthematicis, in variolis confluentibus ob ardorem doloremque intolerandum, et poſt materiae morboſae demigrationem in interiora viſcera, aegrum excruciat. Tunc de vita eum periclitari, ſcire licet.

§. 341.

Habentur vero peſſima ſyncopes [p]) indicia, ſudor frontis, temporum, ceruicis, pectoris, manuum, frigidus et copioſus, pulſus deficiens, reſpiratio nulla,

m) *Klein* l. c. p. 167.
n) *Gorter*. Prax. L. III. Tit. I. 145. p. 126 ſequ.
o) *Hipp.* Aph. VII. 8. p. 103.
p) *Klein* l. c. p. 176.

la, ſenſus animique torpor, ſic, vt homo vix in vitam reuocari poſſe videatur, ſed ſemper ſoporetur, facies Hippocratica et morboſa, eiusque color pallidus, liuidus, ac viridis, itemque ſi tremor et conuulſio ſuperueniunt, nec corpus recaleſcit, cet.

§. 342.

Huc etiam pertinet *ἔκλυσις* ſ. *exſolutio* HIPPOCRATIS *et ἀψυχίη*. Illa ſi ab rigore q) coque cum dolore capitis iuncto oritur, periculoſa et pernicioſa eſt, praeſertim ſi ſimul vrina cruenta profluit: at ſi torpori ex partu r) ſuperuenit, ſaepe inſtans delirium nunciat, interdum et menſium copiam. Contra haec vbi aegris incidit, quoties aluus deiicitur, aut erecto corpore in lecto ſedere ſubitum eſt, vix vlla ſpes ſupereſt, cum maxime ſi ab prima morbi tentatione vrget. Nam morbus grauiſſimus et delirium s) exinde colliguntur. In hyſtericis non adeo pertimeſcenda eſt.

SUBSECTIO III.

DE MOTV TONICO MIXTO.

§. 343.

Praeter haec motus tonici vitia, quae hactenus in medium proferre putauimus, dantur quaedam, quae inter eum, qui modum excedit aut prorſus deficit, media quaſi eſſe, neque tuto ad alterutrum referri poſſe videntur. In quo *membrorum tremorem et palpitationem cordis* collocandam exiſtimamus.

A) TRE-

q) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 524.

r) Ibid. §. 3. p. 577. I.

s) L. Vict. Acut. §. 48. p. 307. II.

A) TREMOR.

§. 344.

Tremor ſ. motus alternus, vacillans, non voluntarius fereque interceptus *t*), ſiue, vt GALENO *u*) placet, *impotentis ac debilis motus ſymptoma*, in ſanis et bene valentibus haud raro notat inſtantem neruorum reſolutionem, in iis vero, quos reſolutio tenet, redeuntem valitudinem; in morbis nimiam humorum multitudinem, et quietem ob vaſa imperuia, ſucci neruoſi defectum vel motum inordinatum, fibrarum mouentium infirmitatem *v*), in principio febrium acutarum reſtagnationem, in incremento materiae morboſae ad caput aditum, deliria, conuulſiones, grauia capitis mala, niſi cauſſa auferatur, ad finem vero et vbi egeſtiones largae anteceſſerunt, ſuppurationem, corruptionem, vires fractas et mortem. At ſi die aliquo decretorio et antegreſſis coctionis ſignis apparet, ſecuritatem *w*) pollicetur: ſine his malum morbi exitum, infidam materiae demigrationem et perniciem. Attamen haud raro tremores cum conuulſionibus et ſudore copulantur. Quod vbi euenit, reuerſio mali *x*) exſpectari debet, niſi rigore iudicetur, et ſi tremor ſine iudicatione ceſſat, abſceſſus articulorum et veſicae dolor *y*). Certe ex his perſpicuum eſt, ſanguinis itum et reditum turbari et ſummam corporis debilitatem ſubſequi oportere.

Schol.

t) *Sauvages* Noſol. Meth. p. 557. T. I.
u) L. de Tremor. c. 3 p. 198. III.
v) *Gort* Med. *Hipp.* Sect. 6. Aph. 26. et Prax. Med L. III. T. II. 177. p. 169.
w) *Hipp.* Epid. IV. 8. p. 748.
x) Praed. I. 15. p 480. Coac. §. 3. p. 554.
y) Coac. §. 1. p. 532.

Schol. LIEVTAVD Precis, de la Medec. Prat. T. I. S. I. p. 209. duas tremoris formas conſtituit, quarum altera ab neruorum reſolutione, altera ab conuulſione oritur.

§. 345.

Eſt ergo tremor, qui copioſas egeſtiones ſequitur, et nobiliora viſcera tenet, itemque validus et diuturnus, ſemper malus, quoniam vires frangit, et irritabilitatem nimis concitatam, cauſſam pertinaciſſimam et debilitatem perinſignem declarat. At minus terrere debet, qui paruus, recens, congenitus, ſenilis eſt, qui a cauſſa externa et humorum copia oritur; magis, qui a vermibus, et neruis obſtructis; omnium maxime, qui ſuccorum penuriae aut materiae morboſae demigrationi, quam μετάςαϲιν appellant, debetur, niſi vires vitae viribus morbi ſuperiores ſint. Neque exempla deſunt, vbi dolor capitis pertinacior et diuturnus, itemque a rigore facta vocis defectio, tremore brachii manusue iudicata ſunt.

§. 346.

Inſanabilem fere putant, ſi neruorum reſolutioni z) ſuperuenit, aut ab motus inſtrumentorum aritudine a), nec non ab validis et inueteratis animi motibus, a terrore aut a venere crebriori dimanat, ſi poſt cerebri laeſionem b) grauem et compreſſionem diu ſubſiſtit, vel ſenibus valde incommodat.

§. 347.

Neque rarus tremor in ſcorbuticis eſt, ſin vero in grauidis ante partum c) ſponte ſua naſcitur, et

z) *Lieut.* l. c. p. 210.
a) *Galen.* in Progn. Com. I. 13. p. 740. IV.
b) *Swiet.* Comm. Aph. 627 ſequ. p. 182. II.
c) *Gort.* Prax. L. III. Tit. 2. 177. p. 169.

et inſtantem partum denunciat, et abortum: Contra ſi poſt continuat propter ſordes puerperii retentas, periculum vitae ingens et ſubinde epilepſiam mortiferam. Praeter haec tremor manuum princeps quaſi ſignum febris carcerariae [d]) et primarum viarum ſordibus [e]) repletarum eſt, praeſertim ſi cum perpetuo frontis et ſuperciliorum attactu iungitur. Sic etiam febres, in quibus tremor et laſſitudo moleſta eſt, propter malignitatem metuere debemus: ſed tremor, torpor, ſtupor manuum, vertigo, ſaepius apoplexiam praeſignificant, cum maxime ſi a morbo ineunte et ſine vlla cauſſa praegreſſa adfuit; nonnumquam ſubitam neruorum reſolutionem inducit.

§. 348.

Tremor a potu [f]) multo et crebro vini atque ſpirituum, et pertinacius biboni inſidet, et membra inualida vehementer affligit. Ex eo enim colligitur fibrarum ſumma imbecillitas, futura apoplexia neruorumue reſolutio, memoriae ingeniique iactura, lethargus, malus corporis habitus, hydrops rel. Interdum ceſſat, vbi vari et gutta roſacea, nec non tuſſis violenta, et cum ſputis foetidis iuncta, deſtillatio copioſa et longa, ſudor vel aluus fuſior ſuperuenit.

§. 349.

Tandem tremorem aiunt mortiferum, vbi in febribus ardentibus [g]) poſt delirium incidit; vbi membra et linguam acute febrientium occupat, et in

d) *Pringle* Feldkrankh. c. VII. Abſ. II. p. 342.
e) *Sarcone* Epid. zu Neap. T. II. §. 569. p. 258. verſ. germ.
f) *Klein* l. c. p. 281.
g) *Swiet.* Com. Aph. 741. p. 487. II.

in conuulſiones horrendas transformatur; vbi vulneratos, phreneticos [h]), lethargicos aut aegros morbi vehementia debilitatos corripit; denique vbi in moribundis [i]) obſeruatur. Nam certiſſimo eſt indicio, vim cerebri deiectam eſſe, ſuccum neruoſum deficere, vel inordinate moueri, conuulſiones, neruorum reſolutionem et mortem ipſam imminere.

B) PALPITATIO.

§. 350.

Palpitatio, vitium tremore aliquantum vehementius, deſignat humorum defectum, circuitus impedimentum, tumorem cordis, grumum ſanguinis, vlcus, aneuryſma, et varicem magnorum vaſorum, polypum, irritamentum aliquod latens, v. c. in abdomine, et ſubito laceſſens, conuulſionem cet. ideoque varia etiam eſſe debet praedictio [k]).

§. 351.

Palpitatio decretoria febrium acutarum perrara eſt et dubia, ſiquidem haud leue vitae periculum tantum non ſemper denunciat, et fere periculoſiſſima eſt, vbi poſt lentorem febrilem incidit, vbi, viribus aegri peſſum datis, ſphacelus inſtat, aut diu ſubſiſtit [l]): nam ſaepius ſyncope correpti moriuntur. At ſi qui iuuenes vel viri eam ſaepius experiuntur, non facile conſeneſcunt, ſed in crebras animae defectiones incidunt, tandemque nec opinantes pereunt. Neque pertimeſci debet, quae hyſtericis et hypochondriacis familiaris eſt: breui enim, vbi flatus, irritamentum et conuulſio remittunt, etiam ſopitur: ideo-

h) *Hipp.* Praed. I. 2. p. 472. Coac. §. 1. p. 529.
i) *Kloekh.* Diſſ. de ſtrepit. in pect. p. 67.
k) *Proſp.* L. III. 6. p. 177 ſeq. *Klein* Int. Clin. p. 59.
l) *Gort.* Prax. L. III. T. 2. 172. p. 161.

ideoque multo minus, ſi illam ſubita vel certo tempore reuertens ſanguinis abundantia m) progenuit.

§. 352.

Medicabilis palpitatio eſt, quae a ſcorbuto, menſibus ceteriſque ſanguinis expulſionibus ſuppreſſis, et malo corporis habitu oritur, etſi ſcorbutica ob crebras animi defectiones et catarrhum ſuffocantem periculoſior videtur. Immedicabilis vero eſt, quam polypus, inuſitata cordis magnitudo et abſceſſus, hydrops pericardii n) et hydatides, aneuryſma, vermes, pili, calculi, rel. inducunt. Tandem peſſima et funeſta cenſetur, ſi palpitatio frequens, magna, fortis et pertinax cum anhelitu continuo, crebris animi deliquiis, pulſu inaequali, cet. eſt, vel eidem conuulſiones, ſyncope, atque catarrhus ſuffocans ſuperueniunt.

SECTIO II.

DE SENSIBVS EXTERNIS, VT SIGNIS.

§. 353.

Mirifice in morbis mutantur *ſenſus externi*. Quod dum fit, perſpicuum eſt, adeſſe oportere magnam earum functionum infirmitatem, in quibus omnis ſenſus cernitur. Obliterato illo, vel ſaltem a ſueta naturae lege abhorrente, non poteſt non inualitudo naſci, et periculum eo maius impendere, quo propius ille a communi ſentiendi inſtrumento abeſt, et quo magis neceſſaria eius opera ad vitae ſuauitatem eſt.

§. 354.

m) *Gal.* Loc. Affect. V. 1. p. 113.
n) Ibid. p. 112.

§. 354.

Iam vero ex ſcholarum doctrina ſenſuum externorum nomine comprehenduntur *viſus*, *olfactus*, *guſtatus*, *auditus et tactus*, ideoque nec incongruens, nec ſuperfluum eſſe videtur, varia ſenſus inſtrumenta ſtrictim percenſere, et, quibus quotque incommodis pateat, quid illa boni maliue praeſagiant, paucis explicare.

SUBSECTIO I.

DE VISV, VT SIGNO.

§. 355.

Incredibilis oculorum vis eſt; nam tanquam fidiſſima animi corporisque affectionum interpretes o) haberi debent. Quare ſi naturalis oculorum vigor et claritas in morbis, cum maxime acutis, ſubſtitit, vel breui reuertitur, inter bona indicia eſt, praeclare monente HIPPOCRATE p), itemque oculi bene colorati q) corpus bene ſe habere docent. Timeri tamen debent, ſi in febribus continuis r) rebusque aegri deſperatis incidunt; Fallax enim exinde augurium capitur, et mors vt plurimum ante portas eſt.

§. 356.

Quare ſi in febribus acutis *oculi hebeſcunt*, nulla cauſſa euidenti antegreſſa, vniuerſi corporis debilitatem et periculum ſignificant, et in hypochondriacis atque hyſtericis nouam acceſſionem, eamque grauiorem. Hinc viſus acies quaſi hebetata et cum crebra animae defectione iuncta index habetur cerebri

o) *Linds* Papers on fevers, p. 9 et 89.
p) Coac. §. 2. p. 541. I.
q) *Gal.* Comm. ad Epid. VI. S. 4. t. 26.
r) *Prbſp.* II. 7. p. 300.

bri vehementer affecti, conuulſionum, et ipſius mortis [s]), praeſertim vbi viſus in aegro debilitato [t]) perfecte tollitur. Hebetudo viſus a vulneribus ſupercilio [u]) illatis periculoſa, cum maxime ſi tarde coaleſcunt: ex cerebro concuſſo vel laeſo, peſſima fereque internecina eſt.

§. 357.

At ſi *caligant oculi* [v]), vel propter debilitatem lucem refugiunt, vt in peſtilentia Patauina factum eſt, ſimulque vertigo tenebricoſa, ſopor et aeſtus ingens [w]) aegrum fatigant, item ſi ille delirat, nec audit, neque intelligit [x]), mors ante portas eſt. Sic etiam caligo tenebricoſa, quae in acutis vel ardentibus febribus cum praecordiorum intentione non dolente incidit, ſanguinem e naribus [y]) profundendum; at caligatio vnaque defectio animi, propinquam conuulſionem, interdum apoplexiam [z]) denunciat.

§. 358.

Neque rarum eſt, aegrum *aliter videre*, ac ſolitus fuit, idque malo eſt, praeſertim ſi febribus comitatur, vel poſt iudicationem [a]) malasque egeſtiones, v. c. ſtillas ſanguinis e naribus, ſudorem frontis, temporum collique frigidum rel. remanet; Etenim iſta ſemper cum aegri exitio accidunt, et haud

 raro

s) Coac. §. 2. p. 542.
t) Aph. IV. 49. p. 87.
u) Coac. §. 3. p. 573. *Io. Zach. Platner* Progr. de Vuln. ſupercil. cur caecit. adferant, Lipſ. 1741.
v) Coac. §. 1. p. 527. et §. 2. p. 543.
w) Aph. VIII. 15 et 16. p. 111.
x) Progn. §. 2. p. 449. Coac. §. 1. p. 527. *Gal.* in Progn. Com. I. 13. p. 739. IV.
y) Praed. I. 19. p. 483.
z) Coac. §. 2. p. 542.
a) Coac. §. 1. p. 529.

raro guttam ſerenam relinquunt. Porro *rectus et continuus oculorum obtutus* praenunciat deliria; *motus perniciſſimi* et ſplendor, conuulſiones [b]) et morbum diuturnum, cum maxime ſi cum ſomno turbulento, vigilia aſſidua, et ſanguinis ſtillis coniunguntur, itemque *muſcarum volitantium viſus*, delirium, ſuffuſionem, cataractam; *fulgura ignea*, ſplendentia, rubra, oculis ſemper et vbiuis obuerſantia, cum viſus obſcuritate ac praecordiorum diſtentione copulata, fibrarum oculi a nimio ſanguinis aditu conuulſionem futuramque narium haemorrhagiam [c]); *viſus tenebricoſus* et iunctus cum vertigine, continua labii inferioris agitatione, dolore capitis, multo ſaliuae fluore ac ſtomachi morſu, vomitum [d]) et ſalutarem, et ſymptomaticum. At ſi *diplopia* ſ. viſus veluti geminatus *e*) infeſtat, ſcire licet, aut lentem cryſtallinam e ſede ſua motam eſſe, aut viſus axin multum immutatam, v. c. a conuulſione oculorum, tumore morboſo cet. In febre hectica pene affecta reliquisque morbis grauioribus mortis *f*) imminentis praenuncia eſt.

§. 359.

Praeter haec *oculi bulbus* conſiderari debet. Qui ſi, horrendum, quantum *foras eminet*, facies vero intumeſcit et rubore multo ſuffunditur, perſpicuum eſt, aegro imminere ſanguinis ad caput congeſtionem, ſpirationem difficilem, ſuffocationem et mortem, vt in angina ſaepius fit. Itemque *oculus exſertus*, *ſublimis*, *prominens* ſ. *tumidus*, *horridus*, *fixus*,

b) Progn. §. 5. p. 452. Coac. §. 2. p. 542.
c) Progn. §. 25. p. 469.
d) Ibid.
e) *Bentſchneider* Diff. de diplopia, Gott. 1774.
f) *Vater* ap. *Klein* p. 196.

xus vel inſtabilis, *aſſidue nictans*, excepto tempore iudicationis, cum aſpectu toruo et facie quaſi flammea, in acutis febribus ſignificat vehementem humorum ad caput raptum, delirium, tremorem, conuulſionem, inflammationem cerebri, et exitium g) certum: *concauus*, triſtitiam, vigilias, curas; *concauus* et *retractus*, conuulſionem muſculorum rectorum, marcorem et tabem, et cum inſolita quadam decoloratione melancholiam h); *diſtortus a dolore*, mali magnitudinem et nonnunquam mortem, ſi cerebro vitium inſidet i); *maior* praeter conſuetudinem k), copioſum ſanguinis ad caput aditum compreſſumque cerebrum; *minor* alter altero, conuulſionem l) muſculorum oculi; *lucem refugiens* m), *languidus*, *immobilis*, niſi a comeſſatione aut vomitu n) magno, nec non in morbilloſa et varioloſa febre accidit, conuulſionem, caligationem et ipſius viſus iacturam; *ſemiclauſus* inter dormiendum, congeſtionem, conuulſionem partium, v. c. in hyſtericis, at in iis non malam o), et futurum delirium, in pueris vermium roſionem; contra *arctius clauſus* p) in acutis morbis, debilitatem inſignem, eamque haud raro comatoſam, conuulſionem, mortem q):

Q 3 *clau-*

g) *Hipp.* Progn. §. 2. p. 449. *Hoffm.* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 15. §. 14.
h) *Gal.* de Criſ. II. 12. p. 582. IV.
i) *Hipp.* Progn. §. 2. p. 449.
k) *Hipp.* Epid. VII. 85.
l) Coac. §. 2. p. 541.
m) *Lieutaud* Prec. de la Med. T. I. S. 1. p. 8.
n) *Gal.* in Progn. Com. I. 13. p. 741. IV.
o) Sic poſt HIPPOCRATEM ſtatuit KLOEKHOFIVS, ſed negat iure ſuo Ill. ZIMMERM. Erf. T. I. B. 3. c. 8. p. 403 ſequ.
p) *Lieut.* l. c.
q) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 25. p. 6.

clauſus et ſubinde conniuens r), haud raro ſanguinis eruptionem denunciat. At ſi propter inſtantem iudicationem *oculi mire mutantur,* terrere non debent, niſi in peſſimorum ſignorum ſocietate vitium illud veniat. Tandem ſequitur *oculus hebes, concauus, obſcuratus, puluerulentus, marcidus, clauſus, ſubpinguis* s), isque robur fibrarum prorſus deiectum et mortem propinquam ſignificat.

§. 360.

Docet praeterea *circulus liuidus* ſ. *plumbeus* t) *ſub oculis* vtplurimum menſtruam purgationem, ſeminis fluorem longum, et malum corporis habitum; *color* oculorum *albus ex nigro vel liuido* redditus, ſecuritatem, et vbi in ſomno praeter conſuetudinem nec commiſſis palpebris aliqua albi oculi emicat, periculum tt); *rubor* inſignem ſanguinis ad caput congeſtionem, reſtagnationem, dolorem capitis acerbum, inflammationem cerebri u), et diſcrimen vitae magnum declarat, ſi in acutis febribus v) accidit, nonnunquam ſanguinis e naribus profuſionem, praeſertim ſi aegri lucem ferre nequeunt, et frons rubore quaſi ſuffunditur, haud raro deiectionem longam w). Malus etiam rubor eſt, qui ſingultum atque vomitum x) ſequitur. Contra *flauus oculorum color* ſignum quaſi proprium morbi arquati eſt, in pleuriticis vero peſſimi ominis. Itemque *tu-*

nicae

r) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 527.
s) *Pezold* Progn. c. 2. §. 39. p. 29.
t) *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 6. p. 140.
tt) Aph. VI. 52. p. 102. et Progn. §. 3. p. 449.
u) *Gal.* in Progn. Com. I. 13. p. 740. IV.
v) *Swiet.* Comm. Aph. 901. p. 60. II. et *Hipp.* §. 2. p. 449.
w) Coac. §. 2. p. 541.
x) Aph. VII. 3. p. 403.

nicae corneae ſplendor argenteus et opacitas [y]) moribundos denunciat.

§. 361.

Neque negligendae ſunt *palpebrae*, *lacrumae*, *et pupilla* ipſa. Colligitur ergo ab *palpebris cauis*, *demiſſis*, *vix attollendis* et pituita viſcida refertis, ingens debilitas; ab *imperfecte clauſis* [z]), albo oculi fere nudo, bulboque ſurſum ducto, muſculi orbicularis reſolutio, tunicae retinae teneritudo, et infirmitas, lucis impatientia ſumma; a *liuidis et contractis*, haud raro mala ſuccorum natura, interdum vbi cum ceteris ſignis peſſimis eſt, mors imminens, quam etiam praeſagire licet, ſi *pallidae*, *liuidae*, *circumtentae*, *contractae et retortae* [a]) obſeruantur, ſi aeger vehementi reſpiratu pulmones dilatat et contrahit, et palpebris reflexis atque colore lurido vel flauo tinctis, leuiter per quietem [b]) ſuſpicit. Porro in febribus acutis *reſiccatae nimis palpebrae* [c]), in quibus puluiſculus quaſi concretus ineſſe videtur, inſaniam denunciant, et vbi aeger deſperatus conclamatusque propter reliqua indicia mala eſt, mortem inſtantem. Malae etiam ſunt, quae *in extremitate ſua rubent*, indurantur et glutinantur [d]).

§. 362.

Lacruma ſi in morbis acutis *vltro ex oculis profluit*, aegro male ſe habente, ſaluti eſt; indicat enim conſcientiam et doloris ſenſum: at ſi inuito, inſcio

y) *Winslov* Expoſ. Anat. T. IV. p. 251. *Porterfield* Treat. on the eye, Vol. I. p. 145. *Zinn* Deſcr. Ocul. Hum. p. 20.

z) *Kloekh.* Diſſ. de ſtrepit. p. 179. Opuſc.

a) *Hipp.* Progn. §. 2. p. 449.

b) Coac. §. 2. p. 541.

c) Epid. VI. S. 1. p. 798.

d) Ibid. Sect. 8. n. 36.

inſcio et deſperato *e*) aegro, malo eſt, et mortis praenuncia, niſi iudicium per nares *f*) accedit. Plerumque ophthalmiam citra periculum anteit. Hinc etiam intelligitur, cur lippitudinem aluus cita *g*) et febris *h*) ſoluere dicuntur, cur ab lippitudine, cum acerbo et diuturno capitis dolore iuncta, caecitas *i*) pertimeſcenda eſt, praeſertim ſi propter debilitatem et roſionem *k*) non abigendam iam adoleuit. Malam etiam lacrumam cenſent, quae in oculis quaſi interareſcit, et tenuiſſimae lanugini vel aquarum aſpergini ſimilis ſit, quoniam vaſcula minima imperuia et humores craſſos, itemque debilitatem magnam notat. Quare iſtae *lemae l*), vbi cetera mala ſigna non deſunt, perniciosae ſunt, et haud raro phreniticis atque tabidis accidunt.

v. IO. ERN. HEBENSTREIT reſp. KVPPE Diſſ. de oculo lacrumante, Lipſ. 1743.

§. 363.

Praeter haec, ſi *pituita ex oculorum angulo ll*) craſſa, ſubflaua, et pus referens, ſine vlla manifeſta cauſſa, copioſe atque cum impetu effluit, ſcire licet, ſeminis profluuium temere ſuppreſſum eſſe; at ſi qua *epiphora* lactentium ora deturpat, nutricem venereo morbo laborare. Item ſi *humidum oculorum marcidum quaſi et opacum* ſit, glandula vero lacrumarum

e) Aph. IV. 52. p. 87. Progn. §. 2. p. 499. Epid. IV. 27. p. 763. *Gal.* Comm. I. in VI. Epid. 21. p. 607. III. *Lieutaud* Precis, T. I. S. 1. p. 8.
f) *Hipp.* Epid. I. S. 2. p. 667.
g) Ibid. L. de Criſ. 12. p. 447. I.
h) Coac. §. 2. p. 541.
i) Ibid. p. 542.
k) *Gal.* Com. I. in Progn. 13. p. 740. IV.
l) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 1. p. 798.
ll) *Klein* Int. Clin. p. 190.

marum latior, tumidior, durior, liuidior atque ſemipellucida, perſpicuum eſt, exinde neruos nimis reſolutos, vehementem in hyſtericis et crebram acceſſionem, actiones naturales torpidas, et victum prauum eſſe repetenda [m]).

§. 364.

Pupilla parua viſum bonum indicat, at ea, quae poſt morbum grauem et corporis infirmitatem, *aperta* [n]) permanet, corneae tunicae impotentiam, neruorum muſculorumque oculi reſolutionem et haud raro ſenſus priuationem, tuncque prae ceteris eminent pulſus remiſſus et inordinatus, delirium et cubitus, qualis veternoſorum eſt. Quare diuinus HIPPOCRATES [o]) eam pupillae reſolutae formam mortiferam pronunciauit, ſiquidem in morbis acutis tantum non ſemper mortem portendit. Similis ratio *pupillae*, *ſubalbidae*, *depreſſioris*, *obſcurae et ſplendore ſuo orbatae* [p]) eſt. At ſi in ſuffuſione *pupilla pura* apparet, ab ore ventriculi affecto [q]) eam oriri aiunt, nec adeo malam, praeſertim vbi illud vitium abit viciſſimque reuertitur. Praeterea mala eſt *pupilla*, *glauca*, *argentea*, vel *caerulea*; minus, quae *anguloſa*, *latior*, *minor* [r]) eſt: Contra mors [s]) inſtat, ſi *iris* ſplendorem amittit, aqueus humor turbatur et infuſcatur, denique pupilla deprimitur, et cum oculorum immobilitate eſt.

m) *Zimmerm.* Erf. T. I. B. 3. c. 8. p. 404.
n) *Kloekh.* l. c. p. 180 ſequ.
o) Aph. VI. 52. p. 102.
p) Epid. VII. 16. p. 842.
q) *Gal.* Loc. Affect. IV. 1. p. 84. IV.
r) *Hipp.* Praed. II. 28. p. 508.
s) Epid. VII. 26. p. 851.

§. 365.

Vulnera, quae oculis infliguntur, ſemper periculoſa ſunt; *vlcera* difficulter ſaneſcunt, et in cornea tunica maxime timeri debent, ob cicatricem foedam et pelluciditatem ex facili perdendam. Profuſio ſanguinis hoc ex loco rarior eſt, nec mortem adfert; contra cancer inſanabilis et eius chirurgia anceps.

§. 366.

Reſtat *gutta ſerena* ſ. *amauroſis*. Quae ſi perfecta eſt et inueterauit, immedicabilis eſt, et apoplexiam neruorumque reſolutionem inducit. Sin vero recens et imperfecta eſt, vel a malo vlcere, venere aſſidua, morbo gallico, grauiditate, partu difficili, congeſtione humorum, neruorumque oculi compreſſione, ictu atque contuſione capitis, vomitorio, dolore colico, variolis et morbillis male curatis, podagra vel achoribus inconſiderate repreſſis [t]) cet. oritur, per ſe non adeo mala eſt. Quare ſi febribus acutis [u]) ſuperuenit, aut ſi quis ſubito a cauſſa interna caecatur, periculum habet. Itemque ſi poſt apoplexiam, morbum herculeum vel conuulſiones magnas fit, oculo ad aſpectum ſano, mali vehementiam et mortem ipſam [v]) metue. Haud raro cataracta, quae poſt febres malignas orta eſt, ſternutamentis [w]) ſponte ſua natis tollitur.

§. 367.

Quibus praemiſſis, perſpicuum eſt, peſſimam morbi formam eſſe, in quo oculi caligant, lucem auerſantur, illacrumantur, intro corrugantur, voluuntur et veluti rigent, id quod imbecillitatis et con-

t) *Klein* l. c. p. 193 ſequ.
u) *Hipp.* Epid. VII. 16. p. 842.
v) *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 6. p. 139.
w) *Hoffm.* ap. *Klein.* l. c. p. 195.

conuulſionis ſignum eſt; in quo venulae rubent, liuent, vel nigreſcunt *x*), nec non ſordes *y*) et ſqualor eorum aciem hebetant; ſi obtutus lugubris *z*) oritur, quem oculi hebetiores, languidiuſculi, ſqualidi, raro vel tarde moti, itemque bulbus viſcidus et ſordidus, cornea flacca minusque extuberans, pupilla amplior, humor aqueus nec purus, nec pellucidus cet. fere exprimunt. Ex quibus ſiniſtra auguria capi et mors ipſa praedici debet.

SUBSECTIO II.

DE OLFACTV, VT SIGNO.

§. 368.

Alterum locum *olfactus* tenet, varium et multiplex ſenſus inſtrumentum, cuius explicationem paucis ſuppeditabimus, reliqua ſigna, quae a naribus externis capiuntur, alio loco commemoraturi.

v. BVCHNER reſp. LANGER Diſſ. de olfactus ad capienda ſigna vſu, Hal. 1752.

§. 369.

Odores ſi aeger excipere et a ſe inuicem diſcernere valet, colligitur ſenſus huius integritas mentisque conſtantia. At ſi in *febribus acutis laeditur*, haud raro aeſtum febris ingentem, vaſcula minima imperuia, congeſtionem humorum verſus caput, et ſanguinem e naribus profundendum denunciat, et ſi prorſum *tollitur*, facultatem ſentiendi exſtinctam, et mortem

x) *Hipp.* Aph. VII. 3. p. 103. et maxime Progn. §. 2. p. 449. Coac. §. 2. p. 541. *Gal.* in Progn. Com. I. 13. p. 740. IV.

y) Epid. VI. S. 1. p. 798.

z) *Kloekh.* Diſſ. cit. p. 181.

mortem propinquam [a]). Nonnumquam *olfactus amiſſus* [b]) reſtituitur; perraro, ſi ex occipite grauiter affecto vel poſt apoplexiam neruorumque reſolutionem ortum eſt vitium; in ſenibus quam minime; deſtillatio, ozaena, polypus, ſarcoma, non niſi ad tempus aliquid valent. Nulla vero ſpes ſupereſt, vbi ipſi inſtrumento vis magna et damnum irreparabile illatum eſt.

§. 370.

Olfactus ſubito ſublatus ſine vlla praegreſſa cauſſa euidente, periculoſus non eſt, et indicio eſt, tunicam SCHNEIDERI pituitariam aut nimis exarefactam eſſe, aut nimis emollitam, aut muco tenaci obſitam, aut etiam vim eius quaſi ſoporatam a cauſſa quadam ſubita. Qua ſublata, odoratus iterum reuerti debet.

§. 371.

Saepius vero aegris omnia, quae nares afficiunt, *foetorem redolere* videntur, quem ſani nuſpiam inuenire poſſunt. Quod dum fit, perſpicuum eſt, illos aut delirare, aut vitio aliquo, cum maxime vlcere, narium oſſa eſſe affecta, aut etiam exſpirationes ventriculi graues aſcendere.

§. 372.

Quare vbi iſte *odor putridus* ventriculi ſordibus vel narium muco ſtagnanti et corrupto debetur, terrere non debet; magis, ſi ab vlcere turpi oſſisque carie eſt; omnium maxime, ſi in febribus acutis aegri exſpirationes *cadauer olent*. Nam in his putredo iam ſubeſt, et fatum fere ineuitabile [c]) imminet.

Idem

a) *Pezold* Progn. in febr. c. 4. S. 2. §. 112. p. 69.

b) *Etmull.* ap. *Klein* p. 189. *Iantke* Diſſ. I. de odoratu abolito, §. 20.

c) *Avicenn.* L. IV. Fen. 2. Tr. 1. c. 85. p. 823. et *Bagliu.* de Fibr. Motric. Praef. §. 3. p. 251.

Idem certe praedictum eſt, ſi qui, dum mens conſtat, *odorem* [d]) *alienum*, v. c. terram, aut quamuis aliam rem tetram conqueruntur, eamque auferendam ab amicis efflagitant.

SUBSECTIO III.

DE GVSTATV, VT SIGNO.

§. 373.

Guſtatus fit papillarum neruoſarum miniſterio, quae apicem linguae inſident. Quae cum poſſint multifarie affici atque laedi, ſequitur, vt et illius ſenſus vitia potiora, et ſigna exinde repetenda enarremus. De lingua ipſa vide alio loco.

§. 374.

Eſt ergo haud raro in febribus acutis *guſtus nullus*, neque poteſt aeger res ſapidas apprehendere. Is fere ab calore vehementi, vaſculorum emiſſariis obſeratis, ſaliua deficiente, ac muco copioſo eſt, et, febris impetu finito, vt plurimum reuertitur, immo vero ſaepius ſaluti eſt, dum cibi cupiditas a primo tollitur. At ſi in ſocietate malorum ſignorum incidit, grauis morbi periculum denunciat, et ſi, nulla cauſſa euidenti antegreſſa, aeger familiares atque amicos non agnoſcit, delirium.

§. 375.

Sapor rerum alienus et vbi linguae glutinum tenax et album ſuperinductum eſt, cum caloris magnitudinem declarat, ſi qua febris vrget, nec non ſaliuam ceteroſque humores vitiatos, tum primarum viarum ſordes indeque natas acrimonias varias. Qui ſi ex facili mutatur et naturalis fit, ſalutem pollicetur: at *ingratus*, quam cauſſa externa nulla anteceſſit, digeſtionem laeſam oſtendit.

§. 376.

d) *Büchner* Diſſ. de progn. ex lingu. §. 3. p. 6.

§. 376.

Sapor amarus, qui nonnumquam in febribus obſeruatur, pinguedinem corruptam et rancidam, itemque bilis in ventriculo redundantiam [e]), et morbos futuros [f]) praenunciat. Hinc communes ictericorum [g]) et febrium bilioſarum nota eſt, et ſemper fere incidit, vbi inteſtina coinquinata ſunt. Sin vero ſimul *aeruginoſus* eſt, inter male iudicati morbi [h]) et reuerſuri indicia habetur, niſi materia reſidua expellatur.

§. 377.

Praeter haec *ſapor dulcis* ſaepius ſanguinem e pulmonibus efferendum [i]), *vrinoſus* vero putredinem incipientem; *acidus*, acoris copiam; *acidus et quaſi ſalſus* [k]), cum quo ſputa multa feruntur, haud raro ſalutarem mali finem: *ſalſus* [l]) denique in morbis longis diuturnitatem, in acutis breuitatem deſignat. Nonnunquam tamen lente ceſſat, et aeger ſputa ſalſa [m]) extuſſit, quibus demum morbus reſoluitur. Si qui vero *ſapor* fere *intolerandus* [n]) in lingua inſidet, ex eo ſenſu acerrimo licet vomicas pulmonum opertas olfacere, praeſertim ſi cum paruo pectoris dolore eſt.

§. 378.

e) *Stahl* Probl. Pract. p. 8. n. 19.
f) *Huxham* Obſ. de aëre, 1740. p. 246. l. ed. Lipſ.
g) *Gal.* Comm. V. in VI. Epid. t. 17. p. 735. III.
h) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 301. p. 18.
i) Ibid.
k) *Huxh.* l. c.
l) *Gorter* l. c.
m) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 13. p. 6.
n) Sic *Platner* ap. *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 406.

§. 378.

Tandem ex ſaporis aegri iudicio omnia *foetere* creduntur. Quod vbi incidit, humores praui et corrupti, cum maxime nidorem referentes, tantum non ſemper primas vias occupant, vnde peſſima quaeuis ominari poſſis, cum maxime ſi ipſa medicamenta, cibos et potus hac de cauſſa faſtidiunt atque reſpuunt. Haud raro internam viſcerum corruptionem et gangraenam portendit.

SVBSECTIO IIII.

DE AVDITV, VT SIGNO.

§. 379.

Neque negligenda primaria *auditus* affecti et laeſi ſigna videntur, quibus medicus vti debet ad morborum exitum cum bonum, tum malum praedicendum. Nam facile perſpicias, quo magis relinquatur huius ſenſus perneceſſarii integritas et conſtantia, eo plus ſpei reliquum eſſe oportere: at a contrariis contraria exſpectanda eſſe. Item praeſtare, aegrum *grauiter vel* plane *non audire*, quam *nimis acute* o), magnamque moleſtiam a ſtrepitu vel leuiſſimo perpeti. Hoc enim vt plurimum membranarum auris internae tenſionem, et inflammationem, conuulſiones et deliria peſſima ſignificat; illud vero conuulſionum reſolutionem, membranas laxatas et proſperam morbi commutationem. Sed praeſtat ire per ſingula.

§. 380.

Suſurrus aurium haud raro incidit, ſi aër meabilis per aurem internam non eſt, et in iis, qui redun-

o) *Sauvages* Noſol. T. I. p. 760. *Pezold.* Progn. c. 4. S. 2. §. 111. p. 68.

redundantes ſanguinis ſunt, rapidum ſanguinis ad caput flumen, congeſtionem, neruorum, qui auditui proſpiciunt, compreſſionem et tenſionem, conuulſiones, deliria p) et apoplexiam praeſignificat; in iunioribus vero, inſtantem ſanguinis e naribus expulſionem q); in vertiginoſis, ſyncopticis, epilepticis, hypochondriacis et hyſtericis nouam acceſſionem. Si vero in febribus acutis accidit, nulla antegreſſa cauſſa euidenti, grauem et periculoſum morbum r), delirium phreniticum, et poſt cruditatis ſigna, die non decretorio, viribus aegri deiectis s), phrenitidem letalem; at cum dolore capitis, viſus hebetudine, grauitatis ſenſu in naribus, et praecordiorum distentione, ſanguinem per nares t) erupturum, vel deiectiones; in ardentibus periculum u) ſummum denunciat; hinc bonus augur eſt, qui die decretorio morbum perfecte iudicat. At ſi poſt *longos morbos* oritur, vel ſanis beneque valentibus accidit, grauem morbum timere debemus, praeſertim vbi dolor capitis, vertigo tenebricoſa, vox tarda et frequens atque manuum ſtupor vrgent: nam cum his apoplexia, obliuio, epilepſia v) fere veniunt.

§. 381.

Praeter haec *ſuſurrus et tinnitus aurium* malus eſt, qui ſanguineos diu et per interualla infeſtat; tunc enim cerebrum compreſſum ſequitur diſtentio vaſorum et ruptio w) periculoſa. Itemque haud facile

p) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 531.
q) Ibid. §. 3. p. 563.
r) *Bagliu.* Prax. I p. 70.
s) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 538.
t) Ibid. Coac. §. 2. p. 538. Aph. IV. 60. p. 88.
u) Praed. I. 3. p. 472.
v) Coac. §. 2. p. 535.
w) Aph. II. 6. p. 72.

cile tollitur, vbi iam inueterauit, vel a tenaci pituita et lue venerea ortum duxit; neque aut anhelatione, aut pedum tumore leuatus eſt. Peſſimus vero habetur, vbi nullus adeſt, et nihiloſecius aegri de falſo ſonitu conqueruntur.

§. 382.

Difficilis auditus per ſe terribilis non eſt; et ſaepius ſponte ſua ſoluitur. Hinc ſanabilis eſt, quae a deſtillationibus, cerumine indurato, ceterisque rebus alienis, membranae ſiccitate, nec non a tuba EVSTACHII obſtructa oritur: Si qui vero ex abſceſſu poſt vehementem auris dolorem eſt, plerumque ſubſiſtit, et modo grauis, modo leuis morbi teſtimonium praebet. Similis ratio eſt, vbi vlcus vetus ſolideſcit, et grauem auditum relinquit.

§. 383.

Porro *auditus difficilis*, qui poſt aggrauantem capitis dolorem et vertiginem in debilibus et quibus ſanguis moleſtus eſt, oritur, apoplexiae praenuncius eſt: Interdum iſtam grauitatem abſceſſus aurium, vlcera, purpura diuturna diſcutiunt, interdum, ſi conuulſioni ventris infimi debetur, et per ambitum temporis reuertitur, ſonitu quodam eminus percipiendo x), interdum per fluorem menſtruum, ſi ab hac cauſſa dimanat, interdum deſtillatione narium, anhelatione, tumore pedum vel hydrope abdominis tollitur.

§. 384.

Surditas, quae poſt materiae morboſae coctionem naſcitur, eam ad aures deferri docet, et per ſe bona eſt, itemque decretoria, ſi cum copioſa aliqua egeſtione y) iungitur; at vero mala et ſymptomatica.

x) Sic ex obſeruatione *Kleinii* Int. Clin. p. 35.
y) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 540.

ca, ſi in morbis magnis et turbulentis [z]) vel longis ipſis apparet, ſi in acuta febre poſt imperfectam vel malam expulſionem [a]) v. c. haemorrhagiam narium, deiectiones nigras oritur, et mali fomitem nondum exſtinctum, deſignat, niſi bilioſa deiectio accedit; haud raro cerebrum affectum [b]), vbi cum tremore membrorum, linguae reſolutione ac torpore [c]) eſt; ſi in acuta, ardente, vel maligna, die decimo quarto nulla vrina cocta [d]) erumpit; neque poſt febrem ſurditas euaneſcit.

§. 385.

At ea *ſurditas*, quae *poſt materiae migrationem* incidit, ſalutaris eſt, modo eam tinnitus aurium anteceſſit, itemque quae delirium excipit: nam mali reſolutionem ſpondet. Contra grauis morbi periculum eſt, ſi delirium ſurditati ſuccedit, quoniam haec conuulſiones et mortem inducunt.

§. 386.

Hinc ex medicorum fide atque obſeruatione ſurditas cum capitis grauitate, viſus acie hebetata, et praecordiorum tenſione, quamuis ſanguinis effuſionem [e]), cum maxime e naribus, denunciat; in febre acuta, congeſtionem et vehemens delirium [f]); niſi vrina ceterique humores aliqua coctionis ſigna praebeant; id quod etiam colligitur, vbi vrina ſubrubra eſt, in qua nihil ſubſidit, ſed potius flocculi et quaſi fila quaedam tenuia atque alba innatant. Porro *ſurdi-*

z) Praed. I. 4. p. 474. Coac. §. 2. p. 538.

a) Praed. I. 8. p. 482. Coac. §. 3. p. 552. L. de Criſ. §. 11. p. 446.

b) *Gal.* in I. Praed. I. 31. p. 643. IV.

c) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 538.

d) *Bagliu.* Prax. I. p. 70.

e) *Hipp.* Praed. I. 8. p. 482.

f) Coac. §. 2. p. 538.

ſurditas purulentorum deiectionem ſanguineam notat; cum dolore capitis aut comate, parotides [g]); a cerebro laeſo, mortem; cum debilitate corporis ingenti, et fibrarum ante tenſarum reſolutione, nec non vrina rubicunda, in qua quae quaſi nubeculam repraeſentant, in imum non deferuntur, inſaniam funeſtam [h]).

§. 387.

Eſt ergo *ſurditas ſanabilis*, ſi per interualla creſcit iterumque decreſcit, ſi a ſubito cerebri vitio iisque cauſſis, quas ſupra commemoraui, dimanat; at *inſanabilis*, ſi ab naſcentia eſt, aut ſenibus incommodat; ſi poſt longum acerbumque capitis dolorem, luem veneream inueteratam, variolas, ſuppurationem, ictum, haemorrhagiam auris internam et tormentorum exploſionem [i]) exoritur.

SVBSECTIO V.

DE TACTV, VT SIGNO.

§. 388.

Tactus, quem ſtoici et nuperrime LE CAT [k]), ſenſuum principem et vnicum appellarunt, in morbis vel imminuitur, quod vitium *ſtupor* eſt, vel mirifice deprauatur, vnde non poſſunt non variae corporis mutationes, variaque ſigna et iudicia deriuari.

Schol. Praeter tactum cuti, tanquam primario eius inſtrumento, multa alia vitia inſunt. Sed de his alio loco vberius ediſſeremus.

g) Praed. I. 22. et 24. p. 486.
h) Coac. §. 2. p. 539.
i) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 2. p. 116.
k) Tr. des Sens, p. 4.

§. 389.

Stupor, qui, ineunte morbo, partem aliquam corporis occupat, merito terrere debet, quoniam aeger aut in reſolutionem neruorum fere incidit, aut apoplexia correptus perit, niſi febris magna ſuccedit. In eo vero membro, quod inflammatione tentatur, gangraenam et mortem propinquam ſignificat. Malus etiam ſtupor eſt, qui poſt cerebrum affectum aut vulnus [l]) oritur; minus, qui inferioribus partibus incommodat, et haud raro decretorius eſt: In quibus ſi *grauiter* inſidet, materiae morboſae demigrationem notat; at ſi in *ſupernis*, ſanguinis effuſionem [m]).

§. 390.

Interdum perfecta *ſenſus vacuitas*, quam ἀναισθησίαν nominant, ſubito inſtat, et in febribus [n]) peſſimum ſignum eſt. Neque rara eſt obſcura rerum apprehenſio [o]), quae purpurae eruptiones antecedit.

§. 391.

Tactus ſi *deprauatur* in febribus, periculum oſtendit, quoniam alias longe exquiſitiſſimus eſſe ſolet, et ſi nullus ardoris ſenſus adeſt, ſcire licet, aegrum eſſe aut delirum [p]), aut phreneticum. At in *longis morbis*, vt tactus, dolore nimio vel reſolutione neruorum ſublatus, grauem morbum, ita *nimius ſenſus* tenſionem ſolidarum partium ingentem et irritabilitatem nimis concitatam deſignat. Praeter haec ſicubi *tactus perire* incipit, dum quem febris acuta tenet, metuenda ſunt deliria, et haud raro ipſa mors; plerumque neruorum reſolutionem praecedit.

SECTIO

l) *Hipp.* Aph. VII. 14. p. 103.
m) *Proſp.* II. 12. p. 114 ſeq.
n) *Hipp.* Aph. V. 5. p. 90. Coac. §. 3. p. 568. *Proſp.* l. c.
o) *Pezold.* Progn. c. 4. S. 2. §. 99. p. 63.
p) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 552.

SECTIO III.

DE SENSIBVS INTERNIS, VT SIGNIS.

§. 392.

Abſolutis iſtis ſenſuum externorum vitiis, indeque oriundis ſignis, ſequitur, vt ad internos propius accedamus. Qui ſi laeduntur, homo de valitudine atque vita ipſa vehementer periclitatur, quoniam vis communi ſentiendi inſtrumento infertur. Hinc factum eſt, vt medici veteres ac recentiores haſce functiones bene attenderent, et, quid quaeque in morbis boni maliue praeſagiat, accurate et naturae appoſite deſcriberent.

§. 393.

Referuntur vero huc, vt nobis videtur, *ſomnus*, *vigiliae et inſomnia*, quae mire mutantur. Porro multum intereſt ſcire, *mens conſtiterit*, nec ne, an acceſſerint *deliria*, *fatuitas et obliuio*, an *dolor et ſenſus exquiſitior*, an *vertigo* aegrum occupet. Ex his enim multa de morborum euentu iudicia et auguria cum bona, tum mala repeti poſſunt.

SVBSECTIO I.

DE SOMNO, VIGILIIS ET INSOMNIIS, VT SIGNIS.

§. 394.

Somni magna et incredibilis vis atque poteſtas eſt in viribus inſtaurandis et excitandis. Quare haud raro ille in morbis ſolus ſuffeciſſe videtur ad prauam humorum naturam corrigendam ſanitatemque reuocandam, ſi quietus et placidus eſt, et cum recreatione copulatus. Hinc vbi labores atque vigilias talis ſequitur, indicio eſt, ſanguinem per minima cerebri

vaſcula moderate ferri, omnem medullae cerebri ſtimulum abeſſe, et ſpem valitudinis recuperandae q) affulgere. At ſi *deficit*, nulla cauſſa euidenti antegreſſa, aut diutius protrahitur, grauiſſimos morbos imminere docet.

v. IO. EHRENFR. THEBESII Diſſ. de ſomno, vt ſigno, Lipſ. 1740.

§. 395.

Indicat vero *ſomnus turbulentus* inordinatum ſanguinis ſpiſſi curſum, materiae morboſae vehementiam et malignitatem, irritationem, febris exacerbationem, conuulſiones, et vermes, cum maxime in infantibus, ſi viſis et terriculis r) inquietantur; itemque melancholiam metuendam: *ſomnus*, a quo *nulla virium inſtauratio* fit, nutritionem laeſam, acrimonias, humorum peſſimas, pituitam copioſam, et futurum malum corporis habitum et febrem hecticam, quoniam vbi ſomnus auxiſſe malum videtur, mortalis s) eſt. At ſi placidus eſt, et *morbi ſymptomata imminuuntur*, boni augurii eſt, inprimis vbi in fine accidit cum pulſu pleno et aequali, ſpiratione facili, transſpiratione bona: nam iudicatio imminet: Contra ſi in vigore morbi oritur, et cum pulſu paruo, debili, inaequali, reſpiratione difficili, et ſignorum periculoſorum, vbi expergefactus eſt, reditu iungitur, exitium fere portendit, praeſertim in quo os et oculi aperti manent, et crura valde contorta atque implexa reperiuntur. Hic enim per ſe letalis eſt. *Multus* et *profundus* pueris familiaris eſt, et nonnunquam vermes denunciat: at *profundus*, *diuturnus* et *placidus*

q) *Hipp.* Aph. II. 1. p. 72.
r) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 528. et *Roſenſt.* Kinderkr. n. 20. p. 326. ed. ſec.
s) *Lomm.* Obſ. Medic. III. p. 332.

dus [t]), iudicium morbi firmum; poſt *conuulſiones* vel *delirium* [tt]), morbi reſolutionem.

§. 396.

Porro *ſomnus bonus* eſt, qui poſt ſitim nocturnam vehementem et ſedatam naſcitur; qui in deliro [u]) pacatior fit, et haud raro morbum tollit; qui pueris febrientibus et iuſto tempore, itemque qui noctu vel mane [v]), non poſt meridiem, incidit. Malus vero, qui nimius eſt, et modum naturae [w]) excedit; qui profundus eſt cum pulſu debili [x]), nec non profundus et altus [y]); praeſertim vbi corpora exſoleta et in corruptionem prona, ſenes et pituitoſos vrget, et lethargum [z]) praeſignificat. Peſſimus tandem et fere letalis eſt, qui ſoporem mentitur, et cum horrore vniuerſi corporis incidit; qui delirium non tollit, et ſecum frigus extremarum partium [a]) atque horrenda ſymptomata affert; qui nec interdiu, nec noctu exſpectatus venit: hoc enim afflictionis magnae, delirii inſtantis, et inſaniae ex dolore [b]) praenuncium eſt, praeſertim vbi aeger praeter conſuetudinem in ventrem deuoluitur.

§. 397.

Sopor tantum non ſemper male ominoſus [c]) eſt. Nam ex eo colligitur, functiones vitales et animales

t) Coac. §. 1. p. 534.
tt) *Durel.* ap. *Klein* p. 272.
u) Aph. II. 2. p. 72. *Celſ.* III. 18. p. 153. ed. *Krauſ.*
v) *Hipp.* Progn. §. 9. p. 455. Coac. §. 3. p. 572.
w) Aph. II. 3. p. 72. VII. 71. p. 108.
x) *Avicenn.* L. IV. Fen. 2. Tr. 1. c. 49. p. 825.
y) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 534. et 537.
z) *Pechlin.* ap. *Klein.* p. 272.
a) *Lomm.* l. c. p. 332.
b) *Hipp.* Aph. II. 1. 2. p. 72.
c) Coac. §. 2. p. 537.

males vehementer perturbatas eſſe, ideoque in febre acuta mali vehementiam aegrique res peſſimas notat, niſi tempore iudicii bonis cum ſignis incidit. Tunc certe, ſi poſt ſudorem decretorium ſomnus ſuccedit arctior et pacatior, bonum eſt. At vbi in morbo longo, cui febris nulla ſubeſt, demum accedit, vbi in acuto malis cum ſignis, v. c. torpore, horrore, frigore cet. et ſine vlla iudicationis ſpe vrget, vbi ab inutili et ad caput delato humore, puta, vrinoſo, melancholico, articulario, ſcabioſo [d]), oritur, exitium certum a debilitatis, compreſſis, obſtructis et collapſis cerebri vaſis imminet.

§. 398.

Neque rarus ſopor eſt, qui a nimia ſuccorum copia et pituita fit, et difficilem eorum per vaſa cerebri minima traiectum, indeque oriundam congeſtionem denunciat. Vnde ſenibus apoplexia, coma cet. imminet. Contra qui poſt crapulam, ictum et contuſionem oritur, terrere adeo non debet, niſi in malorum ſignorum ſocietate veniat.

§. 399.

Mali ergo ſopores ſunt, ſi in principio morborum acutorum cum vigiliis et dolore capitis, colli, lumborum, praecordiorum, itemque in phreneticis [e]), incidunt; ſi nares ſimul diſtillant vel ab ipſa febre ineunte, vel poſt diem quartum; ſi leuis ſudor, aluus valde rubra, vrina ante iudicationem cocta, profluunt; ſi aegri horrent et intus vruntur, torpidi et conuulſi ſunt, anxietate ac vomitu inquietantur; ſi cum deliriis, conuulſionibus, vocis iactura, dolore viſcerum morda-

d) *Gort.* Prax. L. III. Tit. 1. 151. p. 136.
e) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 537.

mordaci *f*) ſopores copulantur. Mortiferos vero eos cenſemus, ſi poſt pulmonum *g*) inflammationem ceterosque morbos naſcuntur, nec parotides ſuccedunt; ſi vrinam interceptam *h*), nec reſtitutam, longum pervigilium et phrenitidem inſequuntur; ſi, oculis ſublatis, nec firmiter clauſis *i*), cum pulſu debili, frigore extremitatum *k*) peſſimisque ſignis, cum maxime in febre ardente, incidunt.

§. 400.

Attamen non deſunt exempla, vbi homines in *ſomnum profundiſſimum et longiſſimum*, puta octiduanum *l*), periodicum et menſtruum *m*), incidunt citra vllum vitae periculum: in quibus iſta valitudo vt ſpatium aliquod habet, ſic tuta non eſt, et tandem ſubito iugulat.

§. 401.

Soporis formae habentur *coma vigil* et *coma ſomnolentum*, *carus* atque *lethargus*. Indicat vero *coma vigil* ſ. ſomnus, in quo aeger ſaepius et magna cum anxietate expergiſcitur iterumque ſoporatur, ſanguinis motum per cerebri anguſtias inaequalem,

 et

f) Coac. §. 2. p. 544. Epid. III. S. 3. Aeg. 3. p. 732. Aeg. 13. p. 739. *Proſp.* II. 22. p. 159.

g) *Gort.* l. c. p. 139.

h) Ibid.

i) *Hipp.* Epid. VII. 2. p. 825.

k) Coac. §. 2. p. 537. *Lomm.* l. c.

l) Talem in melancholico vidit *Klein* Int. Clin. p. 272.

m) In hoc aegro, cuius curam ipſe habui, mirabile viſum eſt, quod iſte ſopor vltimis cuiusque menſis diebus reuertebatur, atque poſt biduum vel triduum ſponte ſua abibat. Hinc aeger, finito iſto tempore, expergiſcitur, et, miſſis foenilibus, vbi ſoporatus decubuerat, edit, bibit, concumbit, liberos ex vxore tollit, et ſtato tempore iterum foenilia quaerit.

et in altero loco rapidiſſimum, in altero fere nullum, vaſa diſtenta, et compreſſa ſanguine, pure, ſero, eamque ob cauſſam mortem propinquam [n]), praeſertim in febribus malignis, et vbi cum palpebris pallidis, pendulis, conniuentibus, pulſu debili, extremisque frigidis eſt: interdum poſt delirium ferox, cerebri inflammationem, ſuppuratione atque gangraena finiendam, itemque conuulſiones funeſtas. Contra *coma ſomnolentum*, ſi ab vrina retenta, nec non vlceribus repreſſis et conſolidatis, cum maxime aurium, naſcitur, his reuertentibus, ceſſat, et corpus integrum dimittit. Similiter *coma placidum*, etſi diu durat, malum non eſt, quippe haud raro peiores morbos, dolores capitis, deliria, et in pueris febrem [o]) auerruncat.

v. GALENI L. de Comate, p. 183. T. III. vbi multis de vocis ſignificatu apud HIPPOCRATEM diſputatur.

§. 402.

Carus pernicialis eſt, ſi ſenes, pituita et impuris humoribus refertiſſimos, itemque imbecillos, ſubito occupat; ſi febrem vehementem et vrinam crudam ſecum adfert; ſi in febrium continuarum diſceſſu citra iudicationem incidit, vel dolori capitis, morbo herculeo, et vocis ſenſusque priuationi [p]) ſuperuenit: nam plerumque apoplexiam letalem inducit. At ſi cum dolore iungitur, conuulſiones denunciat.

§. 403.

n) *Avicenn.* L. IV. Fen. II. Tr. 1. c. 49. p. 825. et *Conſtant. Afric.* Loc. Com. X. 11. *Pezold* Progn. c. 4. S. 1. §. 94. p. 62.

o) *Duret.* ap. *Bagliu.* Prax. I. p. 75.

p) *Klein* l. c. p. 274.

§. 403.

Lethargus, quem prae ceteris tumor ad ſegmentum muſculi palpebrarum orbicularis inferius q) eminus oſtendere debet, ſemper eſt longe periculoſiſſimus, et niſi iugulat, certe grauiſſima mala, v. c. obliuionem, ſtuporem, empyema cet. relinquit. Hypochondriacis et hyſtericis apoplexiam minatur, et vbi poſt phrenitidem exortus eſt, mortem.

§. 404.

Contraria ſomno eſt *vigilia*, magna profecto morborum interpres, nec temere negligenda. *Vt enim ſine modo continuatus ſomnus, ſic etiam nimia vigilia malum ſignificat* r), certe morbi magnitudinem et vehementiam, etſi nonnunquam bono cum euentu diſpellitur.

§. 405.

Vigilia, quae adſuetos, hypochondriacos, hyſtericas, cruditate, podagra, morbo articulario laborantes vel dolore ac conuulſione fatigatos exercet, vel ineunte phrenitide s) incidit, mala non eſt, niſi diutius ſubſtiterit: nam, ſublata cauſſa, effectum tolli neceſſe eſt. Contra ſi feruentiorem humorum motum et irritamenta aſſidua ſequitur, grauis morbi periculum eſt, et, viribus aegri in dies magis magisque conſumtis, exitium certum. Furioſi tamen et melancholici citra multam debilitatem vigilias quam diutiſſime ſuſtinere poſſunt, itemque vt ſenibus magis aduerſus ſomnus eſt, ita vigilia immoderata iuuenibus, et febrile delirium t) fere praecurrit, cum maxime in morbis putridis.

§. 406.

q) Sic *Brendel* ap. *Klein* p. 274.
r) *Lomm.* l. c.
s) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 529.
t) *Lieut.* Precis, T. I. S. 1. p. 219.

§. 406.

Praeſignificat ergo *vigilia, diu conſiſtens, nec dolorem inferens,* dum nulla alia cauſſa eniteſcit, concitatiorem ſanguinis ſpirituumque per cerebri anfractus motum, eumque ob vires aegri attritas et confectas *u*) ſemper pertimeſcendum, delirium *v*), nec non periculum veluti inſidioſum, vnde etiam tuſſis in eo, quem longa vigilia confecit, admodum periculoſa eſt, et peruigilium febrile ſequitur tandem coma et apoplexia. Cui ſi ſuperuenit delirium et conuulſio, malum eſt; Peſſimum vero, ſi nec interdiu, nec noctu ſomnus blandus venit. Hinc ſi in febrium acutarum incremento vel ſtatu, poſt coctionis ſigna, oritur, ſcire licet, iudicationem *w*) inſtare, eamque per nares *x*) futuram ſubita aegri iectigatio, et inquies, praegreſſaeque ſtillae ſatis ſuperque docent. Quo facto, iterum conquieſcit. At vbi *conualeſcentes* non deſerit, reuerſionem mali vel nouum morbum *y*) timere debemus.

§. 407.

Praeter haec *pervigilia* in febribus acutis, inflammatoriis, ardentibus, ſuppurationem incipientem et abſceſſum *z*); *interdiu et noctu conſiſtentia a*), dolorem, laborem et futurum delirium; *aſſidua in febre ardente*, et cum conuulſionibus *b*) iuncta, periculum et mortem, niſi breui abigatur; cum *vomitu*

u) *Hipp.* Aph. VII. 18.
v) Praed. I. 19. p. 483. Coac. §. 1. p. 530.
w) Praed. l. cit.
x) Coac. l. cit.
y) L. Iudicat. §. 9. p. 444.
z) *Gort.* Prax. L. III. Tr. 1. 150. p. 135.
a) *Gal.* in Progn. Comm II. 12. p. 764. IV.
b) *Hipp.* Aph. VII. 18. p. 104. et *Proſp.* II. 22. p. 148 ſeq.

tu aeruginoſo, dolore capitis et ſurditate, delirium ferinum ac fatum c) ineluctabile: cum *ſudore continuo et frigido* d), itemque cum *egeſtionibus imperfectis*, peſſima quaeuis denunciant.

§. 408.

Reſtant *inſomnia*, quibus ſomnus aegrorum multifarie turbari, viresque vehementer debilitari ſolent. Hinc ſemper intempeſtiua et mala ſunt, quoniam debilitatem, laſſitudinem et grauitatem corporis vniuerſi, oculorum hebetudinem, cruditatem cet. inducunt, et pro cauſſa diuerſa, vnde proficiſcuntur, ſanguinis profluuia, delirium, phrenitidem, et materiae morboſae demigrationem ſiniſtram portendunt.

v. PETR. GERICKE reſp. VDEN Diſſ. de inſomniis, Helmſt. 1742. BVCHNER reſp. HEISTERBERGK Diſſ. de inſomniis, vt ſigno in medicina, Hal. 1749.

§. 409.

Sed in iſta ſomniorum vi explicanda et adhibenda magna cautione opus eſt, ne quid nimis. Nam humores corporis noſtri, quorum quantitas vel qualitas moleſta eſt, nec non quaedam cerebri affectiones admirabiles, indeque oriundae imagines phantaſiae, hic potiſſimum in cenſum veniunt, neque fas eſt, vt olim et nuperrime a multis theologis, philoſophis atque medicis factum eſt, hiſce inſomniis multum attribuere, omnium minime ad deum ipſum, genium aliquem bonum malumue cet. imprudenter referre. Quam ob rem ſomnia in medicina non adeo curanda putamus, quippe eorum ſigna ſunt omnium

c) Praed. l. cit.

d) Coac. §. 1. p. 525.

omnium longe fallaciſſima, et a rebus proletariis, incognitis, inconſtantiſſimis incertiſſimisque repetita.

§. 410.

Poſſunt vero iſta inſomnia, quae paſſim adferunt, aut grata eſſe, aut ingrata. Illa, praeſertim ſi poſt ſomnum iuſtum et mane accidunt, et voluptate quadam ſuauiorique imagine aegri animum permulcent, corpus quodammodo excitare atque recreare poſſe videntur; haec vero, quae ſub incendiorum, hoſtium armatorum, ſanguinis profuſi, inundationum, fluminum traiiciendorum, ſpectrorum, monſtrorum immaniſſimorum et foediſſimorum rel. ſpecie obuerſantur animo, indicant haud raro humorum copioſorum et pernicitate incredibili ad caput delatorum congeſtionem, aeſtum perinſignem, deliria portentoſa, et difficilem morbi iudicationem, interdum inflammationem et ſphacelum importunum, ſanguinis expulſiones, conuulſiones. Quae ſomnia eo periculoſiora putantur, quo magis, oculis vix clauſis, inſurgunt, et quo facilius aegri ſub primum ſomnum expergiſcuntur.

Schol. Sanguinis e naribus fluorem vel e loco quouis alio apto futurum ſtatuit diuinus ſenex Praed. II. §. 41. p. 518. et Prognoſt. §. 25. p. 469. T. II. ed. *Lind.* ſi per quietem oculis ſplendorem obuerſari aeger dixerit, et ſimile exemplum in mea Cenſur. Libr. *Hipp.* c. 2. §. 6. p. 56. ipſe adduxi. Sed niſi plura ſigna alia ſimul accedunt, fallax et intutum hoc praedictum eſt.

§. 411.

Porro *ſomnia turbulenta*, quae in febribus intermittentibus cum terrore atque angore incidunt, febrem diuturnam et grauem; in acutis vero ſtimulum

lum et irritamentum nouum, moleſtias multas, refectionem nullam, res aegri ad incitas redactas et deſperatas nunciare dicuntur: At vero ſi *crebra et delaſſantia* tabidos occupant, mali exacerbationem et mortem propinquam. Denique vt *inſomnia, quae deliris* inſunt, ſalutarem morbi iudicationem ſpondent, ita in febribus peracutis ea, in quibus aegri comate oppreſſi et veluti perterrefacti ſubito expergiſcuntur, iterumque ſoporantur, non leuiter terrere debent.

SUBSECTIO II.

DE CONSTANTIA MENTIS ET DELIRIO, VT SIGNIS.

§. 412.

Maximi momenti in morborum cognitione atque curatione iure meritoque habetur, ſi aegri *mente conſtant*, i. e. vniuerſas aut certe plurimas actiones, quae voluntatis imperio parent, ſanas, firmas, illaeſas oſtendunt, et internis ſenſibus recte atque ex ſuetis naturae corporisque legibus vti valent. Id quod GALENVS breuiter ſic expreſſit, vt eos mente conſtare diceret, *qui loquuntur et agunt ſingula rationi conſentanea.*

v. PROSPER ALPIN. de Praeſag. Vit. et Mort. II. 2. p. 78 ſequ.

§. 413.

Ex his colligitur, mentis conſtantiam per ſe ſemper inter bona eſſe indicia e): haec enim circuitum humorum non impeditum, cerebri vias liberas, commune ſentiendi inſtrumentum illaeſum, et vires naturae ad mali vim ſuperandam ac debellandam idoneas

e) *Hipp.* Aph. II. 33. p. 75.

neas vt plurimum docent. At vbi in furore *f*) ſubito ratio reuertitur, mors imminet; in melancholicis, vera inſania.

Schol. Caue, ne quid nimis. Fallax illud et lubricum ſignum erit, niſi plura bona ſigna ſimul adſunt. Sic multos videas febrientes, qui ſenſibus integris et mente conſtantiſſima diem ſuum obeunt, ſuntque hoc ex genere quidam, quos angina, inflammatio laterum, pulmonum, hepatis, lienis, vteri cet. vel tabes pernicioſa tenet. In his conſtantia mentis peſſimi ominis eſt, cum maxime ſi cum pulſu malo iungitur et copulatur, v. c. in puerperis. Sin vero in ſepti transuerſi, renum, vteri, inflammationibus, aut quibus cerebrum per conſenſionem quaſi afficitur, aeger ſanae mentis eſt, ſcire licet, ſpem aliquam ſalutis valitudinisque recuperandae ſupereſſe, modo cetera mala non ſunt. v. HIPP. Epid. VII. 27. p. 853. I.

§. 414.

Sed crebrius incidit *delirium*, i. e. vbi aeger non recte ſapit, et falſas rerum imagines apprehendit: id quod, bene monente diuino HIPPOCRATE *ff*), magis veſperi et noctu, quam interdiu cognoſcitur. Eſt vero delirium maximam partem malum, et vehementiam magnitudinemque morbi, cerebrum male adfectum aut ceteras corporis partes, quibus cum eo contagio quaedam et conſenſio intercedit, valde laeſas, tandem perniciem et mortem aegri *g*) denunciat.

Schol.

f) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 465.
ff) L. Vict. Acut. §. 50. p. 309. II.
g) Aph. II. 33. p. 75. I.

Schol. *Delirium* etiam *acutum et longum* dicitur: quae certe diſtinctio facilis eſt et perſpicua.

v. BVCHNER reſp. BODENBVRG Diſſ. de deliriis vitam et mortem praeſagientibus, Hal. 1756.

IO. NATH. PEZOLD Diſſ. de delirio febrili, Lipſ. 1762.

§. 415.

Praebent vero praecipua *imminentis delirii ſigna* vniuerſae mutationes in moribus, geſtu habituque corporis, voce, ſermone et ſenſuum iudicio, ideoque huc pertinent inſolita rerum obliuio h) et doloris conſcientia nulla, vigiliae pertinaces, nec dolore aliquo afficientes, ſomnia turbulenta, dolor capitis i) vehemens, adſiduus, pulſans et intolerabilis, rubor oris, oculi hebetes, truces, torui, fixi, perniciſſimi, aut quaſi furtiui, prominentes, illacrumantes k), nimis viuidi aut iuſto depreſſiores l), aurium ſuſurrus et tinnitus, itemque ipſa ſurditas m), oris hiatus et diſtortio, inſolitus dentium ſtridor n), ſputatio crebra et inanis primorum labrorum miniſterio, linguae tremor, ſilentium continuum, vel celeris et ferox reſponſio o) in miti homine, at modeſta in feroci, inconcinna blateratio, et inepta ad interrogationes reſponſa, vociferatio, fletus vel riſus perpe-

h) *Gal.* Loc. Affect. V. 7.

i) *Hipp.* Epid. VII. 28. p. 853.

k) Epid. VI. S. 1. p. 798.

l) *Sarcone* Krankh. zu Neap. T. III. §. 594. p. 10. verſ. Germ.

m) Praed I. 4. p. 473.

n) Coac. §. 1. p. 522 ſequ.

o) Praed. I. 6. p. 475. Coac. §. 1. p. 526.

perpetui, reſpiratus magnus, tardus, rarus, difficilis et profundus, pulſus durus, tardus, difficilis p), ſitis multa, cui nullum potus deſiderium ſubeſt, vrina pallida, diluta, parca et aegro inſcio reddita, falſa rerum abſentium phaſmata, amicorum et familiarium neglectus, animus citra rationem abiectus, ira et odium incredibile, ſenſus iuſto exquiſitior, iactatio corporis crebra, indecora manuum pedumque geſticulatio, pudenda denudata, inſueta in ventrem non dolentem q) cubatio, crura retracta vel diducta, denique irritus feſtucarum muſcarumque venatus r) cet.

v. NICOL. TAVRELLI Method. Praedict. Medic. p. 274.

§. 416.

Futurum delirium portendunt praeter ea, quae iam commemorauimus, peruigilia continua s), ſomni turbulenti et tumultuoſi, in quibus ſubito aeger expergiſcitur et clamat t), aurium ſonitus u) et ſurditas, cum vrina aquoſa vel praerubra, tenui, alba, pellucida, in qua nihil ſubſidit, dolor capitis cum praecordiis reuulſis v), itemque dolor, durities, inflatio et palpitatio praecordiorum w), vox acuta et clangens, balbuties linguae, vomitus aeruginoſi

p) *Sarcone* l. cit.
q) *Hipp.* Praed. II. 2. p. 489.
r) *Boehmer* Diſſ. de Crocidiſmo et carpholog. Viteb. 1757. *Sauvages* Noſol. T. VI. p. 549.
s) *Hipp.* Praed. I. 5. p. 474.
t) Coac. §. 13. p. 528. L. de Inſomn. §. 21. p. 644. *Artemidor.* de Inſomn. I. 55. *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 333.
u) Praed. I. 5. p. 474.
v) Coac. §. 1. p. 526.
w) Praed. I. 5. p. 424. Epid. I. Aeg. 3. p. 675. et Aeg. 13. p. 683.

ginoſi et virulenti rel. Quae quo vehementius vrgent, eo maior metus eſt, ne aeger in vitae valitudinisque diſcrimen incidat. Sunt enim ea praeſagia, quae a deliriis repetuntur, nunquam bona, etſi non ſemper funeſta.

§. 417.

Indicat igitur *delirium acutum et vehemens* x), quocum vigiliae aſſiduae, aeſtus ingens, ſupercilia adducta, ſplendores oculis obuerſantes, aurium ſonitus, labii inferioris tremor, rubor oris multus, fortiſſimi arteriarum, quae circa tempora ſitae ſunt, ictus, ſudores colli, ſpiratio magna, crebra, offenſans, et anxietas grauis, ſputa tenuia, meraca, ſalſa, pauca, vrina cruda, animi deliquia, extrema frigida et contremiſcentia, ſtragulorum in pectore impatientia rel. iunguntur et copulantur, tantum non ſemper morbum grauem et magnam cerebri et proximarum aeque ac diſſitarum partium inflammationem, eamque breui internecinam, niſi cauſſae, quae illam induxerant, ſanguinis e naribus profuſione, ſputis, abſceſſu cet. auferantur. Contra vbi cum obliuione, dura dormiendi neceſſitate, atque egeſtionibus non voluntariis delirium eſt, morbum ſoporum augurari licet, et ſi deliria ingentia iam anteceſſerunt, mortem proximam. Interdum paullo ante, quam vita finitur, mens ſana redit. Porro *deliria in febrium acutarum vigore*, ſi cum vigilia oriuntur, paullo poſt in ſomnum ſalutarem y) et mentem ſanam tranſeunt, terrere non debent; itemque ſi, dum iudicium inſtat, dolor capitis, grauitas, ſurditas, ipſaque conuulſio increſcunt, eaque poſt

S 2 egeſtio-

x) Vict. Acut. §. 21. p. 285 ſequ. II.

y) *Gal.* Loc. Affect. II. 9. p. 54. et III. 6. p. 69.

egeſtionem decretoriam, v. c. ſanguinis z), vrinae a), ſudoris b), illico ſe remittunt atque conquieſcunt. At ſi deliria, febre ineunte, apparent, vel finita ea ſubſiſtunt, iterumque recrudeſcunt, peſſima ſunt; praeſertim vbi poſt ſummam corporis debilitatem, ſpirationem difficilem, ſudorem continuum et ſingultum oriuntur. Tunc enim mors c) ante portas eſt. Contra *delirium mite atque continuum* d), cum ſenſus hebetudine et ſomni cupiditate in febre pene affecta et per vrinas lente finienda, ſaepe bono eſt.

§. 418.

Delirium longum, quod fere cum vehementia et furore quodam accidit, inſaniae et melancholiae nota quaſi propria eſt, ſimulque mali pertinaciam declarat. Haud raro inſanabile eſt. Sin vero poſt longos morbos, quibus aegri vires iam attritae et exhauſtae ſunt, v. c. poſt phthiſin reliquasque tabis formas, venit, perniciem propinquam portendit, etſi miſeri ad vltimum vsque halitum ſibi conſtant et multa ſperant.

§. 419.

Praeterea *deliria continua et ferocia*, cum inflammationis ſignis copulata, denunciant motum humorum rapidiſſimum, morbi grauitatem, et vitae diſcrimen haud leue; *moderata* in febris exacerbationibus, difficilem, at non ſemper mortiferam, morbi iudicationem; *taciturna* e) cum corporis iactatione, oculis incertis, ſpiratione magna et ſublimi, apople-

z) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 537.
a) Epid. VI. S. 6. p. 812.
b) Aph. VII. 5. p. 103. Coac. §. 3. p. 569.
c) Coac. §. 1. p. 528.
d) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 4. p. 85.
e) Coac. §. 3. p. 570.

apoplexiam longamque inſaniam; *ſubita* cum *corporis iactatione* crebra, ſanguinem erupturum *f*); ab *infelici humorum migratione ff*), periculoſum mali finem, *cum ſilentio* poſt praegreſſa turbulenta et ferociora *g*) deliria, vires prorſus deiectas ac perditas, interdum ſoporem, vocis amputationem et mortem ipſam; cum *obliuione rerum naturalium h*), *ſuetarum*, *neceſſariarum*, ſtupore, ignauia, rigore ac frigore, perniciem aegri; cum *linguae conuulſione*, itemque *voce ſtridula et contremiſcente i*), mali magnitudinem et periculum; cum *tremore ac palpatione k*), qualis inueſtigantium eſt, phrenitidem letalem; *cum ſopore l*), itemque illud, quod *ferinum* dicunt, conuulſiones; cum *ventre turbata m*), deiectiones nigras; poſt *largam ſanguinis n*) *expulſionem*, vaſorum exinanitionem; *leue grauidarum delirium o*), abortum futurum vel partum difficilem; tandem a *neruis vehementer laeſis*, itemque ab *opio*, oriundum, periculoſum et longum morbum. Similiter *deliria phreneticorum p*), vbi crebrius mutantur, humorum concitationem, quam ὀργασμὸν appellant, et cerebrum male affectum docent: illa

S 3 vero,

f) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 537. Epid. III. S. 3. Aeg. 12. p. 738.

ff) *Gort.* Prax. L. III. Tr. 1. 154. p. 140 ſequ.

g) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 527. et §. 3. p. 570. Epid. III. S. 3. Aeg. 4. p. 733.

h) Coac. §. 1. p. 529. *Proſp.* II. 5. p. 99.

i) Coac. l. cit.

k) Praed. I. 2. p. 472. Coac. §. 1. p. 529.

l) Coac. l. c. p. 528.

m) Coac. §. 3 p. 570.

n) Aph VII. 9. p. 103.

o) *Iunck.* Semiol. l c. p. 670.

p) *Hipp.* Coac l. cit. p. 529. Epid III. Sect. 3. Aeg. 15. p. 741.

vero, quae poſt *rabidi canis morſum* incidunt, fere immedicabilia ſunt.

§. 420.

Sunt ergo *deliria minus mala* et periculoſa, quae inſomniis debentur, quae leuia ſunt et cum bonis ſignis iuncta, quae breui finiuntur q), nec continuant; quae in febrium intermittentium acceſſione incidunt, et viribus aegri conſentanea ſunt. Minus etiam *periculoſa*, quae cum riſu et geſtu ſuaui r) fiunt, et melancholicos occupant; maxime, vbi poſt febres bilioſas, inflammatorias, variolas, morbillos, ileum, nec non ex menſium defectu s) naſcuntur, vel in hypochondriacis et hyſtericis eueniunt, neque ſanguis ſpiſſior largiter profluit; vbi cum magno corporis motu et agitatione ſunt, nec remediis auferri poſſunt; vbi phreneticos vrgent, et ſimul vrina aquoſa, alba, pellucida, et aluus alba praeter voluntatem effertur; Terrere etiam valde debent, vbi cum *ſtudio* et *auſu temerario* t) fiunt, vbi aegri nec amicorum adhortationibus parent, nec minis coerceri poſſunt, ſed corpus huc illuc iactant, vociferantur, e lectulis aſſurgere geſtiunt, et vires reſiduas fruſtra perdunt, cuſtodibus vero violentas manus inferre ſatagunt; vbi *affectum ſeptum transuerſum* u) et egeſtionem malam, i. e. imperfectam, inſequuntur, aut ab inopia v), vulnere, contuſione atque fractura capitis w) oriuntur; vbi tremores ſuperue-

q) *Proſp.* II. 4. p. 89.
r) *Hipp.* Aph. VI. 53. p. 102. *Celſ.* III. 18. p. 155.
s) Praed. I. 17. p. 482. Coac. §. 1. p. 528.
t) Epid. III. S. 1. Aeg. 1. p. 712. *Proſp.* II. 3. p. 88. *Swiet.* Comm. Aph. 774. p. 603. II.
u) *Gal.* Loc. Affect. V. 3. p. 121.
v) *Gal.* In Progn. Comm. I. 13. p. 740. IV.
w) *Gort.* l. c. p. 140.

peruenient, v. c. in febre ardente, phrenitide cet. Denique *mortifera* putantur deliria, quae cum rigore, horrore et extremis algidis, itemque in cerebri inflammatione, peſſimis cum ſignis fiunt, nec non phrenetica [x]), tremula et obſcura ſunt.

Schol. PROSPERO l. cit. p. 100. iudice, potiora morbi letalis ſigna habentur pulſus praelanguidus, reſpiratio mala, ciborumque appetentia nulla. Hinc in deliris etiam attendi debent.

§. 421.

His fere reſpondent ea *deliria*, quae *a debilitate ſpirituumque penuria* [y]) recentiores medici repetunt. In his aegri clauſiś aut fixis oculis iacent, quaſique meditabundi, rerum omnium obliti, periculi neſcii, et interrogati, quomodo ſe habeant, optime, reſpondent, floccos tamen in veſte legunt, fimbrias diducunt, et in proximo pariete, ſi qua minuta eminent, diligenter ſtudioſeque carpunt, contremiſcunt et palpant [z]). Quae dum apparent, magna cautione opus eſt, ne medicus fallatur falſis iſtis induciis. Nam breui procella impetuoſior vitae clauſulam [a]) faciet.

§. 422.

Sequitur quaedam delirii ſpecies, quae certe eſt omnium longe periculoſiſſima et certiſſimae mortis inſtantis praenuncia, puta, diuinior illa quaſi *animi elatio et hilaritudo*, qua aegrorum aliqui, et ipſi infantes, et ſibi, et aliis, res ignotas atque futu-

 ras

x) *Hipp.* Praed. I. 4. p. 474. Coac. §. 1. p. 527. *Proſp.* II. 14. p. 100.
y) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 529.
z) *Tiſſot.* Hiſt. Febr. Lauſann. p. 10. Opuſc. ed. *Bald.*
a) *Gal.* Comm. I. in I. Praed. t. 8. p. 629. IV. *Swiet.* Comm. Aph. 773.

ras praeſagiunt, cum mortuis fabulantur, proprium funus vident, ne minimo quidem momento praetermiſſo, horam, qua obituri ſint, rite definiunt, et incredibilia multa in medium proferunt, interdum mira humanitate, ingenio, eloquentia [b]) viſa ſua eloquuntur, rel. Haec exemplis docere facile eſt; at demonſtrare viam et rationem, difficile vereque ἀδύνατον.

v. CICERO de Diuinat. I. 30. ARETAEVS de Cauſſ. et Sign. Morb. Acut. II. 4. p. 12. GE. FRANCK DE FRANCKENAV Satyr. Medic. IX. p. 166 ſequ. VARANDAEVS Prognoſ. Med. II. 4. HENRIC. AB HEER Obſeruat. II. p. 49. PEZOLD Prognoſ. Febr. Acut. c. 4. Sect. I. §. 89. p. 59.

SUBSECTIO III.

DE FATVITATE ET OBLIVIONE, VT SIGNIS.

§. 423.

Species quaedam alienatae mentis eſt *fatuitas*, i. e. vbi quis nulla re externa afficitur, grata ſit, nec ne, et omni ſenſus communis, iudicii, et commotionum animi fere expers videtur, praeſentium negligens, futurorum immemor, hebetior atque crepundiorum amans, nemini nociturus. Quod vitium et a natura, et a morbo eſt.

§. 424.

Fatuitas quaecunque in homine vel non aegro metuenda eſt, vt bene PROSPER [c]) monuit, quippe grauiorem morbum praenunciat, et a iuſto debiliori vel inordinato ſanguinis motu, ſenſu medullae

b) *Zimmerm.* l. c. p. 461 ſequ.
c) De Praeſ. Vit. et Mort. II. 6. p. 102 ſequ.

dullae cerebri ceterorumque inſtrumentorum aut valde imminuto, aut prorſus exſtincto proficiſcitur. In acutis morbis ſemper malum augurium praebet.

§. 425.

Quare ſi in morbi incremento viri perſpicaciores ingenii ſtulti *d*) videntur, neque delirium ſubeſt, ſcire licet, intus latere ſummae malignitatis ſemina, vires vitae languere, cerebrum mire affici et immutari, et aegrum de vita periclitari. At ſi, dum iudicium morbi ſalutare inſtat, eos occupat, ſpes eſt, fore, vt breui ſanitas redeat.

§. 426.

Contra inſanabilis putatur fatuitas, quae poſt furorem temere per venaeſectiones ſopitum *e*), vel poſt febres intermittentes longas, cum maxime quartanas, et egeſtiones largas *f*), itemque poſt morbum regium *g*) oritur, praeſertim ſi vna vox deficit; quae inde ab naſcentia hominem tenet, vel cerebro molliori illatae violentiae *h*) debetur; quae poſt partum ob vaſorum exinanitionem cum hebetudine ſenſuum *i*) incidit; tandem quae ſenilis *k*) eſt.

§. 427.

Eadem fere ratio *obliuionis* ſ. *memoriae deletae* eſt. Nam memoria rerum ſaepe intercidit ſic, vt, teſte GALENO *l*), *nullum affecti loci ſignum, neque tumor praeter naturam, neque dolor aliquis, neque excretio, neque aliud quicquam extet.* Qua de

S 5 cauſſa

d) *Gal.* Loc. Affect. III. 18.
e) *Swiet.* Comm. Aph. 662. p. 273. II.
f) *Sydenh.* Febr. Interm. 1661. p. 60. T. I.
g) *Hipp.* Praed. I. 4. p. 473. Coac. §. 2. p. 539.
h) *Boerh.* ap. *Klein.* p. 179.
i) *Klockhof* Diſſ. de animi morb. p. 42.
k) *Lieutaud* Precis de la Med. T. I. S. 1. p. 217.
l) Loc. Affect. III. 4. p. 62. IV.

cauſſa vbi homini, ceteroquin bene valenti, nulla cauſſa euidenti praegreſſa, memoria vacillat vel ſubito tollitur, vnaque imbecillitas et oculorum caligatio ſuperueniunt, indicio eſt, turbari mirifice commune ſentiendi inſtrumentum, inſtare morbum grauem, nouam acceſſionem in hyſtericis et epilepticis, delirium, apoplexiam m), cum maxime in viris doctis, dum ſeneſcunt, denique neruorum reſolutionem. Haud raro magnas capitis n) laeſiones e veſtigio ſequitur, et in febribus acutis o) phrenitidem et mortem proximam denunciat, niſi iudicatio imminet, interdum etiam lethargum.

v. ERN. PLATNER Spec. II. De vi corporis in memoria, Lipſ. 1767.

§. 428.

Praeter haec *peſſima* eſt *obliuio*, ſi ab ineunte morbo vſque ad finem ſubſiſtit, et cum malis ſignis p) eſt; ſi cum ſtupore q) iungitur et copulatur; ſi laborem corporis nimium et adſidua litterarum ſtudia r) inſequitur, et vna ratio laeſa fuiſſe videtur; denique ſi in exacerbationibus febris intermittentis et hecticae incidit. In priori difficilem et aegre ſuſtinendum morbum declarat; in poſteriori vero mortem appropinquantem.

§. 429.

Inſanabilem obliuionem ſtatuunt, quae poſt morbum acutiſſimum et malignum relinquitur, vt olim

m) *Brendel* in Coac. Praenot. Penſ. II. n. 6. p. 176. T. I. Opuſc. *Wepfer* Affect. Capit. p. 359.

n) *Hipp.* Aph. VII. 14. p. 103. *Tulp.* Obſ. IV. 15. p. 303. ed. ſext.

o) Praed. I. 8. p. 476.

p) Epid. III. Aeg. 13.

q) *Gal.* l. cit. c. 5. p. 64.

r) Ibid. p. 65.

olim in peſtilentia Athenienſi [s]) accidit: Sin vero debilitatis a morbo graui oriundae index eſt, terrere non debet: nam tandem naturae beneficio fere ſanatur. Sic etiam *ſanabilis* dicitur, quam ebrietas, medicamenta ſoporifera [t]), humorum ad caput congeſtio, et deliria induxerant.

SUBSECTIO IIII.

DE DOLORE AC STVPORE, VT SIGNO.

§. 430.

Doloris ſenſus in morbis acutis ac longis frequens eſt, et modo ſalutaris, modo exitioſus eſſe poteſt, quoniam hoc in iudicio et aeſtimatione ſpectanda aetas, naturalis cuiusque corporis ſenſus, morbi ſtadia, viſcera, vnde dolor dimanat, et potiſſimum cauſſarum vis eſt. Id tamen certum eſt, dolores ſemper metuendos videri, quippe vires reſoluunt, cruditates gignunt et fouent, humorum coctionem impediunt, vaſa conſtringunt, aegrumque haud raro in magnum vitae diſcrimen coniiciunt. Qua de re potiora dolorum genera ab rheumatiſmo, morbo articulario et gallico, ſcorbuto, tumore et obſtructione, ſolidarum partium abſciſſione, tenſione, torſione, diſtentione ac conuulſione neruorum repeti debent, pauca ab animi motibus.

Schol. Varie dolores diuidunt, in *acutos*, *graues et cum torpore* infeſtantes, *vlceroſos*, *tenſiuos*, *punctorios*, *pulſatiuos*, itemque *profundos*, *fixos*, *mobiles* ſ. *vagos* et *perſultantes* ARCHIGENIS, *perpetuos*, *intermittentes*, *vehementes* et *paruos*, cet. de quibus vide GALEN. Loc. Affect. II. 5. p. 39.

s) *Thucyd.* de Bell. Pelopon. II. 53. et *Lucret.* de Rer. Nat. VI. v. 1136. ſequ.

t) *Lieutaud* l. et p. cit.

p. 39. IV. et PROSP. ALPIN. De Praeſ. Vit. et Mort. II. 18. p. 131. ſequ. Hos vero ita definiunt, vt *dolorem grauatiuum* capiti et infimi ventris viſceribus; *pulſantem* capiti et puri generando; *pungentem* membranis, ſi quae exquiſitiorem a neruis ſenſum habent, vel ob affectum locum acriter dolere creduntur, v. c. in dolore laterum, inteſtini plenioris, et coxarum ingenti, ſpina ventoſa; *rodentem* vlcerationibus pulmonum, inteſtinorum, renum, vteri; *vrentem* eryſipelae; *pruriginoſum* morbis iis, qui cutim offendunt; *ſurdum*, vbi a diſtentione ſenſus aut nullus aut perexiguus eſt, et in praecordiis cum maxime inſidet. Hunc vulgo *anxietatem* nominant. v. LIEVTAVD Precis de la Medec. Prat. T. I. Sect. 1. p. 88.

§. 431.

Eſt ergo *ſenſus exquiſitior* et maior, ac in bene valente homine fuit, ſi quo in morbo accidit, tantum non ſemper malus, et irritamenta haud vulgaria, neruos vehementer affectos, morbi vehementiam, et haud raro mentem laeſam denunciat. Hinc inter primaria hydrophobiae ſigna eſt, et ſaepe febre neruoſa correptos, furioſos, hypochondriacos atque hyſtericas u) feminas occupat, in quibus, ubi diu ſubſiſtit, delirium metuendum eſt.

§. 432.

Inter *dolores* vero *minus mali* habentur, qui parui, vagi et breui euanidi, nec nimis vehementes, nec aſſidui ſunt, nec in ſocietate malorum ſignorum veniunt;

u) *Macbride* Einleit. p. 120. ſequ.

veniunt; qui a ſupernis corporis partibus ad infernas *v*), ab internis ad externas deſcendunt, aut certe aliquas ignobiles peruadunt; qui in membris reſolutorum ſentiuntur, vel poſt coctionem die decretorio *w*) accidunt, et poſt egeſtiones iuſtas remittunt. Contra *peſſimi* ſunt, ſi cum ipſo morbo prodeunt, aut paullo poſt apparent; ſi, etiamſi membra ignobiliora occupent, tamen cum febre continua et ſignis grauiſſimis *x*) vrgent, v. c. delirio, ſopore, defectione animi, aeſtu ingenti, extremorum refrigeratione *y*), cet. Si interiora viſcera diutius affligunt quaſique exurunt, neque ab aegro ſentiuntur *z*); ſi ſubito citra leuamen *a*) ſeſe remittunt, aut ad interiora peſſimo cum euentu demigrant, ſi poſt lippitudinem ac neruorum diſtentionem oriuntur. Sed eamus per ſingula dolorum genera.

§. 433.

Dolor capitis indicat humorum ad caput impetum, congeſtionem, vaſorum diſtentionem, cerebrique conſenſum *b*) et vomitum, ſi mordax eſt; at ſanguinis expulſionem *c*), ſi grauis, diſtendens, pulſans et calidus eſt; haud raro futuram febrem malignam

v) *Hipp.* Praed. I. 15. p. 480.

w) Aph. VI. 40. p. 101. VII. 52. p. 106.

x) Coac. §. 1. p. 524. Epid. III. Sect. 1. Aeg. 2. p. 712.

y) Aph. VII. 26. p. 104.

z) Aph. II. 6. p. 72. *Celſ.* II. 8. p. 69.

a) Praed. I. 5. p. 474. et §. 12. p. 478. *Lieutaud* Precis, T. 1. Sect. 1. p. 90.

b) *Kloekhof* Hiſt. Epid. Febr. c. 4. p. 80. ſequ.

c) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 555. IV.

gnam et intermittentem, vertiginem, apoplexiam; tremorem, morbum caducum, delirium, furorem, ſurditatem, caecitatem, purgationem menſtruam [d]). Qui ſi a vitio fixo oritur, et in ſenibus ac vetulis accidit poſt menſtruorum ceſſationem, raro medicabilis eſt; at qui certo ſtatoque tempore reuertitur, minus terrere debet. Sic etiam febri putridae [e]) fere ineſt dolor capitis debilitans, nec adeo vehemens, remittens, et in vertice ſenſum eum afferens, qui in loco nimis calefacto vel poſt veſicantia moleſtus eſt; at phrenitis pulſantem quaſi ab incudis ictu dolorem habet.

§. 434.

Praeterea *dolor capitis ſine febre* [f]) diuturnitatem mali portendit, et poſt ventorum frigidorum adſpirationes, frigus et calorem corporis, deſtillationem; *cum aurium tinnitu* [g]), cui febris nulla ſubeſt, cum vertigine, vocis tarditate, ſtupore manuum, et ſopore in ſenibus, apoplexiam, neruorum reſolutionem, morbum comitialem et obliuionem; in acutis vero cum *vigiliis* [h]) aſſiduis, delirium; *cum ſtupore, delirio*, aluo adſtricta, oculo toruo et flammeo [i]), opiſthotonon; *cum tuſſi* copulatus, haud raro futuram arthritidem, eamque in acerbum capitis dolorem, quem cephalaeam nominant, et deliria horrenda tranſituram; *cum leui ſurditate* [k]), *tremore manuum*,

d) *Lieutaud* Precis T. II. S. 2. p. 75.
e) *Fordyce* Vnterſ. der Faul- u. Entzünd. Fieb. Abſ. VI. p. 63.
f) *Hipp.* Praed. II. 36. p. 519. I.
g) Coac. §. 2. p. 535.
h) *Klein* l. c. p. 46.
i) Coac. §. 2. p. 535.
k) Ib. p. 536.

manuum, ceruice dolente, vomitu vrinaque nigra, periculum; *cum grauitate, torpore, ſurditate, ſopore* l), conuulſiones, parotides m), delirium et lethargum n), niſi hoſce dolores pus e naribus profluens, ſputa craſſa, nec olentia, vlcuſcula ceteraeque cutis eruptiones, ſomnus vel aluus fuſior ſoluit: *cum vertigine tenebricoſa, temporum grauitate, viſus acie hebetata*, vibrato radiorum lucidorum fulgore, pruritu narium, rubore oris perinſigni, praecordiorum contentione o), ſanguinis ad caput raptum, inferiorum partium conuulſionem, et a compreſſo cerebro mala grauiſſima, interdum haemorrhagiam narium p) vel vteri imminentem, quam etiam ſinciput et ceruix dolens, peruigilium, catochus, oculi praerubri, tremor ac infirmitas vniuerſi corporis exſpectandam notant, et ſi ſimul *reuulſa praecordia* q) ſunt, phrenitis appropinquat.

§. 435.

Item *dolor capitis fixus*, ſi ante vel *poſt lippitudinem* r) oritur et ſubſiſtit, caecitatem praeſignificat; at *cum podicis et pudendorum dolore* s) iunctus, torporem, impotentiam, vocem reſolutam, interdum ſoporem et ſingultum longo tempore poſt inducendum, nec non linguae vſum reddendum vbi aſcarides exeunt, et *cum ſomno alto et grauitate in grauidis* t), conuulſiones futuras. Praeter haec *dolores*,

l) Praedict. l. cit.
m) Ib. I. 24. p. 486.
n) *Lieutaud* T. I. S. 1. p. 9.
o) *Pezold*. Progn. c. 4. S. 2. §. 103. p. 65.
p) *Hipp*. Praed. II. 36. p. 515.
q) Coac. §. 1. p. 530.
r) *Duret*. ap. *Klein*. p. 191.
s) *Hipp*. Coac. §. 2. p. 535.
t) Coac. §. 3. p. 575.

dolores, qui *inflammationis* u) ſedato impetu non ceſſant, ſaepius abſceſſus denunciant; *diuturni ad naſi radicem*, pituitam multam atque tenacem, vel os vitiatum, interdum ſi ſimul mordaces ſunt, vermes ibidem haerentes; *noctu ingraueſcentes quaſique recrudeſcentes* cum membrorum dolore oſſifrago, contagionem veneream intus latentem; *vehementes et aſſidui* v) cum ceteris inflammati cerebri ſignis et poſt ſudores decretorios non decernentes, peſſima mala et mortem. Etenim reſoluunt vires, inducunt vigilias et deliria, tandem conuulſiones letales ſequuntur, niſi ſanguinis e naribus fluore vel abſceſſu iudicantur.

§. 436.

Cephalaea ex cranii carie pertinaciſſima, peſſima et male ominoſa eſt. *Hemicrania et clauus hyſtericus*, vbi primarum viarum ſordibus debetur, non adeo terrere debent, ac ſi poſt arthritidem vagam oriuntur. At ſi hemicrania ad eiusdem lateris brachium effertur, et ſenſus ſtupet, ſcire licet, hemiplegiam vel reſolutionem neruorum fere imminere.

Schol. Ferunt, dolorem capitis, ſi qua intra ventriculum labes ſubſit, in anteriori eius parte ac fronte reſidere; at ſi intra vterum, verticem atque occiput potiſſimum affici, et ſimul aliquem refrigerationis vel claui pacti ſenſum adferre, v. c. in feminis, quae ex vteri praefocatione laborant.

§. 437.

Ab *dolore verticis et temporum* x), qui ſine febre et cauſſa euidenti accidit, colligitur ſanguinis e nari-

u) Epid. VII. 48. p. 869. ſequ.
v) Progn. §. 2. p. 466. Coac. §. 1. p. 525.
x) Coac. §. 2. p. 536.

e naribus profluuium. Id quod etiam exſpectari debet, ſi dolor die decretorio in acuta febre y) oritur, vel *frontem* z) *et tempora iuuenum* potiſſimum exercet. *Dolor aurium pertinax* a), cum febre vehementi et ſignis grauibus copulatus, in iuuenibus delirium et mortem breui adfuturam docet, niſi pus ex aure vel ſanguis e naribus effluat, aut aliud bonum indicium ſuperueniat; in prouectioribus vero ſuppurationem parotidum, delirium rarum, et, nouo ſuborto dolore, mortem. Hinc ab inflammatione internae auris dolores crudeles et intolerandi ſequuntur, qui aegrum aut intra diei ſpatium conuulſum tollunt, aut in phrenitidem letalem coniiciunt. Horum dolorum *ſanabiles* putantur, etſi graues et haud raro diuturni ſunt, qui vermibus, ſero, pituitae, flatibusue debentur; at *periculoſi atque exitioſi*, qui in febribus acutis per materiae migrationem et auditum difficilem fiunt, et propter atrociam ſuam mortem haud raro arceſſunt; qui ex lapſu cum puris fluore ac inflammatione naſcuntur, et in parotidum tumorem et ſuppurationem, delirium et conuulſionem degenerant.

§. 438.

Dolor ceruicis, cum oculis valde rubris et caligantibus, grauitate temporum, et aurium ſonitu b) iunctus, ſanguinis expulſionem, in mulierculis purgationem menſtruam; at ſi *ceruix dolet et durus* eſt, cum arteriae temporum vehementi ſuccuſſu, tendinum aſſultu et maxillarum conſtrictione c), vomitu viroſo d), perniciem

y) *Lieutaud* l. c. T. 1. S. 1. p. 90.
z) *Hipp.* Progn. §. 22. p. 466. Coac. §. 2. p. 538.
a) Ibid.
b) Praed. I. 20. p. 484. Epid. I. S. 2. p. 662.
c) Coac. §. 2. p. 545.
d) Epid. I. et p. cit.

perniciem certam portendit. Hinc ceruicis dolor in febribus mali morbi ſignum eſt, at in anginoſis, phreneticis et deliris *e*), peſſimi. In melancholicis *f*) delirii eſt praenuncius. Nonnunquam *grauitas corporis vniuerſi*, *dolor colli et oris ſtomachi*, quod καρδίαν appellant, itemque graue faſtidium *g*) incidunt, et vomitum bilioſum vel pituitoſum denunciant.

§. 439.

Dolore faucium graciliùm, quocum ſaliuae fluor multus eſt, nec vitium patet *h*), periculum magnum ſubeſt; et ſi perſeuerante malo detumeſcunt, ſcire licet, materiam morboſam ad interiora deferri peſſimo cum omine. Qui dolor ſi ex capite *i*) dimanat, conuulſionem minatur; Si cum *hiatu oris* *k*) eſt, delirium, phrenitidem et perniciem: Si *vehementer fauces dolent, nec tument* *l*), ſummum vitae diſcrimen; Si in febribus ob *glandulas tumidas* *m*) vehementer dolent, malum diuturnum. De angina ipſa vide Semioticen ſpecialem.

§. 440.

Dolores fixi in medio pectore *n*) ſi diu conſiſtunt et ſine tuſſi ſunt, labem veneream dudum inhaerentem deſignant. At ſi *cum febre*, *torpore ac aluo turbata*

e) Praed. I. 9. p. 476. Aph. IV. 35. p. 85. Coac. §. 2. p. 546.
f) *Gort*. Prax. T. II. L. II. 306. p. 22.
g) *Hipp*. Epid. I. cit.
h) *Gort*. l. c. 307. p. 23.
i) Praed. I. 2. p. 472.
k) Coac. §. 2. p. 546.
l) Aph. II. 15. p. 73. IV. 35. p. 85.
m) Coac. §. 1. p. 527. ſequ.
n) *Bagliu*. Prax. I. p. 96.

bata o) vrgent, deiectiones nigras; ſi *pectus et pulmones* p) ſemper occupant, neque ſputis, aluo vle remediis auferuntur, etſi ſigna mala nulla ſunt, ſuppurationem; alias mortem. Qua de cauſſa *dolor pectoris continuus in febre acuta* q) terribilis eſt, quippe obſtructionem, inflammationem, ſuppurationem, gangraenam praeſignificat; et ſi breui quieſcit, neruos affectos ſ. conuulſionem.

§. 441.

Neque raro *dolor ſcapulas* tenet. Qui vbi in *febre maligna* r) incidit, neque conquieſcit, itemque *ad iugulum et ventrem* reſidet cum corporis iactatione atque ſtertore, ſputorum copioſorum index eſt. Contra vbi *mammas* s) *propter febrem* exercet, ſaepius ſputa ſanguinis; at *ſine febre*, haud raro inſtantem fluorem menſtruum denunciat.

§. 442.

Dolor laterum cum ſputis bilioſis t), ſubito nec ſine vlla cauſſa euidenti praegreſſa *euaneſcens*, portendit breui acceſſurum vehemens et pernicioſum delirium, et *cum febre longa*, puris expulſionem; *cum aeſtu* u), viſceris huius inflammationem; *cum rigore et ſuffocationis* v) *metu*, ſuppurationem; *cum oris rubore* w) *multo et aluo citata*, vomicam; at dolor

T 2 vehe-

o) Ib. §. 2. p. 546.
p) Epid. VII. 48. p. 869.
q) *Lieut.* l. c. p. 89.
r) *Vogel* Praenot. Gott. Penſ. I. n. 4. p. 5. *Hipp.* Coac. §. 1. p. 523.
s) *Hipp.* Aph. IV. 65. p. 88.
t) Praed. I. 12. p, 479. Coac. §. 3. p. 563.
u) *Gal.* Comm. in Praed. I. 82. p. 666. IV,
v) Praed. I. 12. p. 479.
w) Coac. §. 3. p. 563. ſequ.

vehemens derepente infeſtans, praeſertim *tabidos*, x), delirium, febrem magnam et futuram mortem declarat. Nonnunquam, vbi *dolor lateris et lumborum* y) accedit, cuius cauſſa in obſcuro poſita eſſe videtur, morbus regius ſubeſt. Praeter haec dolor laterum acutus *bonus* eſt, ſi ad externa corporis membra, cum maxime ad palas ſ. ſcapulas, os iuguli et dorſum z), morbi die circiter quarto vel quinto demigrat, et ſpirationem facilem cum aegri leuamine inducit; tunc laeta ſalutis ſpes affulget; *Malus* vero eſt, ſi moleſtiam multam adfert et in peius ruit, vel ad abdominis viſcera peſſimo cum omine defertur. Etenim aut recidiuus dolor a) oritur, aut alius morbus grauis et longus, aut gangraena ſubita aegrum interficit.

§. 443.

Dolor dorſi ingens b) commune feminarum ſignum eſt, quae ob vteri ſtrangulationem miſere ſe habent, et ſenſum fere talem imprimit, qualis fuſte dedolatis eſt. Saepe poſt grauem acceſſionem relinquitur. At ſi dolor dorſi diu ſubſiſtit, ſcire licet, eum immedicabilem eſſe, et tantum non ſemper in hydropem pectoris degenerare. In iis, quos tabes dorſalis tenet, certum ſignum eſt.

v. DELII Diſſ. de notialgia, Erl. 1764.

§. 444.

Dolor ventris, c), ſi qui ab acri ſaburra vel in febre acuta cum lumborum praecordiorumque dolore,

x) *Bagliu.* Prax. II. 8. §. 3. p. 199.
y) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 551. ſeq.
z) *Triller* de Pleurit. c. 2. §. 43. ſeq. p. 37. *Swiet.* Comm Aph. 901. p. 64. III.
a) *Tulp.* Monit. Med. n. 43 ad calc. Obſ. p. 387. ſeq.
b) *Sydenh.* Ep. ad *Cole* p. 259.
c) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 549.

dolore, torſione, ac murmure inteſtinorum, ceteriſque bonis ſignis incidit, vt plurimum deiectiones iudicatorias praeſignificat, niſi qua alia egeſtio ſuccedit. Nonnunquam *poſt dolorem ventris* d) ingentem febris ardens oritur, quae fatum accelerat, et poſt *diuturnum* e), ſuppuratio, morbus caducus, conuulſio, ſopor, apoplexia, mors. Vnde intelligitur, dolorem colicum, a mala corporis conformatione vel abſceſſu viſcerum eſſe male ominoſum. Hinc iſte dolor, vbi cum pulſu paruo, humili et obſcuro, tenſione ac duritie abdominis, ſiti multa, et facie mire ſubitoque deformata f) eſt, inflammationis, et in puerperis gangraenae certus index habetur, cum maxime ſi ſe ſubito omni dolore liberatas profitentur. Neque abſimiliter *dolor ventris acerbus et cum extremorum refrigeratione* g), malus eſt.

§. 445.

Dolor praecordiorum acutus, diſtendens, pungens, infixus in aliquo loco h), inflammationem denunciat; *tenſiuus* i) cum laſſitudine, capitis grauitate, ſurditate, horrore, ſanguinis profluuium; Quare *febres ex praecordiorum dolore* k) ſemper malae ſunt, praeſertim vbi cum ſopore, caro, et vocis iactura copulantur, nec ſudore reſoluuntur: ſaepe enim dolor peſſimo cum euentu ad coxas deſcendit.

T 3 *Malus*

d) Coac. §. 1. p. 531.
e) Aph. VII. 22. p. 104. *Klein* l. c p, 53.
f) *Morgagn.* de Cauſſ. ac Sed. Morb. Epiſt. 35. Art. 21. 22. p. ed. Ven.
g) *Hipp.* Aph. VII. 26. p. 104.
h) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 555. IV. *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 3 p. 69.
i) *Hipp.* Praed. I. 20. et 21. p. 484.
k) Praed. I. 7. p. 475. Coac. §. 2. p. 549.

Malus etiam eſt, qui ſine febre eſt et ſubito exercet, quippe longos ac vehementes morbos, tuſſim, ſpirandi difficultatem et ſingultum inducit, qui *grauidas* [kk]) tenet, et rigorem aluumque concitat; qui *ſuppurat* [l]), vel poſt *anginam* [m]) *non rite iudicatam* cum debilitate, torpore accedit, et inſidioſe iugulat. Certe dolores praecordiorum, oris ventriculi, hepatis, et partium ad vmbilicum ſitarum [n]), ſanguine fere iudicantur; alias mors ſequitur.

§. 446.

Neque a dolore immunis *ſcrobiculus cordis* eſt, et inter ea ſigna, quae a medico negligi non debent, cum multum ad bene feliciterque praeſagiendum valeat, et adeo violentiae impatiens ſit, vt poſt percuſſionem huius loci mors ſubſecuta fuiſſe paſſim apud auctores [nn]) legatur.

v. HENR. FRID. DELII reſp. WENDRICH Diſſ. de ſcrobiculo cordis ſigno, Erl. 1766.

§. 447.

Frequens igitur ſcrobiculi dolor eſt in gibboſis et rachiticis, et reſpiratum difficilem ac ſenſum moleſtum hoc in loco inducit; ab cartilagine enſiformi depreſſiori, oritur, cum maxime in infantibus, vomitus creber, et tabes, niſi apex iterum educatur; in femellis, quae cataphractis vtuntur, auctor malorum peſſimorum eſt; in febribus malignis, et charlioſis, vbi ſordes tetrae primas vias occupant, anxietas circa ſcrobiculum proprium fere ſignum habetur; In exanthematicis ſaepe inſtantem papularum eru-

kk) Coac. §. 2. p. 548.
l) Coac. l. c. p. 541.
m) Ib. §. 3. p. 556.
n) Ib. § 2. p 549.
nn) *Tiſſot* Anleit. fürs Landv. p. 432.

eruptionem, at ſi fixus eſt, et a minimo preſſu exacerbatur, inflammationem hepatis praenunciat.

v. LVD. SEPTALII L. De morbis ex mucronata cartilagine euenientibus, Mediol. 1632.
RVD. AVG. VOGEL Progr. Obſeruationes binae de aſthmate ſingulari ex cartilaginum coſtarum oſſeſcentia, Gott. 1773.

§. 448.

Praeter haec ille ſcrobiculi dolor et tumor, qui infantes exercet, et καρδιωγμὸς appellatur, lac coagulatum, pulticulam glutinoſam et inhaerentem, inflationem ventriculi, vt plurimum notat; at ſi poſt achores, cruſtam lacteam, ceterasque cutis eruptiones intus reuerſas oritur, non poſſunt non grauiſſima mala aegrum occupare.

v. Ill. DELII Abhandlung von den Blaehungen, als einer oft verborgenen Vrſache ſchwerer Zufaelle.

§. 449.

Dolor oris ventriculi, quem καρδιαλγίαν nominant, ſaepe cum *praecordiorum diſtentione ac dolore capitis* o) eſt, et fere ſordes ibidem haerentes ac irritantes, ſpirationem difficilem, morbum grauem, et mortem repentinam futuram portendit; At ſi *caput dolet*, *oculi obſcurantur*, et *ſtomachus* ob aliquod irritamentum p) vitioſus eſt, vomitum bilioſum, praeſertim vbi rigor anteceſſit, et partes infra praecordia ſitae frigent. Porro ex dolore iſto, quem torſiones inteſtinorum ſequuntur, vermes q) colligimus; ex eo vero, quocum febris r) et aeſtus magnus eſt,

o) Praed. I. 9. p. 476.
p) Progn. §. 25. p. 469.
q) Coac. §. 2. p. 548.
r) *Lieutaud* Prec. T. I. S. 3. p. 325.

eſt, inflammationem, eamque inſanabilem, ſi multo abhinc tempore dolor moleſtus eſt. At *in ſene* s) crebro repetens vt repentinam mortem denunciat, ſic is, qui ſemper et facillime *in morbum arquatum* t) tranſit, calculum felleum.

§. 450.

Debet vero iſte *dolor oris ventriculi* nullo modo terrere, ſi poſt ſanguinis cuiusque, cum maxime menſtrui, fluorem, terrorem, moerorem diuturnum et neruorum conſenſionem oritur; ſi per interualla affligit, vel a pituita viſcida et tenaci, itemque a flatu dimanat. Magis *periculoſus* eſt, vbi frigus, rigor, conuulſio, animi defectio crebra et vera ſyncope ſuperueniunt, vbi aeger in morbum comitialem coniicitur, vel cartilago enſiformis t) introrſum retrahitur. Denique *peſſimus* et haud raro *mortiferus* obſeruatur, ſi febres malignas, peticulas, purpuram, parotides, arthritidem repreſſam, et dyſenteriam imprudenter ſopitam ſequitur; ſi vlceribus foedis temere exſiccatis ſuperuenit; ſi bili acri, corruptae, aeruginoſae, porraceae, lacti coagulato, vermibus, venenis rodentibus ac inflammantibus debentur.

§. 451.

Dolor inteſtinorum, quocum lumbi dolent, genua degrauantur, neque febris ſubeſt, primarum viarum ſordes indicat; at ſi *ad hepar* u) reſidet, et dolorem oris ſtomachi, aluum liquidam et purulentam, rigorem, ſoporem, attenuationem corporis, ſudorem multum atque perpetuum adfert, itemque ſi *tormina*, deiectiones crebrae, inflammatio iecinoris, praecordiorum cet. febri acutae ſuperueniunt, exitium

s) Coac. l. cit.
t) Talem vidit *Klein* Int. Clin. p. 48.
u) *Hipp.* Aph. IV. 65. p. 88. Coac. §. 3. p. 566.

exitium fere ineuitabile eſt. Contra iſte *dolor*, qui et lumbos occupat, et ea loca, quae *ſupra vmbilicum* [v]) collocantur, neque remediis abigitur, in hydropem ſiccum i. e. tympanitidem deſinit; nonnumquam vbi *circum vmbilicum* [w]) ſubſiſtit et palpitat, ſaburram, vermes, flatus, delirium, haud raro inteſtini ieiuni irritationem, v. c. in colica biliofa et ſpaſtica, itemque flexus coli dextri [x]) in morbo longo, at vbi iudicatio inſtat, deiectiones multas, pituitoſas, dolentes portendit. Saepius etiam *dolor in regione renum* [y]) incidit, et *ad veſicam* vsque talis extenditur, qualis a terebra vel palo infixo oritur, atque pituitam glutinoſam, tenaciorem, vitream PRAXAGORAE et veterum, inteſtina craſſa et meatus vrinae obſidentem, itemque calculum denunciat.

§. 452.

Dolor lumborum pertinax, ſi *in febre acuta* [z]) incidit, ſaepe ſanguinis impetum ad arterias renum declarat; at ſi verſus ſeptum transuerſum [a]) extenditur, et cum peſſimis ſignis eſt, periculum; alias ſuppurationem. Communis febrium putridarum, malignarum, petechialium [b]), itemque ſcorbuticorum et hypochondriacorum nota eſt, nec raro poſt abortum [c]) exacerbatur, et ſicubi cum capitis, tenuioris inteſtini, praecordiorumque dolore magno et diuturno, febre, ciborum faſtidio, et vomitu

v) Aph. III. 11. p. 83. Coac §. 2. p. 550.
w) Coac. §. 2. p. 549.
x) *Ludwig* Progr. Monit. Semiot. in diiudic. inf. ventris dolore, p. 9. ſeq. Lipſ. 1759.
y) *Gal.* Loc. Affect. II. 5. p. 34. IV.
z) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 4. p. 83.
a) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 530.
b) *Huxham* de febrib. c. 8. p. 95. II. Opp.
c) *Hipp.* Nat. Mul. §. 2. p. 359. II.

d) iungitur, conuulſiones et citam mortem inducit. Interdum *tertianam* *e*) mentitur, et ſanguine grumoſo per aluum effluente tollitur, certe alleuatur: Interdum diu ſubſiſtit, et febrem, aeſtum ſudoremque multum *circa caput ac pectus* *f*) concitat, vbi ſanguinis copioſum profluuium e naribus, vtero, renibus et veſica, ſaluti eſt. Porro *dolor lumborum, ventriculi et capitis* *g*), cum exſcreatione multa, delirium et conuulſionem portendit; *cum laterum dolore* iunctus, et citra euidentem cauſſam reuertens, magnitudinem mali futurumque morbum regium; *in caput et collum recurſans* *h*), conuulſionem, delirium, leuem neruorum reſolutionem; et ſi *manus ſimul torpent*, et *os ventriculi dolet*, humorum ſeroſorum copiam, et largam ſanguinis expulſionem, interdum aluum citam et cum mentis perturbatione copulatam. Sin vero *lumborum dolor ad os ventriculi* aſcendit, vnaque febris, horror, vomitus tenuis, aquoſus, niger, delirium, vocis iactura inſequuntur, mors ante portas eſt. Praeter haec ſi *dolor leuis profundos lumbos* *i*) occupat, ſcire licet, calculum renum latere. At ſi cum *horrore vago* et *febre* inordinata eſt, et poſt motum corporis circa renes ſenſus grauans oritur, quaſi a pondere appenſo, abſceſſum praedicito.

§. 453.

Saepe dum nulla alia cauſſa ſubeſt, *feminis* incidit; qui vt fere ſanguinis profluuium, in primis ex vtero,

d) Praed. I. 11. p. 477. Coac. §. 3. p. 551. I.
e) Coac. l. c. p. 550.
f) Ib. Progn. §. 19. p. 464. *Lieutaud* Precis T. I. S. 1. p. 90. *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 27. p. 7.
g) Coac. §. 3. p. 552.
h) Coac. §. 3. p. 550. ſequ.
i) *Gal.* Loc. Affect. VI. 3. p. 143.

vtero [k]), denunciat, ita is, qui in *loco renibus altiore* [l]) inſidet, et nauſeam multam adfert, dolorem colicum. Haud raro aegri eum ſenſum *in dorſo ac lumbis* conqueruntur, qui *a formicis* [m]) reptantibus enaſcitur, nec non *teſticulos retractos;* Is fere tabis dorſalis index eſt. Peſſimus omnium cenſetur, cui ſopor comitatur.

§. 454.

Dolor veſicae cum algore dorſi vrinae difficultatem fere antecedit aut ſequitur. Hinc *dolor* eius *ingens* et *cum duritie* quadam afficiens, ſemper malus eſt; *malus* etiam, qui a pituita acri vel deficiente, inflammatione, vlcere vel ſiniſtra materiae morboſae migratione [n]) fit; at *peſſimus*, et *exitioſus*, praeſertim pueris, ſi febri continuae, malignae, exanthematicae [o]) ſuperuenit, niſi vrina purulenta, et in qua alba et laeua ſubſidunt, periculum minuit. *Veſica* et *caput dolens* ob repente ſuppreſſam vrinam, conuulſionem minatur, interdum et calculum [p]), interdum ſolos meatus vrinae ab inteſtinorum mole compreſſos deſignat. Sic *dolor*, qui modo *in renum et veſicae regione*, modo *circa ſeptum tranſuerſum et dextra praecordia* [q]), cum horrore inordinato, rigore pauco et febricula incidit, pus ex vrinae viis excretum iri praeſignificat.

§. 455.

k) *Baglin.* Prax. I. p. 94.
l) *Gal.* Loc. Affect. VI. 2. p. 141.
m) *Zimmerm.* Erfahr. T. II. B. 4. c. 10. p. 396.
n) *Gorter* Prax. T. II. L. 4. Tr. 4. 402. p. 125.
o) *Hipp.* Progn. §. 19. p. 464. Coac. §. 3. p. 568. *Brendel* Penſ. III. in Coac. n. 9. p. 180. T. I.
p) Coac. §. 5. p. 583.
q) *Gal.* Loc. Affect. VI. 4. p. 150.

§. 455.

Quare haud raro *dolores a calculo* horrendi ſunt, *fatumque accelerant* r). Inter haec ſigna dolor interdiu et noctu excrucians, nec remittens, nec remediis concedens eminet: Cui ſi acceſſerit perfecta vrinae ſuppreſſio, extremorum refrigeratio, ſudor frigidus, crebra animae defectio, tendinum adſultus, et conuulſio; febris poſt vomitum et dolorem orta, anxietas ingens et ſitis intolerabilis, ſingultus, delirium rel. pernicies certa et in propinquo eſt.

§. 456.

Dolores ad partum ſpurii s) et qui poſt exoriuntur, vt ſaepenumero inteſtina conuelli ac laedi notant, vtero ipſo vel immuni, vel per conſenſum affecto; Sic ii, qui *penem arrigendum* t) quaſi conſtringunt et noctu vehementer affligunt, virulentum ſeminis profluuium denunciant. Praeterea ex *colis dolore inter meiendum aſſiduo et mordaci* u), vlcus pudendorum colligitur, id quod et ipſum pus effluens ſatis ſuperque docet; ex *inguinum dolore ac tumore* v), morbus diuturnus, denique ab *dolore podicis* w), ſi qui morbis longis et malis ſuperuenit, periculum, ſaepenumero pernicies.

§. 457.

Reſtat *dolor*, qui *extrema corporis* occupat. Is haud raro *ſuris atque cruribus* x) tam pertinaciter inſidet, vt et medicamentorum vim eludat, et hominem valde excruciet: isque latentem hepatis abſ-

ceſſum

r) *Klein* Int. Clin. p. 40.
s) *Ludwig* Progr. cit. p. 14.
t) Sic *Sydenh.* Epiſt. Reſp. II. p. 206. T. I.
u) *Gal.* l. cit. c. 6. p. 159.
v) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 576.
w) Ibid.
x) *Holler* Comm. II. in III. Coac. p. 348.

ceſſum notare dicitur. At qui *articularios* [y]) offendit, eo breuior eſſe ſolet, quo vehementior eſt.

§. 458.

Quibus praemiſſis, facile intelligitur, magnam eſſe dolorum vim ad grauiſſima corporis mala inducenda, augenda, acceleranda, ideoque circumſpicere debere medicum, ne quid aeger exinde detrimenti capiat, cum maxime ſi dolores aut ſubito ceſſant, ceteris ſignis ſubſiſtentibus, id quod gangraenam et mortem denunciat, v. c. in inflammatione vteri poſt partum, ileo morbo [z]) cet. aut nulla egeſtio decretoria anteceſſit, vnde morbi reuerſio [a]) exſpectanda eſt; aut tandem aegri, quos grauis morbus tenet, *dolorem prorſus non ſentiunt.* Hi enim, bene monente CELSO [b]), *vita non diu fruentur.*

§. 459.

Contrarius igitur dolori *ſtupor* eſt, qui ſenſum in aliqua corporis parte aut imminutum, aut prorſus abolitum deſignat. Qui ſi *ſanguinis abundantes* [c]) exercet, ſic, vt manus et digiti quaſi mole increſcere, hebeſcere, atque in pugnum haud facile colligi poſſe videantur, ſcire licet, vaſa humorum multitudine compleri, commune ſentiendi inſtrumentum obrui, et niſi breui liberetur, apoplexiam, neruorum reſolutionem, epilepſiam eſſe ſubſecuturam. Hinc in apoplecticis frigoris ſenſus, et quaſi ſtupentis membri moles aucta fuiſſet, peſſimi ominis eſt. Hinc in iis, qui ex deſtillatione, grauedine, hydrocephalo, dolore vel contuſione capitis, febre, phreni-

y) *Sydenh.* Tr. de podagr. p. 306. I.

z) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 329.

a) *Hipp.* Epid. I. S. 3. Aeg. 5. er 6. p. 676.

b) De Medicin. II. 8. p. 73.

c) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 569. *Swier.* Comm. in Aph. *Boerh.* 1020. p. 292. III.

phrenitide, ſopore laborant, ſiue *ſtupor vniuerſum corpus teneat*, *ſiue* aliquod *membrum* d)*,* ſemper metuere debemus grauem cerebri affectionem. Neque valitudo tuta eſt, ſi cum *febre intermittente* e) ſtupor iungitur. Saepe etiam *ſtupor et torpor* f) aphthas futuras denunciant.

Schol. Iſtum ſtuporem in homine ſanguinis redundante atque aſthmate pituitoſo laborante ſaepe vidimus, ſic, vt primum prima digitorum phalanx obtorpeſceret, deinde palleſceret et frigeret, in mortuae manus ſimilitudinem, tandem ſenſim pedetentimque citra vllam laeſionem reſiduam iterum recaleſceret.

§. 460.

Neque rarum morborum ſignum *ſenſus vacuitas* ſ. *ἀνωδυνία* eſt. Quae vbi febri inflammatoriae, dolori capitis, oris ſtomachi, colico, et morbo articulario g) praeter rationem ſuperuenit, ſcire licet, aegrum in ſummo vitae diſcrimine verſari, quippe iam inſtar cadaueris cubat.

SUBSECTIO V.

DE VERTIGINE, VT SIGNO.

§. 461.

Homines *vertigine* corripi dicimus, vbi res viſibiles in orbem agi rotarique videntur, pedes vacillant, et corpus concidit, niſi alicubi firmetur atque ſuſtineatur. Accedunt varius ante oculos color, cali-

d) *Gorter* Prax. L. III. Tr. 1. 140. p. 121.
e) *Tulp.* Monit. Med. n. 66. p. 301.
f) *Ketelaer* de Aphth. p. 28.
g) *Gorter* l. cit.

caligatio, viſus duplex, ſuſurrus et tinnitus aurium, nonnunquam ructus et ſopor cet. et prouti poſt cauſſas varias varia oritur, ſic etiam varia eius ſigna eſſe debent, ideoque quatenus aut morbos antecedunt, aut inſequuntur, iam paucis percenſere placet.

Schol. Vertigo et ſingulari retinae tunicae atque nerui optici vitio debetur, et ab iis cauſſis dimanat, qui neruos diſſitos ventriculi et inferiorum partium ſtringunt, ſanguinemque ad caput compellunt, vnde non poteſt non commune ſentiendi inſtrumentum mire affici et laedi.

§. 462.

Eſt ergo *vertigo*, cuius cauſſa *in cerebro* reſidet, periculoſus atque peſſimus. Minus vero terrere debet, quae ab ſanguinis et humorum copia poſt ſuppreſſas ſuetas egeſtiones, abdomine compreſſo, capite decliui, ore ventriculi et praecordiis [h]), primarum viarum cruditate, flatibus, dolore colico vel aluo adſtricta proficiſcitur; vomitus enim ſponte ſua ortus malum illud ſaepe tollit, id quod eo certius eſt, vbi vertigini fluor ſanguinis e naribus vel ani venis, aluus cita, ſaliua multa, aures manantes, arthritis, nephritis [i]) ſuperueniunt. Qua de cauſſa in hypochondriacis et hyſtericis non adeo pertimeſcenda eſt, niſi diu continuat. Etenim tunc temporis poterit in ſyncopen, apoplexiam neruorumque reſolutionem coniicere, in iuuenibus [k]) conuulſiones et epilepſiam, in ſenibus lethargum et id genus vitia inducere. *Variolis* [l]) *ineuntibus* vbi accedit, eas confluentes futuras praenunciat.

CAPUT

h) *Gal.* Loc. Affect. III. 8. p 78. IV.
i) *Vogel* de Cogn. Corp. Hum. Affect. p. 517.
k) *Lieutaud* Precis de la Med. Prat. T. I. S. 1. p. 194.
l) *Sydenh.* Epiſt. ad *Cole*, p. 243. I.

CAPUT III.

DE ACTIONIBUS NATURALIBUS, VT SIGNIS.

§. 463.

Mira eſt eorum viſcerum colligatio atque conſenſio, quae digeſtionis negotium expediunt, ſuccum nutritioni aptum vlterius prouehunt, et ad cor, tanquam promum condum, deportant, reliquiis inutilibus ac ſordidis foras eiectis. Mirae etiam ſunt fereque innumerabiles *ſecretiones et egeſtiones*, quae demum ex iſto communi fonte deriuantur, vt ex phyſiologia ſatis notum eſt. Iam vero cum horum inſtrumentorum functiones poſſint multifarie a via naturali recedere, perſpicuum eſt, fieri illud non poſſe ſine quibusdam notis, quas medicus adhibet ad morborum euenta bona et mala praeſagienda.

§. 464.

Sunt vero actiones naturales ex ſcholarum doctrina duplicis generis, earumque aliae ad *primas vias* pertinent, aliae ad ſecundas. Quare propoſitum animo eſt, hanc ipſam diuiſionem ſequi.

SECTIO I.

DE ACTIONIBUS PRIMARUM VIARUM LAESIS, VT SIGNIS.

§. 465.

Fas eſt, vt in ſignis explicandis, quibus actiones primarum viarum laeſae cognoſcuntur, naturae vias imitemur, ideoque ab ore exorſi ad aluum vſque deſcendamus. Etenim *ſitis*, *deglutitio et manducatio*, *appetitus et fames*, *ardor ventriculi*, *ructus et flatus*, *nauſea et vomitus*, *digeſtio et ſucci*

nutritii

nutritii praeparatio, *deiectio atque vermes* huc pertinent.

v. PHIL. FRID. GMELIN reſp. OFFTERDINGER Diſſ. de primis viis vt fonte plurimorum morborum, Tubing. 1761.

SVBSECTIO I.

DE SITI, VT SIGNO.

§. 466.

Bonum ſignum in morbis, cummaxime acutis et inflammatoriis, eſt, aegros leuiter *ſitire*, et potionem appetere, quae et modica eſt, et ſatis accommodata. Contra ſi *ſitis* aut *cito reſtinguitur* m), aut hominem fere enecat, ſcire licet, ſubeſſe aut delirium, aut aeſtuoſum ardentemque morbum n), ideoque motus ſolidorum concitatos, aquoſam ſanguinis partem exhauſtam, cruorem denſatum, et paene irremeabilem, vaſorum minimorum anguſtias obſeratas, ſiccitatem linguae, faucium, ſtomachi et ventriculi ingentem, cruditatem, pituitam et acrimoniam ſalſam, alcalinam, bilioſam, putridam, frigus vel calorem ingentem, conuulſionem, anxietatem, debilitatem, peruigilium intolerandum cet. Communis febrium nota ſitis eſt, beneque diuinus HIPPOCRATES o) ſtatuit, morbum eo citius finitum iri, quo citius os humeſcat.

§. 467.

Sitis modum excedens p), nec vllo potus genere ſedanda, cum clangore, ac ſiccitate faucium, lingua

m) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 526.
n) *Swiet.* Comm. §. 636. p. 207. ſequ. et *Macbride* Einleit. P. I. S. 7. p. 89.
o) Vict. Acut. §. 6. p. 272. II.
p) *Avicenn.* L. III. Fen. 13. Tr. 2. c. 19. p. 547. *Proſp.* IV. 16. p. 271.

lingua arida, fiſſa, cruenta, nigra, copulata, febrem magnam, inflammationem, ſiccitatem, morbum grauem et vix ſuperabilem, vires naturae attritas et fractas; haud raro bilis exſuperantiam, indeque oriundum malum corporis habitum et hydropem denunciat. Hinc ſemper mala ſitis eſt: at in *ſcorbuticis* q) nimia bibendi cupiditas quandoque ſaluti fuit, ſi hac via et ratione humorum acrimonia corrigi eluique adhuc poteſt, itemque in iis, quibus ſitis immodica, at non febrilis, moleſta fuit. Praeter haec *ſitis* incredibilis *cum horrore potionis* iuncta, propria fere hydrophobiae nota eſt; interdum et febri malignae, et ſtrangulationi vteri ſuperuenit.

§. 468.

Hinc bona *ſitis acute febrientibus* r) putatur; minus, vbi immoderata eſt; *peſſima*, quae poſt ſigna exitioſa oritur, vel vna cum iis accedit: mors enim certa ſuperuenit. *Bonam* etiam cenſent, ſi ſitis febrilis madori oris et linguae concedit, quippe exinde conuulſionis remiſſio, aequabilis humorum circuitus ob impedimenta cauſſasque morbi imminutas vel prorſus ſublatas colliguntur. At *mala* eſt, vbi copioſum ſerum excretum fuit, v. c. poſt alui deiectiones, diabetem, ſudorem longum et delaſſantem, hydropem, vbi a ſingulari vaſorum conuulſione proficiſcitur: Etenim haud raro febris neruoſae praenuncia eſt.

§. 469.

Sitis ſi *cum febre acuta*, *ſudore multo* s) et *vrina nigra* vrget, indicat vim morbi viribus naturae ſuperiorem; at ſi *vitioſa* eſt et aeger potionem eam

q) *Klein.* l. c. p. 271.
r) Epid. VII. 13. p. 838.
s) Ib. III. S. 1. Aeg. 3. p. 715. ſeq.

eam deſiderat, quae naturae morbi non conſentit, delirium et peſſima quaeuis auguramur.

§. 470.

Sitim deficere, ſemper malum eſt. In longis morbis pertinaciam et diuturnitatem ſignificat, exceptis leucophlegmatia, hydrope, acrimonia acida ſuperante t); at in phrenitide u) conuulſiones et commune ſentiendi inſtrumentum grauiter affectum; itemque in *febre putrida*, *maligna*, *peticulari* v), quacum lingua ſicca et foeda eſt, ſummum vitae diſcrimen, et vt plurimum phrenitide vel comate finitur. Anxietas vero, ſpiratio difficilis, et delirium w), vaſis imperuiis debentur.

§. 471.

Peſſimo cum omine *deficit*, ſi cum ſignis exitialibus x) incidit; ſi ſitis vrgens citra vllam manifeſtam cauſſam depellitur y) ac conquieſcit; ſi aegri, aeſtu ardentiſſimo flagrantes, et lingua praearida, ſqualida nigraque foedi, v. c. in febre ardente, acuta, inflammatoria, variolis, dyſenteria, nec ſitiunt, nec potum deſiderant; ſi excrementa diſcolora, et ſitim vel nullam habent vel enecantem non ſentiunt, neque illam amplius conqueruntur. Nam aut delirium et phrenitis ſenſum omnem ſuſtulit, aut facultas naturalis exſtincta z) eſt, ideoque fere perniciem et mortem minatur. Malum etiam ſignum eſt, vbi *inter*

t) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 300. p. 17.
u) *Swieten* Comm. §. 774. p. 601. II.
v) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 96. II.
w) *Swiet.* l. c. §. 638. p. 211. II.
x) *Galen.* Comm. in I. Epid. II. t. 75.
y) *Hipp.* Praed. I. 7. p. 475 Coac. p. 526.
z) Aph. II. 6. p. 72. et *Gal.* ad h. l.

vomendum a) ſubito aut perpetuo et ſine cauſſa perſpicua deeſt, vel ante iudicium *b*) ceſſat.

SVBSECTIO II.

DE MANDVCATIONE AC DEGLVTITIONE, VT SIGNO.

§. 472.

Manducatio laeſa in morbis conuulſionem muſculorum propriorum vel reſolutionem, a luxatione circa maxillam inferiorem eiusue articulum, dentes vitioſos, congeſtionem, oris et linguae inflammationem, interdum ſaliuam deficientem vel prauam denunciat.

§. 473.

At ſi *deglutitio* morboſa eſt, ſaepe immedicabilis eſt; ſin vero *febribus acutis c*) accedit, ſcire licet, grauiter affectam, laeſam, ſiccatam, internam oris et faucium tunicam eſſe, et graue ibidem vulnus reperiri, congeſtionem fieri, pituitae vel ſanguinis, inflammationem, abſceſſum, gangraenam, ſphacelum, vlcus, ſcirrhum, et tumorem quemuis alium, qui fauces occupat, anginam, impotentiam muſculorum deglutitioni parentium vel adſidentium, conuulſionem et reſolutionem ſtomachi ob acria ſumta, torſiones ventriculi atque inteſtinorum cet.

v. FRID. HOFFMANN Diſſ. de morbis oeſophagi, Hal. 1722. Ill. DE HAEN Diſſ. de deglutitione vel deglutitorum in cauum ventriculi deſcenſu impeditis, Hag. Comit. 1750.

§. 474.

a) Coac. §. 4. p. 579.
b) Epid. III. l. cit.
c) *Vogel* Aph. 429. ſequ. p. 331. ſequ.

§. 474.

Deglutitio raptim peracta[d]) conuulſionem, deliria, phrenitidem, et haud raro grauiſſima mala portendit; *difficilis* in *alui fluore* atque *dyſenteria*, periculum et contagionem; poſt *demigrationem materiae morboſae* in febre acuta et intermittente, exitum fere exitialem, et in *hydrophobia*, mortem.

§. 475.

Vt ergo in morbis *bona* eſt *deglutitio*, quae *ex facili* fit, ſic *difficilis* ſemper terribilis eſſe ſolet, cum maxime ſi aeger ne *potionem* quidem *deglutire* e) valet, et non niſi poſt ſpiritum longum, ructuoſum et conuolutatum, tuſſim, et aliquam quaſi reuocationem. Etenim in his aut debilitas ingens ineſſe debet, aut conuulſio vehemens haſce partes occupare. Sin vero in febribus acutis *collum peruertitur* f) ſic, vt deglutitionem impediat, neque quis faucium tumor ſubeſt, ſuffocatio et mors inſtat. Id quod fere accidit, ſi *a tumore* g) ſtomachus comprimitur et anguſtatur.

§. 476.

Quare ſi deglutitio laeſa a neruorum reſolutione *poſt apoplexiam cerebrique mala* h), vel ab harum partium rigiditate et degenerante i) indole oritur, fere perpetuum et inſanabile vitium eſt. At minus terrere debet, ſi a *conuulſione* eſt, quacum ceſſat viciſſimque reuertitur. Hinc *deglutitio difficilis*

U 3

d) *Gorter* Prax. T. II. L. II. 313. p. 28. ſequ.

e) *Hipp.* Coac. §. 4. p. 588.

f) Aph. IV. 35. p. 85. Coac. §. 2. p. 546.

g) *Swiet.* Comm. Aph. 797. p. 648. ſeq. II. et cum maxime III. *Triller* Diſſ. cit.

h) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 2. p. 130.

i) *Gort.* l. c. p. 29.

ficilis et dolens ſcorbuticorum, hypochondriacorum et hyſtericarum, periculum non habet, etſi ſimul dolorem dorſi, nauſeam, ſtomachi et eo pertinentium partium torſionem, ventris murmura, horrorem inordinatum et frigus extremarum partium, tremorem, vrinam pellucidam et aquoſam, defectionem animae cet. conquerantur. Nam cauſſa malorum ſublata effectus tollitur.

§. 477.

Inter peſſima ſigna eniteſcit *deglutitio ſonora* ſ. *ſtrepitus in pectore inter potandum et comedendum* perceptus. Qui ſi a ventriculi et inteſtinorum vacuitate, diuturno ieiunio, itemque a minus appoſito corporis aegri ſitu proficiſcitur, nec qua conuulſionis, inflammationis vel reſolutionis ſuſpicio ſubeſt, aut ſi aegris imbecillis accedit, qui capite reclinato bibere et multum aërem vna haurire coguntur; aut ſi *fauces praeſiccae* [k]) potum tranſiturum veluti retardant, grauis quidem morbus eſt, at non periculoſus, niſi alia ſigna mala ſucceſſerint. In his flatus, et ſordes primarum viarum, haud raro deiectio, praeſagienda ſunt.

v. KLOEKHOF Diſſ. de ſtrepitu in pectore inter potandum, cet. p. 161. ſeq. Opuſc. ed. SCHLEGEL.

§. 478.

Peior et *mortis praenuncius* eſt, ſi ſtuporem ac reſolutionem neruorum ſequitur: Tunc fere adſunt pulſus et reſpiratio bona, ſenſuum hebetudo, coma, ingens membrorum, in primis capitis, impotentia. Id quod eo magis imminet, ſi ſtomachus et ſuperna deglutitionis inſtrumenta reſoluta ſunt, quippe in hiſce aegris functiones vitae ſubdebiles, crebra animae

k) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 526.

mae deliquia, motus faucium flaccarum nullus vel perexiguus, modica potio, et ſumma cum anxietate haurienda, reliquiarum reiectus *l*), horror, tremor, coma, obliuio, delirium mite, febricula perpetua, ſudor paruus, viſcidus, frigidus et circa aliquas partes manans cet. exitium certum praeſignificant.

§. 479.

Peſſimus vero omnium eſt, qui *poſt conuulſiones horrendas* *m*) oritur, et morbis acutis clauſulam imponit. Nam ex eo colligitur, commune ſentiendi inſtrumentum irritatum et grauiter affectum eſſe, vltimos naturae conatus, eosque irritos futuros, denique funeſtum mali aſpectu foedi et triſtiſſimi exitum ſuperuenturum eſſe.

Schol. De alio ſtrepitu pectoris, qui pulmones obſidet, vide, quae alibi de reſpiratione diſputauimus.

SVBSECTIO III.

DE APPETITV ET FAME, VT SIGNIS.

§. 480.

Appetitus et famis eadem, quae ſitis, eſt ratio. Poſſunt enim aut imminui, aut nimis increſcere, aut prorſus deficere. Quod et praeter naturam eſt, et ſemper metuendum, etſi, qui aegri mores fuerint, dum valetudine proſpera vteretur, negligi nullo modo debet.

v. BVCHNER reſp. LERCHE, Diſſ. de aegrotantium inappetentia ſalutari et morboſa, Hal. 1749.

l) Epid. VII. 12. p. 837. ſequ.
m) Ib. 27. p. 852.

§. 481.

Appetitio ciborum, quae in morbis *conſiſtit*, et moderata eſt, certe non multum a naturali abhorret, ſignum bonum eſt, ſiquidem ex eo magna ſalutis ſpes n) affulget, et ventriculi facultatem conſtantem, itemque ſuccos, quorum miniſterio alimenta concoquuntur, integros colligimus: Contra ſi fit, pituitam, cruditatem, alimenta mala et corrupta, tunicam muſculoſam ventriculi laxam, infirmam, calloſam o), liquorem gaſtricum inertem vel deficientem cet. auguramur. Bonum etiam ſignum eſt, aegrum poſt cibum ac potionem bene ſe habere, neque a cibis valentis materiae p) laedi: Etenim morbum tolerabilem denunciat.

§. 482.

Appetentia ſi *deficit* homini ceteroqui *ſano*, nec perſpicua huius cauſſa eſt, cruditates, ſordes, flatus, ventriculo moleſti eſſe videntur, aut liquor gaſtricus parcius, ac fas eſt, ſecerni, aut grauis morbus q) imminere, quem ſenſus ingratus ſ. preſſura quaedam ventriculi et ſcrobiculi cordis praenunciant. At minus malum eſt, ſi ab acrimonia quadam ad os ſtomachi haerente proficiſcitur, ideoque in iis, qui morbo longo decumbunt, et femellis debilibus, terrere non debet.

§. 483.

Appetitus etiam *in febribus reprimitur*, ſalutari naturae conſilio, praeſertim in principio, ideoque aeger inuitus cibandus non eſt. Qui ſi *conualeſcentibus* accedit, cum virium refectione, vel poſt longum

n) *Bagliu.* Prax. I. p. 74.
o) *Pohl* Progr. de calloſo ventric. ex potus ſpirituoſi abuſu, Lipſ. 1771.
p) *Hipp.* Coac. p. 531.
q) *Bagliu.* l. cit.

gum faſtidium cibi validi, ſecuritatem pollicetur, et conuulſionem nullam ſubeſſe, vaſa ventriculi peruia, nutritionem iuſtam futuram ſignificat. At *malum* eſt, *poſt morbum* hominem cibos vix appetere, vel ab epulis non proficere, quippe ex eo reliquiae crudae materiae, nutritio laeſa, morbi reuerſio et febris lenta colliguntur. *Periculoſa appetentiae defectio* in ebrioſis eſt, vel ſi leucophlegmatia iam incidit, ſi nimias egeſtiones ſequitur, et cum maxime febrem quartanam. In hac enim corrupti viſceris index male ominoſus habetur.

§. 484.

Appetitus nimius r) ſemper malus eſt, niſi breui conquieſcat, et primarum viarum acrimoniam ſingularem, eamque irritantem, cum primis acidam, liquores, qui concoctioni et digeſtioni praeſunt, peracres, immenſam ventriculi vim, vermes latentes, phantaſiam laeſam, v. c. in grauidis, interdum ſingularem neruorum ventriculi affectionem, vt in hyſtericis, interdum et ipſam mortem s), denunciat. Multi enim aegrorum, antequam diem ſuum obeunt, cibum copioſum auide deſiderant et deuorant; ideoque et fame extrema confecti et phthiſici t), vbi hoc ſignum accidit, deſperati habendi ſunt.

§. 485.

Sanos et bene valentes nonnunquam praeter conſuetudinem et cauſſam euidentem appetitus exercet; id quod morbum imminentem denunciat; in febribus vero acutis, vbi aegri male ſe habent, peſſimum exitum. Contra dum *viget morbus* vel paullo poſt

 finitur,

r) *Hipp.* II. 4. 17. 18. p. 72. ſequ.
s) *Proſp.* IV. 14. p. 267. ſeq. *Bagliu.* Prax. I. p. 74.
t) *Benedict.* Theatr. Tabid. p. 11.

finitur, in eo *cibi potusque* [u]) appetitu facile ſecurus aeger erit, quoniam praecipuum ſignum bonae iudicationis eſſe videtur.

§. 486.

Haud raro *appetitus rerum inutilium* et *a noſtra natura abhorrentium* naſcitur. Is aliquem naturae ſtimulum, ſingularem neruorum affectionem, praeſertim ante conuulſionis exacerbationem, v. c. in hyſtericis, itemque phantaſiam laeſam oſtendit. Hinc *pica et malacia* in longis morbis mala et haud raro funeſta eſt, eamque in puellis pubertas atque purgatio menſtrua vtplurimum reſoluunt. In *grauidis* [v]), etſi ad abſurda feratur, exſatianda fere eſt, ad auertendam phantaſiae vim, abortionem, tremorem, conuulſionem, ſyncopen. Contra grauis morbi periculum eſt, ſi in *febre acuta* aeger debilitatus res inſuetas vel alio tempore faſtiditas anxie conquirit; neceſſe enim eſt, aut delirium ex debilitate oriatur, aut ob neruos peſſime affectos mors inſequatur.

v. GE. RVD. BOEHMERI Diſſ. de Polyphago et Allotriophago Vitebergenſi, Viteb. 1757. SAM. GOTTL. VOGEL Comment. de Polyphago et Lithophago Ilfeldae nuper mortuo ac diſſecto, Gott. 1771.

§. 487.

Summus appetitus gradus *fames* eſt, quae, auctore diuino HIPPOCRATE [w]), magnam vim habet ad hominis naturam ſeruandam, infirmandam, occidendam. *Senes* [x]) tamen, et qui media aetate ſunt, eam facilius ferunt, quam adoleſcentes et pueri.

Si

u) *Armſtrong* Abhandl. der Arzneiw. n. X. p. 39.
v) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 1. p. 248.
w) L. Vet. Medic. §. 15. p. 21. I.
x) *Hipp.* Aph. I. 13. p. 70.

Si diu toleratur, peſſima ſigna et mortem ipſam inducit. *Periculoſa* et ſenſim letalis eſt, quae ab calloſa vel oſſea oris ſtomachi, ventriculi, pylori, anguſtia et tumore coarctante, itemque poſt abruptum ſtomachum oritur. Praeter haec *fames canina*, quae digeſtionem laeſam oſtendit, terrere non debet, ſi vermibus debetur; at ſi cum vomitu crebro et deiectione multa iungitur, metus eſt, ne in laeuitatem inteſtinorum, malum corporis habitum, hydropem, tabem quamcunque tranſeat.

v. Ill. TRILLERI Diſſ. de fame letali ex calloſa oris ventriculi anguſtia, p. 1. Opuſc. T. I. GE. AUG. LANGGVTH Progr. de tabe ſicca letali ex calloſa pylori anguſtia, Viteb. 1750. IO. DAN. METZGER Aduerſaria Medica, n. 5. Obſ. de viro fame conſumto ob oſſeam oeſophagi anguſtiam, Maſtr. 1774. HERM. BOERHAAVE Rariorum Morborum Hiſtoriae, Francof. et Lipſ. 1771.

§. 488.

Faſtidium os ventriculi y) et neruos male affectos docet; nonnumquam a falſa phantaſia oritur. Praeſtat ergo, bene monente HIPPOCRATE z), aegros, ineunte morbo, cibos auerſari, eoque ſuperato, iterum appetere, ac ſi contra fit. Hinc *in febre acuta* malum, et in ſocietate prauorum ſignorum, v. c. lingua ſicca, vocis iactura, ſudore multo, aluo citata, ardore ventriculi, comate a) cet. ad finem vſque ſubſiſtens, perniciosum eſt, praeſertim vbi vires aegri iam exhauſtae ſunt. At ſi *ſine febre* b) incidit, cum oris ventriculi roſione, vertigine tenebricoſa,

y) *Gal.* Loc. Affect. I. 5. p. 22. IV.
z) Aph. II. 32. p. 74.
a) Coac. §. 1. p. 527. Epid. III. Sect. III. Aeg. 1. 2. p. 729.
b) Aph. IV. 17. p. 83. Coac. §. 1. p. 533.

coſa, oris amaritudine, ſaliuae fluore multo, ex eo colligitur primarum viarum ſaburra, neceſſitas vomendi, et ipſe vomitus.

§. 489.

Malum etiam *faſtidium* eſt, quod *morbis longis c)* cum deiectione bilioſa et dyſenteria, itemque febri intermittenti, acutae, ardenti, malignae, putridae, hecticae, eryſipelae, purulentis, phthiſi, podagrae *d)* ſuperuenit. Exitioſum vero, ſi *infantes e)* tenet, iique nec cibos deuorant, ſed ore huc illuc reuoluunt; in his mors tertio, quarto, quintoue die venit. In *melancholicis* phantaſiam laeſam, grauitatem mali, mortemque futuram illud ſignificat.

SVBSECTIO IIII.

DE ARDORE VENTRICVLI, RVCTV ET FLATV, VT SIGNIS.

§. 490.

Ventriculum haud raro *ardor* aliquis occupat, acrimoniae ibidem haerentis index. Qui quo frequentius et vehementius vrget, eo periculoſior eſt, cum maxime in neruorum morbis et hominibus valde irritabilibus. *Dolor* vero, qui exinde oritur, (καρδιαλγίαν nominant,) hanc materiam vitioſam immobilem et fixam, vehementerque concitantem deſignat.

v. BÜCHNER reſp. ACKERMANN Diſſ. de ſoda, vt morbo ſaepe graui, Hal. 1762.

§. 491.

Ex quo ardore, ſi paene intolerandus eſt, et, febre acuta ſe remittente, cum graui praecordiorum dolore,

c) Aph. VI. 3. p. 98. et Aph. VII. 6. p. 103.
d) *Gort.* Prax. T. II. L. 4. Tit. 4. p. 82.
e) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 3. p. 5.

dolore, anxietate, vomitu et ſingultu continuo et dolente, itemque pulſu intermittente accedit, inflammatio ventriculi *f*); contra ab *ardore* ac *dolore incredibili*, quoties homo cibatur, ſcirrhus colligitur. Hinc ardor et dolor ventriculi, capitis dolor, qui hemicrania dicitur, arthritis, nephritis, mirifice ſeſe excipiunt, et commune eorum, quorum ventriculus infirmus eſt, aut quibus tranſpiratio facile repellitur, itemque hypochondriacorum et hyſtericarum vitium eſt.

§. 492.

Ructus in morbis creber ſignum copioſi aëris elaſtici, malae neruorum affectionis, conuulſionis, ventriculi laxi et debilitati, acrimoniae acidae, biliosae, rancidae eſt, quam ructus ipſe vt plurimum declarat, ſiue cibus intus coacuit, ſiue computruit. Hinc et facile cauſſa cognoſcitur, et praedictio. Interdum *ructus et flatus g*), quocum ventris murmura et inflatio iunguntur, deiectiones praenunciat; interdum vbi in *diuturna inteſtinorum laeuitate h*) coaceſcunt, boni putantur, et morbum reſoluunt, quippe tunc robur eorum redditum fuiſſe ad cibos retinendos et ſubigendos videtur. Alias acidi ructus permoleſti ſunt, et ſaeuiſſimum oris ventriculi dolorem inducunt.

§. 493.

Flatus ſine ſtrepitu i) in morbis emitti, bonum eſt; alias inteſtinorum vim et conuulſionem, dolorem vehementem et delirium denunciant. Praeſtat tamen cum crepitu prodire, quam retro reuolui *k*), quod vitium

f) *Vogel* Praelect. Aph. 203. p. 157. ſequ.
g) *Hipp*. Coac. §. 1. p. 533.
h) Aph. VI. 1. p. 98. Epid. II. Sect. 2. p. 693. I.
i) *Gal*. In Progn. Comm. II. 24. p. 768. IV.
k) *Hipp*. Progn. §. 10. p. 456. Coac. §. 3. p. 571.

vitium hypochondriacis et hyſtericis familiare eſt, et a conſtrictore ani nimis forti, debilitate multa cet. dimanat. Sin vero *cum ſonitu* foras exeunt, ſcire licet, aërem multum intus contineri, inteſtina valde anguſtata eſſe, et modo ſtringi, modo iterum laxari, ideoque vim motus periſtalticam integram ſupereſſe.

§. 494.

Vt vero *flatus hypochondriacorum et hyſtericarum* per ſe terribiles non ſunt, quoniam irritabilitatem exquiſitiorem et digeſtionem malam ſequuntur; ita *copioſi flatus emiſſi in febre acuta* [l]) iudicationem fere deſperandam docent. Nam crebro pedere, ſignum debilitatis eſt: at *foetere*, corruptionis. Qua de re nec doloris vrentis ſenſus, quem flatus cient, neque flatus ipſi, qui ab vacuis inteſtinis fiunt, adeo pertimeſci debent, ſiquidem haec breui cum cauſſa tolluntur. Sed inter peſſima febris acutae indicia eſt, ventrem inflari, *neque flatus erumpere* [m]). Spes aliqua ſupereſt, ſi *murmura* ſuperueniunt et flatus cum deiectione expelluntur. Illico enim dolores praecordiorum ceſſant, niſi qua inflammatio ſubeſt.

SVBSECTIO V.

DE NAVSEA ET VOMITV, VT SIGNO.

§. 495.

Nauſea, communis febrium nota, ſenſum aliquem neruis infenſum, et exiguam conuulſionem, irritabilitatem nimiam, humores acres, putres, bilioſos, rancidos, vellicantes, bilem vel in veſica fellea corruptam, vel in inteſtini duodeni flexu congeſtam, vomitum futurum denunciat, cerniturque illa in ieiunio longo, halitu putrido, ore, lingua faucibusque ſordi-

l) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 30. p. 7.
m) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 525.

ſordidis. Praeter haec flatus nauſeam indeque oriundas neruorum moleſtias, v. c. in hypochondriacis et hyſtericis, inducunt, itemque pituita lenta, viſcida, fatua, inflammatio ventriculi ceterorumque viſcerum, phantaſia mala ſ. rerum deteſtandarum memoria, denique inordinatus ſucci neruoſi motus, v. c. in delirio, vertigine, tremore rel. huius ſenſus ingratiſſimi argui debent.

§. 496.

Eſt ergo *nauſea*, quae, *febre acuta ineunte* n), a bile corrupta oritur, ſemper *bona*; et medicum ad euacuandum inuitat. Quae niſi excutitur vel corrigitur, verendum eſt, ne ad finem deiectiones bilioſae, putridiſſimae et periculoſae ſuperueniant. Hinc bonum ſignum eſt, eam poſt vomitorium vel pharmacum conquieſcere. At *mala* nauſea febrilis eſt, vbi in febre diu continuat, quia inappetentiam, inediam, cibi, potionis et medicamentorum faſtidium inducit, et ſi vomitus accedit, peſſima quaeuis augurari licet: Etenim ſiccitas oris incredibilis, acrimonia alcalina et putrida, debilitasque ſumma protinus ſequuntur. Qua de cauſſa nauſea malignae febris o) index fertur.

§. 497.

Occupat praeterea illud vitium *grauidas*, quod a ſemine viroſo et ſorpto proficiſcitur, medicamentorum vim eludit, et poſt tertium quartumue menſem fere imminuitur penitusque ceſſat. Si cum ventriculi morſu et crebra exſpuitione p) nauſea iungitur, futurum vomitum, interdum vermes denunciat: At ſi *poſt ſpirituum potationem* quouis mane recrudeſcit, ventriculi debilitatem, frigus, pituitam glutinoſam et

n) *Swieten* Comm. ad Aph. 85. p. 122. I.
o) *Klein* Int. Clin. p. 82.
p) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 533.

et fatuam. *Mala* etiam nauſea eſt, quae ob hepar corruptum continuat, et tandem exitium adfert; quae corpus extenuat, et cum febre vehementi atque agitatione multa incidit.

§. 498.

Vomitus ſemper praeter naturam eſt, et modo *malus* ſ. *ſymptomaticus*, i. e. qui nec medicamentis eliditur, nec a morbo liberat, et malignitatem materiae, morbum diuturnum ac grauem, ipſamque mortem praeſignificat: modo *bonus et ſalutaris* eſt, ſi bonis cum ſignis, malorum leuamine, et tempore iuſto accedit. Sed de *vomitu decretorio* alio loco pluribus.

§. 499.

Indicat vero *vomitus ſanorum* et bene valentium, ſi qui ſponte ſua incidit, nec qua cauſſa perſpicua alia ſubeſt, ventriculum male ſe habere, et haud raro cauſſam ipſam tollit: at ſi ſaepe *reuertitur* q), vitium aliquod fixum et immedicabile ventriculi, vel adſidentium partium, et ſubſecuturam laxitatem ac infirmitatem peſſimam. Interdum *vomitus longus et quotidianus*, quocum lentus calor et tabes iungitur, vlcus ventriculi deſignat.

§. 500.

Eſt ergo *vomitus in morbis* magni momenti, nec vnquam temere negligendus. *Bonus* eſt, ſi, ineunte malo, a multitudine humorum vel cruditate oritur, et, vacuefacto ventriculo, ceſſat; ſi mali fomitem exſtinguit; ſi reiectus, pituita et bile miſtus qq), ea eſt copia, quam res et conditio aegri poſtulant; ſi nec nimis frequens, craſſus vel meracus eſt, nec iuſto diutius continuat, et cum malorum mitigatione remittit;

q) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 316.

qq) *Hipp.* Progn. §. 12. p. 458. Coac. §. 4. p. 578.

tit; Vnde in febribus intermittentibus et longis alui profluuiis ſalutaris eſt, itemque in *putridarum* [r]) principio citra omnem inflammationis metum, quoniam hac via morbi materia, cum ſaliua ad ventriculum delata, eundemque acriter irritans, egeritur, et haud raro prorſus tollitur.

§. 501.

Praeter haec *vomitus bonus* eſt, ſi nauſeas moderatas ſequitur, vel ſponte ſua poſt medicamenta mortifera vel longum alui profluuium [s]) incidit, illudque ſiſtit; (ſub acuturam enim vigore [t]) aegros explicat atque iudicat;) ſi adſuetos et debiles, itemque hyſtericas, ſub nouam acceſſionem occupat, vel certo ſtatoque tempore [u]) reuertitur; ſi bilioſus a rigore eſt; ſi tertiana febris ſudore ac vomitu finitur; ſi in malo hypochondriaco inueterato nigra reiiciuntur, et vomitus iſte [v]) nec modum excedit, nec diu conſiſtit. Neque immedicabilis per ſe is eſt, qui cartilaginem enſiformem depreſſiorem vel nimis laxam ſequitur.

§. 502.

Contra grauis et *periculoſi* morbi teſtimonium eſt, vbi vomitus hypochondriacos diu tenet, et ſolidorum debilitatem, languorem, maciem, tabem, animi abiectionem et deliquium [w]) inducit; vbi extra iuſtum morborum acutorum tempus peſſimis

r) *Hilarys* Obſ. on the changes of the air, p. 159. ſeq. ed. ſec.

s) *Hipp.* Aph. VI. 15. p. 99. I. De Morb. I. 6. p. 8. II.

t) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. l. n. 17. p. 6.

u) *Warburg* Diſſ. de cephalaea period. a vomitu period. Hal. 1770.

v) *Kloekhof* Diſſ. de morb. animi, p. 36. Opuſc.

w) Ibid.

mis cum ſignis accedit, et moleſtus aegro eſt, neque in decurſu morbi miteſcit, ſed potius increſcit, dolores ventriculi, oculorum ruborem, pulſum durum et frequentem, ſingultum, iactationem corporis aſſiduam et defatigationem infert, vbi inflammatio ventriculi et vitae x) diſcrimen ſubeſt; vbi poſt violentiam et impetum externum, irritamentum, aluum pertinacius adſtrictam, inflammationem cerebri, colli, pectoris vel abdominis, cutis eruptiones intus dilapſas, arthritidem retropulſam et morbos conuellentes oritur, diu ſubſiſtit, nec aegrum releuat; ſi bilis ſincera et immodica, quae vires reſoluit, aut foetidi, exuſti, nigri, ſanioſi et purulenti humores y) expelluntur; ſi peſſimas vigilias z) inducit; ſi iuſto parcior eſt; ſi vulneri et fracturae capitis, delirio, narium ſtillis, dolori colico, inflammationi renum ceterorumque viſcerum, venenis, vlceri ſuperuenit, itemque ſanguinis ſputatores vel ſcreatores, phthiſicos, hernioſos exercet; ſi verminationi ventriculi debetur, et, ſublata cauſſa, grauiſſima mala illico ſilent a) cet. *Vomitus poſt dyſenteriam* vel *partus purgamenta* ſuppreſſa ortus anceps eſt: at qui ſub *partu difficili* cum foetore intolerabili eſt, periculum multum habet. Neque abſimiliter, qui inflammationi laterum et pulmonum aa) inde a primo die ſuperuenit, et vel poſt tertiam quartamue venaeſectionem recrudeſcit.

§. 503.

Peſſimum et vt plurimum *letale* eſt, vomitiones ſinceras, rubras, liuidas, nigras, aeruginoſas, porraceas,

x) *Pezold* Prognoſ. c. 5. §. 122. p. 77.
y) *Lieutaud* l. cit. *Proſp.* VII. 9. p. 475. ſeq. *Hipp.* Epid. III. Sect. 2. Aeg. 12. p. 720.
z) *Hipp.* Praed I. 10. p. 477. et *Gal.* ad h. l.
a) *Klein* l. c. p. 317. *Hipp.* Aph. VI. 50. p. 102.
aa) *Zimmerm.* Erfahr. l cit. c. 8. p. 415.

raceas, foetidiſſimas, virulentas, verſicolores, paucas, cum corporis iactatione et anxietate perpetua [b]), ſingultu, tremore atque conuulſione ferri, quoniam in mitiori malo diuturnitatem deſignat, alias reuerſiones intutas et exitium. *Peſſimum*, vomitum poſt breuia interualla [c]) redire, grauiter afficere, tandemque poſt vehementiſſimas inteſtini tenuioris torſiones ſtercus proiiciendum [d]) contrahere.

§. 504.

Quibus praemiſſis, reliqua vomitus ſigna, quae a *colore materiae reiectae* maximam partem repetimus, facillimo intelligentur negotio. Indicat ergo *vomitus fatuae glutinoſaeque pituitae*, debilem et laxum ventriculum; *vomitus faſtidioſus*, communis quarundam febrium malignarum et phrenitidis comes, bilem corruptam et peracrem [e]); *croceus*, copioſam et motam bilem, at *viridis*, acrimoniam acidam exſuperantem et neruos inde male affectos; *slilioſus*, quocum aeger debilitatur, ſummum periculum, niſi, vacuefactis inteſtinis, iterum firmatur; *ſubbilioſus* [f]), qui quouis mane atque per aliquot dies feminas non grauidatas exercet, lumbricos rotundos; *virulentus et aeruginoſus* [g]) cum dolore capitis, ſurditate, peruigilio, promtam inſaniam vel quamuis aliam inflammationem; at *aeruginoſus* cum tremore pauco et ſtrepitu inter potandum, perniciem immi-

X 2 nen-

b) *Hipp.* Progn. §. 12. p. 458. Praed. I. 6. p. 476. III. 6. p. 69. IV.

c) Coac. §. 4. p. 578.

d) *Galen.* Loc. Affect. VI. 2. At iſtum vomitum non ſemper mortiferum eſſe docuit *Haen* Rat. Med. T. II. c. 5. p. 95. ſequ.

e) Coac. §. 102.

f) Praed. II. 35. p. 514.

g) Praed. I. 2. p. 472. Coac. §. 2. p. 536.

nentem, praeſertim in phreneticis [h]); (perraro enim delirium reſoluit;) *bruneus et copioſus*, inteſtinum duodenum infirmatum et ſordibus refertiſſimum, itemque debilitatem viſcerum, et ſaepe fatum [i]) proximum; in *macilentis* poſt paſtum vrgens, hecticam futuram; *niger*, inſtar rob ſambuci, cum vermibus, ſingultu, animi defectione copulatus, in febribus acutis periculum, in inflammatoriis vero inſtantem mortem [k]) denunciat, ſi cum peſſimis ſignis eſt v. c. tremore manuum, ceruicis dolore, vrina nigra cet. vel poſt lumborum dolorem [l]), ad os ventriculi recurſitantem, cum febre, horrore, delirio, vocis amputatione, deiectione nigra rel. oritur. Similiter vbi *vomitus niger et foetens* [m]) morbis acutis accedit, ſcire licet, intus reſidere viſcerum corruptionem et gangraenam, aegrumque breui ad plures abiturum.

§. 505.

Vomitus ruber [n]), quo vehementius affligit, eo peior habendus eſt. Hinc *cruentus* fere ineſt hypochondriacis, feminis, quibus menſtrua purgatio [o]) deficit, vel quaeuis alia egeſtio inordinata perquam moleſta eſt, poſt febrem intermittentem male curatam, et vt plurimum ſanguinis multitudinem, ob ſolitam expulſionem interclusam nunciat. Qua de cauſſa per ſe mortiferus non eſt; Inducit tamen, ſi crebro reuertitur, malum corporis habitum et hydropem, febres lentas, hecticam et phthiſin. Id quod prae ceteris ad eam vomitus formam pertinet, quam hepar

h) Epid. I. Sect. 2. et Epid. III. Aeg. 4.
i) *Zimmermann* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 416.
k) *Hipp.* Praed. I. 85
l) Progn. §. 12. p. 458. Coac. §. 176. 316.
m) *Macbride* l. c. p. 377.
n) *Hipp.* Coac. §. 556.
o) Aph. V. 32. p. 93.

hepar et lien genuerunt; Etenim hydrops vitae clauſulam imponit.

SVBSECTIO VI.

DE DIGESTIONE ET SVCCI NVTRITII PRAEPARATIONE VT SIGNO.

§. 506.

Neque ſine ſignis *digeſtio laeſa* eſt, ſuntque hoc ex genere dolores viſcerum ſaepe peracerbi, anxietas, inflatio et torſio ſtomachi, murmura, ructus, ſingultus, vomitus, aluus fuſior, interdum leuis aliqua febricula, ſopor, delirium ceteraque mala grauia. Quorum omnium aeſtimatio commendatiſſima medico eſſe debet.

§. 507.

Etenim ſi qui *ponderis* ſenſus tunc temporis, dum cibos concoquimus atque digerimus, in ventriculo et abdomine perſentiſcitur, itemque grauitas vniuerſi corporis, animi torpor, hiatus oris et oſcitatio frequens, dura dormiendi neceſſitas, ſitis multa, flatus, tormina et aluus fuſior *p*) homini moleſta eſt, ſcire licet, adeſſe aut nimiam alimentorum multitudinem, vnde iſta viſcera nimis diſtendantur, aut debilitatem primarum viarum perinſignem, et tardam concoctionem. Ex quo facile intelligitur ratio, cur, quibus vitioſa iſta inſtrumenta ſunt, ii breui in cruditatem, viſcerum infimi ventris obſtructionem, malum hypochondriacum et hyſtericum cet. incidunt. Communis malae digeſtionis nota *ructus acidus et creber* eſt.

§. 508.

Contra vbi *a prandio intermiſſo* illico imbecillitas ventriculi et totius corporis, tremor, ingens animi

p) *Hipp*. L. Vet. Medic. §. 19. p. 23.

animi deliquium, oculi pallidi, vrina calida et craſſa, os amarum, viſcera quaſi deorſum pendentia q), vertigo, excandeſcentia et triſtitia; *poſt coenam* vero concoctio difficilis, tormina et ſtrepitus inteſtinorum, aluus adſtricta, ſomnus turbulentus, et ſomniis terrentibus inquietatus oriuntur, inter mala indicia eſt, et haud raro morbum imminentem praenunciat.

§. 509.

In febre acuta difficilem iudicationem praeſagire licet, vnaque ſigna peſſima, quae morbi vim exacerbare valent, praeſertim ſi ab oblatis r) aeger non iuuatur, ſed offenditur. Quare vt illud digeſtionis vitium, quod poſt plenitudinem, ebrietatem et crapulam s) oritur, vehementer terrere debet, niſi vomitu vel aluo reſoluatur; ita ſub longa inualitudine peſſimum ſignum eſt, et *conualeſcentibus* perquam aduerſum. Nam ſi modice comedunt, neque pleniores et coloratiores fiunt, non poſſunt vltra progredi, ſed fere retro, quaſi ruina quadam, reuoluuntur, niſi reſidua materiae morboſae pars e ventriculo expellatur. Certe poſt morbum feliciter ſuperatum appetitum naturalem et concoctionem facilem redire, optimum eſt.

§. 510.

Ad digeſtionem etiam *ſuccus ventriculi, inteſtinorum* et *pancreatis*, nec non *bilis* ipſa pertinent. Si ergo ſucci *nutritii praeparationem* ſtimulus aliquis et crebra deſidendi cupiditas comitatur, aut ſuccus gaſtricus et pancreaticus vitii arguendus eſt, aut etiam bilis acrior. Itemque *crebrior inteſtinorum conuulſio* et leuis inflammatio vt bilem peracrem ibidem reſidentem ac irritantem, ſic *deiectio bilioſa* eius copioſum

q) Ibid.
r) Aph. II. 8. p. 72.
s) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 311.

pioſum aditum et per ventrem egeſtum deſignat. Praeter haec ab *malo bilioſoque corporis habitu* colligimus, bilem exire in duodenum inteſtinum non poſſe; ab *morbo regio*, eam in ſanguinem redundare; ab *excrementis albis*, *exſuccis*, *argilloſis*, et digeſtione laeſa, eam aut prorſus deficere, aut certe fatuam et inefficacem eſſe.

SVBSECTIO VII.

DE DEIECTIONE ATQVE VERMIBVS, VT SIGNIS.

§. 511.

Reliquiae cibi et potionis validae, craſſae, inutiles, nec ad ſorbendum aptae, bile infectae, ceteris inteſtinorum humoribus remixtae, ſordidae atque male olentes, *aluus*, *feces*, *excrementa* nominantur. Quibus ſordibus niſi quotidie aut ſaltem quouis biduo venter ſe exonerat, verendum eſt, ne exinde varia corporis mala ſenſim pedetentimque proficiſcantur. In morbis enim aluus ſegnior et temere neglecta fecunda malorum mater eſt.

v. THEOPHILI L. de excrementis, alui et iudicio medico ex illis ferendo, Lugd. Bat. 1703. IO. BAPT. MONTANVS L. II. de excrementis, vnus de fecibus, alter de vrinis, Patau. 1554. HERM. BOERHAAVE Diſſ. de vtilitate explorandorum in aegris excrementorum, vt ſignorum, Lugd. 1710.

§. 512.

Eſt vero *deiectio in morbis bona* t), ſi mollis, modice coacta, procedente tempore paullatim con-

t) *Hipp.* Progn. §. 9. p. 455. Coac. §. 6. p. 584. I. et L. Vict. Acut. §. 48. p. 307. II. *Macbride* Einleit. p. 376.

tracta et ſubrufa eſt, colore ac odoris foeditate ſimilem ſani hominis aluum non excedit, mole iuſta fluit, et tempore ſtato ſine moleſtia reuertitur. Nam vbi feces *facile* egeruntur, ſcire licet, integras eſſe inteſtinorum functiones et vires, ſuperficiem eorum ſatis lubricari, nihilque cauſſae ſubeſſe, quae expulſionem impediat. At ſi *colorem* naturalem habent, nec *odore* tetro graues ſunt, ex eo colligitur, bilem bonam ſecerni, et large effuſeque adfundi, ſucco alibili, eamque ob cauſſam iſtam officinam laeſam non eſſe.

§. 513.

Contra *mala* u) eſt *deiectio*, quae aquoſa, perliquida, pallida vel ſubpallida, albida, viridis vel ſubviridis, praeruſa, ſpumans, viſcida et glutinoſa, exigua et crebra, itemque laeuis eſt; *peſſima*, quae pinguis, liuida, aeruginoſa, nigra, vel peioris odoris eſt; at fere *media*, vbi id, quod excernitur, varium, ramentis quaſi interſtinctum, bilioſum, cruentum obſeruatur. Sed placet ire per ſingulas.

Schol. Differunt variae deiectionis formae potiſſimum inter ſe ratione *cohaerentiae*, *coloris*, *odoris*, *et modi*, *quo excernuntur*, ideoque viam naturae deſerere nefas putamus.

§. 514.

Aluus eorum, qui *ſani* et ſuae ſpontis ſunt, debet tarde ſtatoque tempore deiici; etenim illa validorum inteſtinorum nota eſt: At ſi *praemollis* atque *perliquida* eſt, ſimulque parce ac ſaepius exoneratur, ex eo inteſtinorum laxitas et debilitas, bilis inertia, indeque oriunda flatuum copia colligitur. Porro *aluus aquoſa* v) ſi qua incidit, acrem et irritan-

tem

u) Progn. §. 10. p. 456.
v) *Gal.* in Progn. Comm. II. 20. p. 766. IV. *Macbride* l. c. p. 376.

tem aliquam materiam, cruditatem, vaſculorum, quorum miniſterio inteſtina irrorantur, debilitatem, tranſpirationem ſuppreſſam et huc delatam, glandularum meſaraicarum obſtructionem vel duritiam, v. c. in infantibus et ſenibus, denunciat: At ſi eadem *ſubito contrahitur* et denſatur *w*), et meraca, itemque ſtercoroſa fit, morbum longum. Praeter haec *aluus humidior* *x*) cum laſſitudine et impotentia, dolore capitis, ſiti, vigiliis, muſſitatione copulata, delirium et ingens vitae diſcrimen portendit. Contra vbi id, quod excernitur, *durum* eſt, ex eo colligimus, bilem, liquorem et mucum inteſtinorum deficere, ſiccitatem multam motumque tardum eſſe, aeſtum corpori moleſtias faceſſere, vel inteſtina plus, ac fas eſt, coanguſtari *y*): cui *duritiae* ſi *dolor*, febris et cibi faſtidium *z*) accedit, vide, ne inflammatio in ſuppurationem letalem tranſeat.

§. 515.

Mala vero *aluus perliquida* eſt, ſi morbis acutis cum vomitu, ſine ſiti *a*) ſuperuenit, vel liquidam deiectionem refrigeratio vniuerſi corporis, febris ac ſudor *b*) inſequuntur; ſi aceruatim *c*) incidit, et peruigilia, crebras ob exinanitionem defectiones animae, atque debilitatem haud exiguam inducit; ſi comatoſis *d*) accedit cum peſſimi morbi ſi-

X 5 gnis;

w) *Hipp.* Coac. §. 6. p. 586.
x) Aph. IV. 27.
y) *Hoffm.* Med. Rat. Syſt. T. III. S. 1. c. 14. §. 46. p. 381.
z) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 550.
a) *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 352.
b) *Hipp.* Coac. §. 6. p 589.
c) Progn. §. 9. p. 455. Coac. §. 6. p. 585.
d) Coac. l. c. p. 589.

gnis; ſi poſt nigram aluum e) et pleuritidem f) oritur. In hac enim putridam humorum corruptionem, futuram gangraenam et res aegri deſperatas ſignificat. Mala etiam fuſior aluus eſt, quae, vbi iudicium g) inſtat, citra leuamen accidit.

§. 516.

Deiectio viſcida et pituitoſa concoctionem languentem ob inteſtinorum laxitatem, cibos validos, quibus ſubigendis impar ventriculus eſt, cruditatem moleſtam et vermes denunciat. Quae pituita ſi tenax eſt, et *albumen ouorum* refert, itemque ſi cum crebra deſidendi cupiditate iungitur, ſaepe haemorrhoidum albarum praenuncia obſeruatur. Saepe *ea et cruenta* alternant, neque dolorem adferunt, ſub quo fluxus hepaticus ſubeſſe dicitur. At *deiectio mucoſa*, quae in morbis acutis ſaepe decretoria h) eſt, quae ſine dolore i) fertur, magnam muci vim, nec non ventriculum et inteſtina imbecilla notat; at *mucoſa et tenax* k), quae dyſenteriae ſuperuenit, materiam acerrimam et abradentem, et familiaris feminis praedebilitatis eſt, dum aluus fuſior oritur. Contra *glutinoſa ſenſim excreta*, haud raro tabem inducit.

§. 517.

Ab *deiectione alba* colligitur ſecretio et egeſtio bilis impedita, obſtructio hepatis ductusque communis, quam fere morbus regius ſequitur, bilis inertia, cruditas, acidi redundantia; vnde commune infantum, infirmorum, hypochondriacorum, hyſtericarum, ſenumque vitium illud eſt. Hinc in phreneti-

e) Coac. §. 6. p. 585.
f) *Sarcone* Neap. Krankh. T. I. §. 172. p. 170.
g) Ibid. §. 2. p. 550.
h) Coac. §. 1. p. 534.
i) *Hoffmann.* l. c. §. 45. p. 330.
k) *Zimmerm.* l. cit. c. 8. p. 420.

neticis [l]) aluus alba mala; at peſſima, ſi ſine morbi arquati ſignis eſt, vel farinam tritam [m]) refert. Porro *aluus albidior* [n]) in febre peſſima cenſetur, ſiquidem bilem retineri, vehementiori humorum impetu tenuari, reſolui, admiſceri, putreſcere, compagi corporis vim inferri, neque iudicationem ſalutarem ſperandam eſſe, ſatis ſuperque docet. In variolis [o]) exitialis eſt. Item ſi *deiectio perliquida*, *chyloſa*, *pinguis*, crebro et paullo poſt prandium accedit, appetitus increſcit, et corpus emacreſcit, vaſa lactea vitioſa ſunt, et neruorum debilitatem, digeſtionem difficilem, acrimoniam, tabem inducunt, v. c. in infantibus, in quibus meſenterii glandulae aegrae et obſtructae ſunt, in phthiſicis [p]) conclamatis. Denique in *aluo purulenta* [q]) aut inteſtinorum vlcus ſubeſt, aut materiae morboſae migratio, v. c. in angina, ſi fauces ſubito gracileſcunt, dolor penitus ceſſat vel ſaltem remittit, et ad aluum pus copioſum defertur.

§. 518.

Deiectio viridis ſ. *crocea* GALENI [r]), ingentem bilis acrioris et cum ſordibus acidis commiſtae copiam denunciat. Quare verendum eſt, ne tormina, dolores et inflammationem interaneorum pariat, vel in conuulſiones ipſas coniiciat. Proprium illud vitium infantum lactentium eſt, interdum hypochon-

l) *Hipp.* Praed. I. 2. p. 472.
m) Coac. §. 6. p. 583.
n) *Swieten* Comm. Aph. 772. p. 589. II.
o) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 29. p. 7.
p) *Caelius Aurel.* Morb. Diut. Cur. II. 14. p. 421. ed. Amm. *Gal.* Criſ. I. 11. p. 497. *Benedict.* Theatr. Tabid. p. 111.
q) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 556.
r) In Progn. Comm. II. 20. p. 766.

pochondriacos, cholericos et hyſtericas occupat. Vnde ſi ineunti febri acutae ſuperuenit *fluor alui viridis porraceus et foetens* [s]), diuturnum et grauem morbum, nec non mortem portendit, in pectoris morbis, puerperis et infantibus febre maligna correptis, haud leue vitae periculum.

v. SCHROEDER reſp. IO. MART. STARCK Diſſ. de alienata bilis qualitate, vbi viridis eſt aluo excretorum vel vomitu reiectorum color, Gott. 1767.

§. 519.

Deiectio flaua et obſcura nonnumquam febri peticulari, malignae, putridae [t]) ſuperuenit; quae vt non adeo periculoſa eſt, ita etiam *ſubfulua, coacta, neque graueolens*, quae iudicationem [u]) morbi antecedit, optima cenſetur. Contra *aluus fuſca* [v]) bilis multitudinem declarat, et cholericis, ſpirituum potoribus, itemque iis, quos febris ardens, bilioſa, tertiana continua et intermittens tenet, fere propria eſt. In melancholicis, furioſis, hypochondriacis, hyſtericis aut malo corporis habitu laborantibus *fuſca, dura et tarda* reperitur.

§. 520.

Deiectio nigra, itemque *liuida* [w]), corruptionis internae putridae teſtis eſt, praeſertim vbi cum foeditate odoris reliquisque interni ſphaceli ſignis accidunt, v. c. in febre maligna, dyſenteria, inflamatio-

s) *Waldſchmidt* ap. *Klein*, p. 66. *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 9. p. 145.
t) *Huxham* de Febrib. c. 8. p. 97. II.
u) *Hipp.* L. de Iudic. §. 1. p. 438. I.
v) *Hoffmann.* l. c. §. 42. p. 328 ſequ.
w) *Gal.* de Criſ. I. 11. p. 497. IV. *Hipp.* Vict. Acut. §. 48. p. 307. II.

matione inteſtinorum, et mors ante portas [x]) eſt, ſi pulſus paruus et debilis, virium defectio, ſudor frigidus, dolorum remiſſio accedunt. Quam etiam augurari licet, vbi in infantibus, qui *a roſione vermium* [y]) conuelluntur, id, quod excernitur, nigrum eſt, aut ſi, ineunte morbo, *atra bilis* [z]) vomitu vel aluo reiicitur, quippe ex eo vaſa ab acriore bile arroſa et deſtructa opinamur. *Mala* etiam deiectio eſt, ſi ſponte ſua incidit, vnaque *nigra et cruenta* [a]), vel *liuida, pinguis et male olens* eſt; ſi talis vel etiam *praerubra et aeruginoſa* poſt ſanguinis fluorem [b]) oritur.

§. 521.

Deiectio ſpumans ſub acuto morbo et vndiquaque *biliosa*, peſſimi morbi ſignum praebet, praeſertim vbi etiam *ſincera* eſt, vel in qua ſubſidunt diluta, et ex pallida vireſcentia [c]). Etenim aërem [d]) multum a vinculis ſuis liberatum, humorum corruptionem, et feruorem, morbi grauitatem et ſummum vitae diſcrimen vtplurimum oſtendit, praeſertim in iis, qui conuelluutur.

§. 522.

Deiectio praeruſa [e]) bilem abundantem et morbum bilioſum denunciat, in febre [f]) vero delirium. *Comatoſos* [g]) haud raro *aluus rubra* iudicat.

§. 523.

x) *Macbride* l. c. p. 375.
y) *Zimmerm.* l. c. p. 421.
z) *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 350.
a) *Hipp.* Aph. IV. 21. p. 84. Coac. §. 3. p. 552. et § 6. p. 585.
b) Praed. I. 18. p. 482. Coac. §. 3. p. 552.
c) Coac. §. 6. p. 585 ſequ.
d) *Galen.* in Progn. Comm. II. 20. p. 767.
e) *Macbride* l. c. p. 375 ſequ.
f) *Hipp.* Coac. §. 6. p. 586.
g) Ibid. §. 2. p. 537.

§. 523.

Deiectio cruenta [h]), quae ſine dolore ac torſione inteſtinorum fit, vaſculi intra vel prope inteſtinum rectum ruptionem deſignat, praeſertim vbi crebra eſt, et cum dolore circa vmbilicum ac dyſenteria copulata. Certe in acuta febre haud raro incidit aliqua inſolita et veluti ſubſultans arteriarum temporalium [i]) motio, vnde aluum cruentam praeſagire licet. At ſi iſta egeſtio *ab ineunte morbo* [k]) eſt, vnaque venter vehementer inflatur, multum terrere debet, quippe aeger vtplurimum propter exinanitionem ſopore ac conuulſionibus correptus perit. Vt vero *deiectio ſanguinis ſplendentis poſt dolores* [l]) orta valde periculoſa eſt, eaque, quae *fecem ſanguinis* [m]) mentitur, iecur aut aliud viſcus affectum denunciat; ſic *cruenta aluus* iis, qui ex praecordiis et infimi ventris obſtructione aegri ſunt, ſaluti eſt, dum vaſa illa reſerare valet, modo ne continuet. Saepe etiam *membranae quid ſimile* [n]) expellitur, vnde vlcus inteſtinorum colligimus, locum vero, vbi illud reſidet, ſecundum GALENVM ab raſura, a tempore, quando abſceſſit, et ipſa miſtura, ſic, vt, ſi ab infimis partibus proficiſcatur, nullas omnino vlceris notas ſanguis habeat excrementis ſupernatans, at ſi paullo altius vitium lateat, leuiter cum ſtercore miſtus ſit; denique intime iuncta et copulata aluus et pus appareat, ſi tenuia inteſtina arguenda ſint.

§. 524.

h) *Macbride* l. cit.

i) *Klein* Int. Clin. p. 65.

k) *Hipp*. Coac. §. 6. p. 584.

l) Ibid. p. 585.

m) *Galen*. Loc. Affect. V. 7. p. 132.

n) Ibid. I. 4. p. 20 ſequ. et VI. 2. p. 140.

§. 524.

Eſt ergo boni morbi indicium, feces *colore naturali* [o]) eſſe, quippe id ventrem bene valere, ac nihil eo aliunde deferri notat. Contra ſi *aluus verſicolor* exoneratur, et malum eſt, et coctionem tardam vel nullam eſſe oſtendit.

§. 525.

Sequitur *deiectio odora et foetens*, quae ob foeditatem odoris [p]), corruptionem et putrorem, ſemper mala eſt, et ſi in febre peſtilentiali cum liquatione corporis iungitur, vel malignae et dyſenteriae [q]) ſuperuenit, letalis. Colligitur enim ex fecum odore graui, qui poſt victum ſimplicem et parabilem modicus eſt, in iis vero, qui lautioribus epulis delectantur, fere intolerabilis, ſingularis aliqua acrimonia, quae inteſtina occupat, ſiue illa ab motu humorum inteſtino profecta ſit, ſiue huc ex reliquo corpore demigrarit, bilis copioſa et vitioſa, gangraena et ſphacelus viſcerum. Hinc ſi qua *deiectio putrida et cadaueroſa* cum ſignis malis incidit, v. c. in inteſtinorum difficultate, viſcerum inflammatione, tabe [r]), internum aeſtum, corruptionem, putredinem et gangraenam incipientem, tandem futuram mortem denunciat. Fallax hoc ſignum in pueris eſt, quippe illi haud raro vermes mortuos et putreſcentes intus alunt, et poſt eorum expulſionem putridus odor ceſſat. Praeter haec peſſima eſt, ſi ſimilem *odorem ſtercoris infantis* [s]) habet: nam ob ſummam humorum corruptionem, interanea obſidentem, ſaepe exitium adfert.

o) *Gal.* in Progn. Com. II. 13. et 17. p. 765 ſequ.
p) Ibid. Criſ. I. 11. p. 497. IV.
q) *Hoffmann.* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. §. 44. p. 330.
r) *Hipp.* Praed. II. 16. p. 500.
s) *Lomm.* Obſ. Medic. III. p. 352. ed. Ien.

adfert. Omnium vero *peſſima* merito habetur, quae *liuida*, *ſubnigra*, *verſicolor*, et longe *foetidiſſima* t) eſt, et cum vultu triſti, facie lurida, oculis ſemiapertis et conniuentibus, labiis tumentibus, pulſu paruo, debili, inaequali, ſtupore, ſomno turbulento atque delirio iungitur. Talis enim irritabilitatem Hallerianam ſublatam, inteſtinorum reſolutionem et gangraenam funeſtam praeſignificant.

§. 526.

Neque negligenda videntur ea ſigna, quae a *modo*, *quo feces excernuntur*, repetimus. Quod vbi ex facili fit, bonum eſt, et inteſtinorum facultatem integram oſtendit. Vt vero *aluus tarda* et *ſegnior* per ſe ſemper mala et valitudini aduerſa eſt, ideoque fugienda excrementorum ſuſtentatio: ita in morbis prae ceteris periculoſa eſt, praeſertim in febribus acutis, niſi qua alia egeſtio u) ſuboriatur. Terrere etiam *adſtricta aluus* debet, ſi eos, quibus malus corporis habitus et haemorrhoides moleſtae ſunt, itemque hypochondriacos et hyſtericas exercet: Siccitatem enim, fibrarum rigorem, bilis inertiam notat, et irritabilitatem incredibilem, conuulſionem a flatibus, diſtentionem et torſionem inteſtinorum, anxietatem horrendam, vomituritionem, animae defectionem et ipſam ſyncopen inducit. In dolore colico et inflammatione inteſtinorum fatum accelerat. Quam ob cauſſam *aluus ſuppreſſa* furioſis morbum longum portendit, infantibus, qui lenta tabe conſumuntur, (ἀτροφίαν nominant,) reliquisque tabidis moleſtias ingentes, dolores, conuulſiones et vitae diſcrimen haud leue. Peſſima, vbi illa medicamentis abigi non poteſt,

t) *Pezold* Prognoſ. c. 5. §. 123. p. 78.

u) *Hipp.* Progn. §. 9. p. 455.

poteſt, et praecordia tument: Grauia mala et ipſe ileus exinde oriuntur.

§. 527.

Contraria adſtrictae et ſuppreſſae aluo *ſoluta* eſt, ex qua interaneorum debilitatem, pituitae redundantiam, tranſpirationem ſubito repreſſam, bilem acrem et corruptam, humores vitioſos ex reliquo corpore huc delatos, interdum vermes, vaſa lactea et ſorbentia veluti obſerata, futurumque malum corporis habitum, et tabem auguramur. Febribus acutis peſſimo cum omine ſuperuenit, praeſertim ſi extra tempus decretorium, praeter rationem et vbertim ab aegro debilitato deiicitur. Siue vero *aluus pauca* ſit, ſiue *nimia*, noxa non vacat. Prior enim impedimentum fecum expellendarum, fixum et ingens, robur inteſtinorum fractum ac debilitatem viſcerum, indeque oriundum morbum diuturnum indicat, item corruptionem, acrimoniam, putrorem, conuulſiones et peſſima mala; poſterior vero exinanitionem periculoſam, niſi aluus decretoria eſt, languorem, animi defectionem, puſillum animum *v*), maciem, tabem et mortem ipſam inducit.

§. 528.

Crebrior et copioſa deiectio *diarrhoea* dicitur. Quae ſi ſine febre incidit et moderata eſt, ſaepe iuuat, cum maxime ſi vbertim ac ſemel feces egeruntur, nec reuertitur deiectio; at in febriente *x*) vtplurimum mala eſt. Nam vbi immodica eſt, et aceruatim fertur, in febre exanthematica et inflammatoria, morbis pectoris *y*), infantibus febre maligna corre-

v) *Kloekhof* Diſſ. de morb. animi, p. 36. Opuſc.
x) *Hipp.* Praed. II. 9. p. 494.
y) *Bagliu.* Prax. I. 9. p. 107.

correptis, puerperis, tabidis [z]), fatum accelerat. *Deiectiones aquoſae et crebrae*, quae febri ardenti [a]) ſuperueniunt, et cum refrigeratione corporis vniuerſi oculisque limis ſunt, delirium, lethargum, conuulſionem denunciant.

§. 529.

Bonae igitur *deiectiones* ſunt, quae certo tempore [b]), v. c. circa aequinoctia, reuertuntur, modo febris et virium defectio abſit; quae hypochondriacos et hyſtericas tenent, aut ab frigore, aqua frigida, alimentis, oriuntur; quae bilioſae, ſeroſae ac modicae in febrium principio, nec non in quibusdam febribus exanthematicis [c]) accidunt; at *malae* putantur, ſi bilioſae ſunt et in dyſenteriam transformantur; ſi aquoſae, tenues, ſpumoſae [d]), laeues, praealbae, viſcidae, pituitoſae, quaſique fermentatae, ramentoſae, meracae, decolores, valde virides, cruentae, purulentae, liuidae, nigrae vel adipoſae obſeruantur; ſi a cauſſa interna et inueterata, poſt vulnera capitis, in febre miliari, in grauidis ante et poſt partum [e]) accedunt; ſi hydropicos, hecticos, aut pulmonarios occupant. Tandem *peſſimae fereque letales deiectiones* ſunt, quae cum ſanguinis grumo excernuntur, alba, perliquida, praſina, nigra et teterrimi odoris ſunt, cicer et fabas freſas referunt; quae ſenſum aegri fugiunt, et ventris inflationem horrendam, quam *μετεωρισμὸν* appellant, inducunt; ſi inflammationi pectoris ineunti ſuperueniunt,

z) *Hipp.* Morb. I. 6. p. 7. II. praeſertim ſi cum tremore, vocis iactura eſt. Coac. §. 6. p. 588.
a) Coac. §. 1. p. 532.
b) *Stahl* ap. *Klein* p. 63.
c) *Iuncker* Semiol. c. 9. §. 13. p. 598.
d) Coac. §. 6. p. 584 ſequ.
e) Ibid. p. 586.

niunt, ſi vna peſſima ſigna aegrum exercent, v. c. febris, ſitis, ſingultus, anxietas, dolor acerbus et acutus, crebra deſidendi cupiditas, delirium, ſudor frigidus, continua animi deliquia cet. ſi cum calore corporis mordaci, facie rubra, vultu toruo, lingua ſicca ſitique incredibili, pulſu duro et frequente, dolore ventris lacerante, coniunctae ſunt. Hae enim irritabilitatem excedentem et inteſtina inflammata f) docent.

§. 530.

Cum his deiectionibus haud raro iungitur et copulatur *teneſmus* ſ. *crebra deſidendi cupiditas*. Indicat vero, illa fere ingentem inteſtinorum fecumque ſiccitatem, acrimoniam, bilem ceteroſque humores irritantes, flatus, vlcera inteſtini recti, conuulſionem, vermes, praeſertim aſcarides, vbi ſubito et creberrime incidit. Praeter haec teneſmus in *grauidis* g) abortum vel foetum mortuum h); in hydropicis et quos morbus longus, v. c. phthiſis, tenet, itemque in apoplecticis i), vbi derepente fulguris inſtar inuadit, et in fine febrium acutarum k), perniciem ac mortem certam praeſignificat. Hinc teneſmus moribundorum, qui ſibi conſtant, comes eſt, praeſertim in quibus poſt vehementem conuulſionem reſolutio neruorum vitae clauſulam imponit.

§. 531.

Saepe in acutorum morborum vigore fit, vt *aluus inſcio et inuito aegro* profluat. Hoc falſam phantaſiam, debilitatem perinſignem, delirium, fibra-

 rum

f) *Pezold* Progn. c. 5. §. 123. p. 78.
g) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 347.
h) *Bagliu.* Prax. I. 13. 6. p. 140.
i) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 1. p. 5.
k) *Gal.* Criſ. III. 9. p. 574. IV. *Bagliu.* Prax. I. 9. p. 108. *Kloekhof* Diſſ. de ſtrepitu, p. 178. Opuſc.

rum et conſtrictoris ani reſolutionem, putredinem et gangraenam, vt plurimum denunciat. Quare ſi illud vitium ab incuria, conſtrictore ani male conniuente, leuiori, nec voluntario niſu, excrementorum pondere ac ſtimulo vel aluo fuſa proficiſcitur, terrere non debet; ceſſante enim cauſſa, effectus ceſſabit. Contra ſi poſt nimium ſanguinis ad caput aditum et raptum celerrimum oritur, et cerebrum mole iſta quaſi opprimitur, verendum eſt, ne breui torpor et ſtupor animi, neruorum hebetudo, delirium, ſopor et conuulſio ſubſequatur. Hinc peſſimi ominis eſt, ſi deliris aut lethargicis, morbi vehementia fractis, ob neruorum reſolutionem vel conuulſionem, hac via finiendam, ſuperuenit. In his enim mors *l*) inſtat.

§. 532.

Reſtant *vermes*, qui haud raro in morbis acutis ac longis cum et ſine fecibus egeruntur, v. c. in variolis, morbillis, febre miliari, putrida, maligna cet.

v. I. I. VAN DEN BOSCH Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae, quae anno 1760 - 63. per inſulam Overflacque et contiguam Goedereede, graſſata fuit cum perpetuis fere commentariis in praecipuos verminantium morbos cet. Lugd. Bat. 1769.

BITTERMANN Diſſ. de vermibus, Vindob. 1763.

§. 533.

Mali morbi ſignum eſt, vermes non exire; id quod eos ſatis tutos eſſe notat: *Peſſimi*, per vomitum reiici. *Bonum* vero eſt, expelli ſine aegri incommodo; melius, plurimos foras proiici; optimum, omnes.

l) *Hipp.* Aph. IV. 21. p. 84. et Aph. 47. p. 86. Praed. II. 10. p. 477.

omnes. At ſi in principio aut vigore morbi periculoſi ſponte ſua et ſine aluo, cum maxime per os vel nares, exeunt, ſcire licet, inſtare tetram humorum corruptionem et putredinem in ventriculo, interaneis, pulmone atque ipſo cerebro, et fatum ineuitabile, praeſertim ſi ſimul mala ſigna vrgent, v. c. frequens ac frigidus ſpiritus. Contra *ſalutare* eſt, ſi, morbo decreſcente, praegreſſaque coctione m), cum excrementis reiiciuntur: Multae enim proſtant obſeruationes, febres, vermibus excluſis, illico conquieuiſſe.

§. 534.

Febribus acutis ſaepe inſunt aliqua ſigna inſolita, cum maxime ad dies decretorios n). Tunc fere vermes latent, praeſertim ſi ſimul extrema frigent, et intempeſtiua deiectio, ſanguinis e naribus ſtilla, leuis ſudor cet. inſequuntur. In febre exanthematica, v. c. varioloſa, ii, qui ante verminarunt, magis afflictantur: At ſi vermes ſimul vrgent, morbi natura, incredibile, quantum turbatur, et pueris crebra animi deliquia, conuulſio, apoplexia, mors, ſaepenumero incidit. De ceteris vermium ſignis in Semiotice ſpeciali pluribus.

v. Cl. BALDINGER von den Feldkrankheiten einer Armee c. 6. p. 274 ſq. et c. 15. p. 404 ſq. ed. ſec. *Ludolf* Diſſ. de hydrope a vermibus cauſſato, Erford. 1748.

m) L. Iudic. §. 1. p. 438. Progn. §. 10. p. 455. Coac. §. 6. p. 584.

n) *Klein* Int. Clin. p. 81. et p. 306.

SECTIO II.
DE ACTIONIBVS SECVNDARVM VIARVM S. SECRETIONIBVS ET EGESTIONIBVS, VT SIGNIS.

§. 535.

Ex communi ſuccorum penu plures ſpecies minores depromuntur. Quae cum in morbis poſſint multipliciter turbari, perſpicuum eſt, magni profecto momenti eſſe, naturales ſecretionum et egeſtionum leges perſpectas habere, indeque demum, quae in aegro mutatio facta ſit, quae praedictio futura, diligenter confirmare poſſe. In his eniteſcunt *ſaliuae fluor et ſputa*, *transſpiratio et ſudor*, tandem *vrina*.

SVBSECTIO I.
DE SALIVAE FLVORE AC SPVTIS, VT SIGNIS.

§. 536.

Saliua, cuius tanta ad concoctionem eſt vtilitas, quanta eſt maxima, poteſt in morbis aut *nimia copia* profluere, aut prorſus *deficere*, aut cum *ſapore malo* infici.

v. FRID. HOFFMANN Diſſ. de neceſſaria ſaliuae inſpectione ad conſeruandam et inſtaurandam ſanitatem, Hal. 1698.

MART. SCHVRIG Sialologia, Dresd. 1723.

§. 537.

Eſt vero *nimius ſaliuae fluor* o) et ingratus, et malus: Indicat enim debilitatas et compreſſas ſaliuae glandulas, meatus ampliatos vel arroſos, humores celerrime ad caput raptos et collectos, tenues et fluidos,

o) *Schurig* Sialol. c. 1. §. 21. ſeq. p. 38 ſeq.

dos, reſolutionem muſculorum oris, irritamentum oſculorum a quauis acrimonia vel medicamentis ſaliuam mouentibus, itemque acidum p) morboſum, cruditatem ventriculi atque inteſtinorum, vermes, cum maxime taeniam cet. Ex quo intelligitur, cur iis, quos mala digeſtio et malus corporis habitus, morbus hypochondriacus et vermes q) exercent, itemque infantibus dentientibus r), et venerem illicita manu s) ſtimulantibus, proprium quaſi ſignum eſſe ſoleat.

§. 538.

Quare ſi *ſaliua copioſa* poſt *ſudorem* ſuppreſſum t) oritur, aut ſi febri lentae neruoſae u), quam mador cutis, non aphthae, inſequuntur, terrere nullo modo debet, et ſi morbos grauiſſimos iudicat, ſaluti eſt: at vero *mala* cenſetur, ſi lethargo v) ſuperuenit, vel diu continuat x). Infert enim ſolidarum partium debilitatem, muſculorum marcorem, tandemque tabem corporis vniuerſi. Praeter haec in iis, quos morbus comitialis tenet, nouam acceſſionem incendit.

§. 539.

Indicat *multus ſaliuae fluor*, ſi cum ciborum faſtidio eſt, ventriculum ob digeſtionem malam y) affectum; cum *nauſea* et *ſtomachi morſu* z), vomitum;

p) *Dolaeus* Encycl. Chir. I. 20 ſq.
q) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 2. p. 125. et *Weber* Diſſ. de ſign. ex ſput. p. 26 ſq.
r) *Roſenſtein* Kinderkr,
s) *Vogel.*
t) *Hipp.* Praed. I. 17.
u) *Huxham* de Febrib. c. 7. p. 89. II. ed. Lipſ.
v) *Hipp.* Morb. II. 63.
x) *Klockhof* Diſſ. de morb. animi, p. 36 ſq.
y) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 303. p. 19.
z) *Hipp.* Coac. §. 4. p. 579.

tum; in phreneticis [a]), vomitum nigrum; in atrabilariis [b]), ſi cum tremore iungitur, phrenitidem; in angina, bronchocele, faucium tumore [c]), periculi augmentum; in hypochondriacis et hyſtericis [d]), conuulſionem et inſtantem acceſſionem; in pulmonum phthiſi [e]) incunte, malum mitius; in febre tertiana et quartana [f]), pertinax et graue malum; itemque ſi *crebra ſputatio* [g]) incidit, fere delirium, haud raro variolas confluentes [h]).

§. 540.

Neque raro *ſaliuae multae fluor* ſcorbuticos [i]), hypochondriacos, et eos, qui angina vel inflammatione tonſillarum laborant, vehementer exercet. Sed is vere ſymptomaticus eſt, et haud raro noxius. Nonnullae feminae exinde primarium grauiditatis [k]) ſignum repetunt. At vbi ſaliua, variolis [l]) ſiccari coeptis, et facie aegri iam detumeſcente, ſubito ſiſtitur, ſcire licet, eum periclitari, niſi manus pedesque paullo tumidiores permanent.

§. 541.

Contra *ſaliuam deficere* [m]), aut certe non, vt fas et opus eſt, os rigare, ſemper malum eſt, cum maxi-

a) Praed. I. 6. p. 472. Coac. §. 1. p. 529.
b) Ibid. §. et p. cit.
c) *Gorter* l. cit.
d) Ibid.
e) *Farr* de Maraſmo, p. 29.
f) *Medicus* Period. Krankh. §. 14. p. 28.
g) *Hipp.* Coac. p. 244. *Gal.* Comm. I. in Praed. I. p. 638. IV.
h) *Sydenham*, et *Roſenſtein* Kinderkr. c. 12.
i) *Vogel* Cognoſc. Morb. 669.
k) *Hoyer* in Miſcell. Nat. Cur. Dec. III. An. 3. Obſ. 30. p. 57.
l) *Haen* Rat. Med. T. II. c. 3. p. 59.
m) *Schurig* l. c. §. 10. p. 39. et c. 3. p. 68 ſq.

maxime in morbis. Nam ex eo ſeri tenuioris penuria nimisque glutinoſa indoles, vaſa minima impervia, aeſtus febrilis et vehemens, glandularum, quae ſaliuae praeſunt, tumor et obſtructio cet. colliguntur, et non poſſunt non oris ſiccitas et ſordes, ſitis ingens, deglutitio et concoctio difficilis exoriri. Quare ſi illis, qui alias frequenter exſpuunt, ſubito et citra vllam cauſſam euidentem ſaliua aut ſupprimitur, aut imminuitur, futurum morbum fere denunciat.

§. 542.

Interdum *ſaliua tenax*, *glutinoſa et ſpumans* n) effluit, certiſſima humidi deficientis teſtis, interdum iuſto *tenuior* eſt; et in morbis colliquatiuis exinde peſſima quaeuis augurari licet, interdum aliena miſtura ſubeſt, v. c. pus, ſanguis cet. et facilis eius intellectus ex *ſaporis* iudicio eſt, quoniam ſaliua naturalis ſaporem vel odorem nullum habere debet.

§. 543.

Quare vbi ei ex aegri ſenſu *ſapor* aliquis ineſſe deprehenditur, malum eſt: Etenim haec aut primarum viarum impuritates et acrimonias varias intus latentes, vnde quid detrimenti capere poſſit, aut delirium, aut tandem communem ſuccorum corruptionem et inſtantem gangraenam portendunt. Eadem fere ratio *coloris* eſt, quo nonnunquam ſaliua inficitur. Nam color eius *viridis* o), bili porraceae non abſimilis et tandem in flauum tranſiturus vtplurimum morbum regium et dolorem colicum praenunciat.

§. 544.

Sequuntur *ſputa*, quo communi nomine, quicquid ex ore vna cum ſaliua, ſcreatu, ſpuitione, tuſſi, reiici-

n) *Gort.* l. c. T. II. L. I. 303. p. 19.
o) *Huxham* Obſ. II. p. 12 ſq. III.

reiicitur, comprehendimus. Diſtinguuntur vero illa a ſe inuicem

1) *Modo et effectu ſputi reiiciendi*, i. e. facilis vel difficilis, cum vel ſine dolore, morbum releuans cet.

2) *Quantitate*, i. e. ſputum copioſum, paucum, mediocre, ſuppreſſum, nullum eſt.

3) *Conſiſtentia*, i. e. tenue, aquoſum, craſſum, viſcidum, mucoſum, grumoſum, crudum, coctum.

4) *Miſtura*, i. e. ſincerum ſ. ex vno humore conſtans, vel pluribus confuſum.

5) *Sapore*, i. e. inſipidum, ſubaridum, dulce, ſalſum, acre, amarum, acerbum, calidum, frigidum.

6) *Odore*, i. e. quod aut nullum odorem habet, aut exiguum, grauem, foetidum.

7) *Colore*, i. e. album, pallidum, flauum, viride, rufum, nigrum, liuidum.

8) *Figura*, i. e. planum, aequale, rotundum, ſpumans, cruentum, purulentum.

v. FRID. AVG. WEBER Diſſ. de ſignis ex ſputo, Gott. 1774.

§. 545.

In morbis acutis, v. c. inflammatione pulmonum et laterum, *facile ac cito exſpuere* p), bonum eſt, praeſertim ſi flauum admiſtum habet: vires enim validas q), bonam humorum, praua proprietate carentium coctionem ſalutemque breui adfuturam denunciat, et in ſuppuratis, vbi id, quod excernitur, album, aequale, ſine colore ac pituita eſt, metum futurae tabis r) fere tollit. Contra mali morbi teſtimo-

p) *Hipp.* Coac. p. 393. *Gal.* Criſ. I. 5. p. 488. IV.
q) *Gal.* Loc. Affect. IV. 8.
r) *Hipp.* Progn. §. 13. p. 458. *Proſp.* VII. p. 528 ſq.

ſtimonium eſt, *ſero vel nihil exſpuere* [s]), prae primis vbi cum tuſſi ſicca incidit. Extremam cruditatem et debilitatem ſignificat. Hinc ſi in dolore laterum acuto [t]) ſpuitur multo cum ſtrepitu, et peſſimis cum ſignis, v. c. vultu triſti, oculo morbum regium mentiente, caligine, mors exſpectanda eſt. Praeter haec optima ſputa ſunt, quae *dolorem ſedant et relevant* [u]), quippe materiam morboſam immutatam vel eiectam notant; At mala, quae vires atterunt, nec medicamentis concedunt: nam ſuppuratio inſequitur: Tandemque peſſima, quae dolorem [v]) concitant et augent, quoniam ex eo praua et immobilis materia, ſuppuratio futura, et haud raro pernicies auguranda eſt.

§. 546.

Sputa copioſa [w]) poſt magnam quietem et inflammationem reiici, bonum eſt, quoniam coctionem iuſtam perfectamque morbi reſolutionem ſpondet, cum maxime ſi facile excernuntur, vnaque alba et craſſa ſunt: Sin vero purulenta, i. e. cum pure albo, laeui, aequali, non foetente, ſcire licet, inflammationem per puris egeſtionem finitum iri. Contra *ſputa pauca*, concocta licet, in ſignis iudicatoriis non iudicantibus referuntur, ideoque ſemper mala ſunt, v. c. in pectoris inflammatione [x]); etſi minus terrere debent, quae ab initio talia ſunt, at ſenſim pedetentimque vſque ad ſtatum et copioſiora et meliora [y]) fiunt, et facilius extuſſiuntur. In tabidis

s) *Gal.* Criſ. I. 18. p. 598.
t) *Hipp.* Progn. §. 13. p. 458 ſq. Coac. §. 3. p. 558.
u) Aph. I. 25. II. 2.
v) Coac. §. 3. p. 559.
w) *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 5. p. 139.
x) Ib. 391. 416. Epid VII. 58.
y) *Gal.* Criſ. I. 18. p. 508.

dis [z]) magnitudinem aeſtus viriumque infirmitatem ſignificat.

§. 547.

Si *ſputa* ſubito et praeter rationem *ſupprimuntur* [a]), neque qua alia via aperiatur morbi materiae, aeger de vita periclitatur, quippe haec non niſi ab humorum lentitia, craſſitudine, tenacitate, aut a ſolidarum partium laxitate atque debilitate aegri ſumma proficiſci poſſunt. Hinc in pleuriticis a ſputis ſuppreſſis [b]) metuendum eſt delirium ob nimiam ſanguinis ad caput congeſtionem, nec non ſuffocatio, ſi pulſus paruus accedit; at gangraena [c]), ſi celer et durus. Nihil vero mali portendit, ſi deiectiones [d]) ſuperueniunt. Contra peſſimum eſt, *ſuppuratorum et tabidorum* [e]) ſputa ſiſti. Illis phthiſin vel mortem ſuffocantem, his delirium [f]), et niſi ani venae aperiantur, exitium certum praeſignificat.

§. 548.

Sputa nulla [g]) in iis morbis, quos ſputa explicant, v. c. inflammatione pectoris, ſemper periculoſa, niſi omnia ſymptomata finiuntur [h]), et inflammatio die tertio vel quarto conquieſcit. Tunc enim ingentem morbi cruditatem, inflammationem difficulter diſcutiendam, corruptionem, gangraenam [i]), mortem denunciat, eamque ob cauſſam pleuritis ſicca

z) *Hipp.* Aph. VII. 16. p. 103. Coac. 437.
a) *Sarcone* Neap. Krankh. l. c. p. 170.
b) *Hipp.* Praed. I. 97. et *Gal.* Comm. ad h. l.
c) *Swieten* Comm. Aph. 901. p. 63. III.
d) *Sarcone* l. cit.
e) *Hipp.* Aph. VII. 16. p. 103. et *Gal.* ad h. l.
f) Coac. §. 3. p. 565.
g) *Gal.* Criſ. I. 18. p. 508.
h) *Zimmerm.* Erfahr. l. c. p. 408.
i) *Sarcone* l. c. T. I. §. 172. p. 169.

ea [k]) fere periculoſa et letalis cenſetur. Aeque malum eſt, aegrum nihil omnino exſpuere, dolorem magnum et ſpirandi difficultatem conqueri. Ex his intelligitur, bona in *phthiſicis* ſputa copioſa facileque extuſſita eſſe; at mala, ſi ſupprimuntur. Illico enim ſequantur neceſſe eſt febris exacerbatio et haud raro mors, cum maxime in iis, qui viribus exhauſti ſunt: in *aſthmate pituitoſo ſenum* bonum eſſe, ſputa libere ac modice efferri; at peſſimum, ſupprimi: inducit enim ex facili apoplexiam et catarrhum ſuffocantem.

§. 549.

Sputum tenue, itemque *crudum*, i. e. album, aquoſum, et tenue [l]), ſi morbis acutis, cum maxime pleuritidi, ſuperuenit, malum eſt, niſi tempore cruditatis eſt: *moderate craſſum* vero, bonum, et coctionis perfectae indicium, v. c. in inflammatione pectoris ineunte, vbi certiſſimum ſanitatis [m]) ſignum eſt, ſaepe etiam ſeruat, ſi, procedente morbo, per aceti vaporem euocatur. Vt vero *tenue ac crebrum* [n]) melancholicorum eſt, et vaſa abdominis imperuia, ſanguinis itum et reditum impeditum, malique augmentum notat; ſic *tenue ac ſpumans* [o]) primum magnitudinem morbi, deinde, eo increſcente, periculum, tandem, vbi ad ſummum peruentum eſt, mortem praenunciat. Contra *ſputum crudum*, vbi continuat, diuturnitatem et periculum oſtendit; *coctum* [p]), quod puri non abſimile eſſe dicitur, exitum ſalutarem; *valde viſcidum et glutinoſum*, calorem febris ingentem, vaſa minima inuia, et haud raro ſuffo-

k) *Hipp.* Coac. 416. *Gal.* Criſ. II. 10.
l) Sic *Galen.* Criſ. I. 5. p. 489. et c. 18. p. 508.
m) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 407.
n) *Swieten* Comm. Aph. 1109. p. 507. III.
o) *Zimmerm.* l. c. p. 407 ſq.
p) *Hipp.* Vict. Acut. §. 53. p. 312.

ſuffocationem; *pituitoſum* q), magnam pituitae vim, fauces, aſperam arteriam et bronchia, itemque ſtomachum et ventriculum ipſum obſidentem; et glandularum impotentiam; *viſcidum*, *craſſum*, *praealbum*, *ſubaridum*, difficulter et cum dolore extuſſitum in angina r) ſummum vitae periculum; *tenax et glutinoſum* s), imperfectam coctionem vel nimiam ſiccitatem. At *tenax et craſſum*, *copioſum*, *odoris ſaporisque expers* t), propriam aliquam tabis ſpeciem conſtituit, eamque non minus periculoſam et mortiferam, ac illa, quae a pulmonum vomica et cum ſputis purulentis eſt. Paeter haec *ſputum tenue* tt), *paucum*, *ſpumans*, *pituitoſum*, quod poſt multam tuſſim reiicitur et cum perpetuo aſthmate incidit, glandulas induratas et in ſcirrhum degenerantes; et in morbis pectoris longis *tenue*, *acre*, *male coloratum ac foetens*, vlcus pulmonum deſignat.

§. 550.

Neque minus mala *ſputa ſincera* ſ. *meraca* ſunt, quippe bona ſputa naturaliter miſta eſſe debent. Hinc flaua, fulua, rufa, aeruginoſa, liuida, nigra u), quam primum meraca ſunt, inter peſſima ſigna ſunt, et ſalus deſperanda eſt. Contra *ſputa ſanguinis ſinceri*, *floridi*, *ſpumoſi*, *multi* v), vaſa pulmonum rupta; at cum *pituita vel pure* remixta, oſcula ampliata et laxata.

q) *Macbride* Einleit. l. c. p. 377.
r) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 556.
s) *Gorter* l. c. p. 40.
t) *Zimmerm.* Erfahr. l. c. p. 409.
tt) *Macbride* l. et p. cit.
u) *Proſp.* p. 529 et 539.
v) *Galen.* L. Venaeſ. aduerſ. Eraſiſtr. c. 9. *Macbride* l. c. p. 378.

xata. Ex quo colligitur, ſincerum ſputum in dolore laterum acuto [w]) ſemper male ominoſum eſſe debere.

§. 551.

Sputa inſipida, qualia ſanorum eſſe ſolent, crudam cumulatamque pituitam, laxitatem et debilitatem ſolidarum partium ſignificant: *dulcia* [x]), humorum ex vaſculis apertis exitum, v. c. in iis, qui ſanguinem exſpuunt vel pthiſi conſumuntur, itemque in pleuriticis [y]) periculum; *ſalſa*, acrimoniam muriaticam, cum maxime ammoniacalem, humores primarum viarum glandularumque prauos, nonnunquam foedas cutis papulas [z]) et aſperas, vbi ſputorum ſalſugo et tuſſis ante ſuppreſſa fuerunt; *acria* in acutis ac longis, ſingularem aliquam ſuccorum corruptionem, roſionem, indeque metuendam partium deſtructionem; *amara*, pinguedinem corruptam, et ſi magna oris amaritudo in febre intermittente vrget, bilis abundantiam et difficilem morbi iudicationem; *ſubarida* [a]), ſi anginae ſuperueniunt, neque breui cocta ſuccedunt, periculum haud exiguum; *calida*, humorum concitationem et aeſtum corporis perinſignem; *frigida* vero, vitalium functionum debilitatem, mortemque inſtantem; denique *calida et amara* in febre bilioſa, caloris incrementum morbique exacerbationem denunciant.

§. 552.

Sputa bona odorem non habent, ideoque *foetentia* ſemper mala ſunt, cum maxime in febribus acutis, in quibus humorum corruptionem atque putredi-

w) *Gal.* Criſ. I. 5. p. 487. IV.
x) *Gorter* Prax. l. c. p. 39.
y) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 557.
z) Ibid. § 2. p 543.
a) Ibid. §. 3. p. 556.

tredinem [b]) ſubeſſe auguramur, in iis, quos laterum et pulmonum inflammatio tenet, grauem et periculoſum morbum; in pthiſicis, vlcus pulmonum; in empyicis [c]), dum melius ſe habere incipiunt, recurſionem morbi exitialem; in tabidis [d]), ſi ſputa prunis impoſita peſſimum odorem ſpirant, ſalſa et dulcia ſunt, vnaque capilli defluunt, mortem proximam. Certe *ſputa male olentia, pauca, granulata* eorum propria ſunt, qui febre lenta vel hectica laborant. Praeter haec ſputa foetida, niſi cetera ſigna negligantur, ſaepiſſime luem veneream, digeſtionis vitia, ſtomacacen, ſuccos malos, ſcabiem et vlcera manantia temere retropulſa denunciant.

§. 553.

Sputa varie *colorari* ſolent, ſed optima cenſentur, quae ſanorum hominum non ſunt abſimilia. Indicant ergo *ſputa alba* magnam pituitae vim, glandulis aſperae arteriae eoque pertinentium partium moleſtam, laxitatem, debilitatem, in pituitoſis ſpem, in bilioſis [e]) grauem morbum; in malis iis, quae pectus occupant, vbi maturius prodiit, coctionem, et haud raro iudicationem bonam; at vero *pallidum*, vbi poſt album oritur, incertum morbi exitum. Sic etiam *ſputa ſordida*, corruptionem, *purulenta*, niſi qua febris ſubeſt, vlcus viſcerum, cum maxime pulmonum, denunciant. Alias bona ſunt, ſi mature [f]) veniunt, et omnino pectus liberant; contra ſi copioſa ſunt, et diu continuant, latentem vomicam, abſceſſus, tubercula pulmonum et phthiſin [g]). Qua de re in

b) *Proſp.* p. 540.
c) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 562.
d) Ibid. p. 563 et 565. Aph. V. 11. 12. 14. p. 91.
e) *Proſp.* p. 526.
f) *Gorter* l. c. p. 40.
g) *Haen* Rat. Med. IX. c. 2. §. 4. p. 61.

in iis, quos dolor laterum acutus [h]) tenet, ſi *ſputa mere purulenta* in principio incidunt, peſſima ſunt, et die tertio aut quinto, aut decimo quarto mortem portendunt, certe niſi poſthaec aegri ſe melius habeant, futuram ſuppurationem. Hinc *ſputum album*, *pituitoſum* et *inſipidum*, eorum eſt, qui deſtillatione aegri ſunt; et ſi vna *ſalſum* eſt, vlcerationem inducere poteſt.

§. 554.

Sputa flaua et veluti *crocea* in pulmonum inflammatione humores lentos in eorum anguſtiis haerere, et ſolam partem tenuiorem ſ. feroſam permeare, itemque in reſolutionem putridam pronos eſſe notant; at *ſubflaua*, *ſubfulua*, *ſubpallida*, aliquanto *ſpumantia*, *tenuia* [i]), cruditatem, eamque nec adeo metuendam; contra vbi *flaua* et *fulua* malis coloribus [k]) inficiuntur, v. c. *craſſa*, *glutinoſa*, *albidiora*, *viridia*, *ruſa*, *aeruginoſa*, *liuida*, *nigra*, *ſpumoſa*, *rotundata* ſunt, peſſimam humorum conditionem et haud leue vitae diſcrimen, ſi continuant, neque dolor ceteraque ſymptomata ſe remittunt: Prae ceteris vero terrere debent, ſi *flaua et ſincera* ſuperueniunt. Sed ſecuritatem pollicentur, quae cum pituita alba ſ. flaua et ſtriis ſanguinis [l]) exiguis, itemque deiectione ac vrina turbida die decretorio accedunt. Saepe etiam *ſputa bilioſa*, *viridia*, *liuida*, *nigra*, a ſanis extuſſiuntur magno cum commodo, at in morbis cruditatem et

h) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 557. *Gal.* in Progn. Com. II. 55 p. 781. IV.

i) *Gal.* Criſ. l. 5. p. 488.

k) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 543. et *Gal.* in Progn. Comm. II. 46. p. 777.

l) *Sarcone* l. c. p. 170.

et malignitatem materiae m), et vires naturae inferiores denunciant. Similiter *verſicolora* peſſima ſunt, itemque *tenacia*, *pituitoſa* et quaſi *brunea* n), vbi interanea inflammatio tenet: gangraenam enim portendunt.

§. 555.

Vt vero *ſputa liuida*, *glutinoſa*, *ſanioſa* o), et quae vini rubri fecem mentiuntur, at colore nigriori et odore grauiori ſunt, ſanguinis miſturam ſublatam peſſimamque pulmonum gangraenam ſignificant; ita *cruenta* vel *ſubrubra* inter pleuritidis atque peripneumoniae mitiſſimae p), coctionis facilis proſperique iudicii ſigna ſunt: Cum *multa tuſſi* q) copulata ſaepe ſanguinem e pulmonibus erupturum eumque ſpumantem praeſagiunt, indeque metuendam phthiſin r). At ſi *ſputa cruenta* acutis pectoris morbis ſuperueniunt et diu ſubſiſtunt, terrere ob futuram ſuppurationem, empyema et tabem ſ) debent. In *varioloſa* t) febre mortifera ſunt: contra in *phthiſi* a menſtruis ſubito ſuppreſſis u) primum grumus, poſt ſanguis ſincerus reiicitur cum pauca pituita miſtus, tandem purulenta et olidiſſima fiunt. Si corpus quodammodo ad ſanitatem venit, foetor fere ceſſat, et quaſi inducias facit, donec grumi circa menſtrua futura denuo profluunt.

§. 556.

m) *Hipp.* Aph. VII. 69. p. 108.
n) *Zimmerm.* Erfahr l. c p. 410.
o) *Huxham* Diſſ de Pleurit. c. 2. p. 190. *Sarcone* l. c. T. I. § 172 p. 170
p) *Gal.* Comm. in VI. Epid. III. 44. p. 686. III.
q) *Gorter* l. cit. *Hipp.* Aph. V. 13. p. 91.
r) *Hipp.* Aph VII 15
ſ) Ibid. V. 8. p. 90.
t) *Sydenh.* de febr. putrid. p. 378. I.
u) *Zimmerm.* l. c. p. 408.

§. 556.

Sputa coenoſa, quae *argillae fluentis* [v]) ſpeciem habent, in deſperatis phthiſicis pulmonum gangraenam et deſtructionem denunciant: *rotundata* ſ. *globoſa* [w]), phthiſin imminentem, aſthma ſcirrhoſum [x]) et delirium [y]), ſi cetera ſigna non deſunt: *granulata* et *odorem* ingratiſſimum, dum digitis conteruntur, *ſpirantia* [z]), non neglectis reliquis ſymptomatis, opertam pulmonum vomicam.

§. 557.

His praemiſſis, facile intelligetur, quae *ſputa bona* ſint, quae *mala*. *Bona* ex veterum et recentiorum medicorum obſeruatione [a]) ſunt, in *morbis pectoris*, in quibus nulla *inflammationis* vel *febris* ſuſpicio ſubeſt, quae alba, laeuia, aequalia, moderate craſſa, nec adeo viſcida, nullo prauo colore infucata, v. c. pallido, viridi, liuido, nigro, ſunt; quae facile ſine multa vel vehementi tuſſi, cum ſignorum alleuatione, excernuntur. *In acutis* vero *pectoris morbis*, v. c. inflammatione laterum [b]) et pulmonum, *bona ſputa* ſunt, alba ab initio, laeuia, aequalia, ſanguine pauco contaminata, ſubflaua, facile et tertio iam die

Z 2 matu-

v) *Benedict.* Theatr. Tabid. p. 68.
w) Sic expertus ſtatuit *Proſper* VII. 16. p. 525.
x) Sic quater ego vidi et notaui in Morb. Antiquit. Sect. II. n. 9. p. 213.
y) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 3. p. 806. et Sect. 6. p. 813. et *Galen.* Comm. in h. l. p. 682. III.
z) Sic *Baglius.* Sed negat Ill. *Zimmerm.* l. c. p. 410. etſi nos a *Bagliui* partibus ſtare cogimur. Nam bis iſta in aegris vidimus, quorum pulmones poſt mortem vlcuſculis purulentis et ſcirrhis minutulis refertiſſimi obſeruabantur.
a) *Hipp.* Coac. l. c. et alias paſſim: *Proſp.* VII. 17. p. 531 ſeq.
b) Progn. §. 13. p. 459. Coac. §. 3. p. 558.

maturari atque exſpui coepta [c]), ceteris emiſſariis non intercluſis; at minus tuta ſunt, quae ſerius incidunt. Denique in *ſuppuratis* bonum ſputum cenſetur, quod album, laeue, decoloratum, pituitoſum et copioſum eſt, ſine moleſtia et tuſſi valida educitur, et dolorem, febrem, ſitim, reſpirationem difficilem minuit vel tollit, et cum ſomno, vrina, aluo, ſudore bono eſt. Contra mali morbi teſtimonium eſt, vehementer et crebro ſpirare, vix exſcreare, dolorem habere continuum, ſitim vehementem et humorem glutinoſum dentibus inhaerentem, febrem inordinatam, pectus calidiſſimum, frontem vero, manus pedesque frigidos [d]).

§. 558.

Contraria *ſputa* omnia omnino *mala* ſunt, puta, pituitoſa, ſalſa, acria, tenuia, craſſa ſ. viſcida, birioſa, in phthiſicis nigra ſ. vinum nigrum [e]) repraeſentantia, melancholica, cruenta copioſa, nec alleuantia; porro in laterum pulmonumue inflammatione [f]) adultiore praetenuia, vel nimis craſſa et viſcida, ſpumoſa, purulenta, rotunda, multa, nec iuuantia, pauca, nulla, ſuppreſſa, multifarie colorata, alba, pallida, cruenta ab ineunte et procedente morbo, flaua vel fulua, viridia, aeruginoſa, liuida, nigra, foetida, cum maxime meraca, difficulter et cum ſtertore extuſſita, malum reſpiratum, dolorem, tuſſim, febrem, concitantia et augentia cet.

SVBSE-

c) Coac. l. cit.

d) Progn. §. 14. p. 459.

e) Coac. §. 3 p. 563.

f) *Gal.* de Tot. Morb. Temp. c. 5. p. 361. III. *Proſp.* l. cit. c. 18. p. 533 ſeq.

SVBSECTIO II.

DE TRANSPIRATIONE ET SVDORE, VT SIGNIS.

§. 559.

Corpus humanum ſemper tranſpirare, experientia, optima artis medicinalis magiſtra, et experimenta SANCTORII, GORTERI, KEILII, cet. ſatis ſuperque confirmant. Hinc *bonum* in morbis *ſignum* eſt, cutim aequaliter mollem eſſe, et exſpiratione blanda leniter humectari; *Malum* vero, eam ſiccam, aſperam, contractam et aeſtuoſam eſſe; Ex eo enim vaſcula minima inuia et obſerata, calor corporis ingens, difficilis humorum coctio, et morbus grauis colligitur, niſi breui ad naturalem formam veniat.

v. PROSPER de Praeſagienda vita et morte, L. VII. 5. p. 452 ſequ.

SANCT. SANCTORII Aphoriſmi de medicina ſtatica cum ſchol. ANDR. RIDIGERI, Lipſ. 1762.

IO. DE GORTER de Perſpiratione inſenſibili, ed. alt. Lugd. Bat. 1736.

§. 560.

Mador cutis exiguus, quem Graeci ἐφίδρωσιν appellant, ſiue vniuerſum corpus occupet, ſiue ſingula membra, indicat aut humorum copiam et tenuitatem, aut vaſculorum minimorum et corporis debilitatem, et haud raro malus eſt. At ſi *tranſpiratio ſupprimitur* g), laſſitudo, grauitas corporis, dolor, deſtillatio, longa inualitudo, varii morbi graues, febris diaria, ſynochus ſimplex cet. oriuntur.

§. 561.

Sed frequentior et communis fere morborum, cum maxime febrium, comes *ſudor* eſt, cuius va-

 ria

g) *Gorter* Prax. L. III. Tr. 2. 187. p. 180.

ria ab auctoribus genera commemorantur. Sunt enim dicti

1) *A loco*, vniuerſales vel partiales.

2) *Ab origine*, ſponte ſua vel per artem aut vim morbi concitati.

3) *A tempore*, *ſanorum* vel *aegrorum* corpora occupantes: hi vero aut perpetuo adſunt, et *adſidui*, *interpolati*, *decretorii* vel *ſymptomatici* appellantur; aut per *ſtata tempora* reuertuntur, v. c. vere, autumno, certis in morborum generibus et ſtadiis, cet.

4) *Ab effectu*, largi, parui, breui euanidi, reficientes, debilitantes, colliquantes, ſalutares, pernicioſi.

5) *Ab conſiſtentia*, tenues, aquoſi, praecraſſi, tenaces, lenti, viſcidi, oleoſi, eorrodentes.

6) *Ab odore*, odoris expertes, olidi, foetentes.

7) *Ab ſapore*, ſalſi, ſubamari, lixiuioſi, acidi.

8) *Ab colore*, lactei, ſanguinei, flaui, virides, caerulei, *nigri*, lintea fucantes.

9) *Ab figura*, milii ſimiles, guttatim et vbertim profluentes.

10) *Ab qualitate*, calidi vel frigidi.

v. IVL. CAES. BARICELLI *a S. Marco* de hydronoſa natura ſ. ſudore humani corporis L. IV. in quibus non ſolum de origine, differentiis et praeſagio, verum et de vſu, apparatu et curatione ſudorum diſſeritur, Neap. 1614. 4.

§. 562.

Sudor ſiue *vniuerſum corpus*, ſiue *membra* occupet, non temere ſupprimendus eſt: Grauia enim exinde mala et ipſa mors oriri ſolent. Prior tamen praeſtat, quippe hic inaequalem humorum motum, vias vaſculorum minimorum cluſas, debilitatem, et conuul-

conuulſionem notat. Hinc *ſudor generalis* vbi iuſto morbi tempore calidus incidit, continuat, et copioſus eſt, etiamſi quodammodo olidus, optimus et decretorius eſt: de quo alio loco pluribus: At ſine his ſignis, liquationis, debilitatis et ſummae humorum corruptionis, in phreneticis [h]) reſolutionis et mortis appropinquantis index eſt. Contra vbi *in membro* [i]) aliquo ſudor inſidet, ſcire licet, hoc potiſſimum affectum eſſe, v. c. ſudare caput in apoplexia, phrenitide, morbis ſoporis, frontem in iis, quos morbus herculeus vrget, isque plerumque bonus; pectus in aſthmate conuulſiuo, catarrho ſuffocante, pulmonum inflammatione [k]), in qua primis diebus fere iugulat. Haud raro *manus* vel *pedes ſanorum* tenet, atque ſaluti eſt: hoc enim temere ſuppreſſo, peſſima mala naſcuntur, v. c. ſpiratio difficilis, conuulſio, morbus herculeus, delirium, ſopor; interdum ſudor ille et fluor albus vel deiectio foetidiſſima [l]) alternant. Eſt vero in morbis acutis fere *malus* et exitialis, ſi ex capite ſolo, fronte, ceruice, collo, pectore, fertur, cum maxime ſi frigidus [m]), interſectus vel nimius eſt, ſi cum viribus fractis, et ſyncope, pulſu paruo et debili copulatur. Nam is, ſub quo *ceruix* [n]) friget, morbum grauem et longum denunciat; is, qui *alterum latus* [o]) occupat,

h) *Proſp.* l. cit. p 462.
i) *Gorter* Prax. L. III. T. 3. 185. p. 182.
k) *Hoffm.* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. §. 34. p. 323.
l) *Klein* l. c. p. 79.
m) *Hipp.* Progn. §. 5. p. 451. Coac §. 4. p. 529. *Hoen* Rat. Med. T. VIII. c. 1 ſequ. *Zimmerm.* Erfahr. T. 1. B 3. p. 422.
n) *Hipp.* L. Iudic. §. 6. p. 442. I. Vict. Acut. §. 53. p. 312. II.
o) *Klein* Int. Clin. p. 278.

et diu ſubſiſtit, hydropem fere progenerat; is, qui *ſolis ſupernis partibus* p) inhaeret, periculoſus eſt; minus vero, quem grauidae experiuntur.

v. PETR. IMMAN. HARTMANN Diſſ. de ſudore vnius lateris, cet. Hal. 1751.

§. 563.

Si *ſudor* homini *ſano* a cauſſa ſubita facileque tranſitura, v. c. motu animi corporisue ingenti, labore, exercitatione, aëris circumfuſi calore, oritur, metuendus non eſt. Sine his corpus aegrum morbumque inſtantem q) denunciat. Itemque is, qui quouis *mane modicus* eſt, et membra leuiora relinquit, bonus eſt; at cum virium debilitatione, malus. Ab *copioſo ex ſomno* r) *ſudore* citra vllam cauſſam perſpicuam orto, colligitur ſtomachus impletus, humorum abundantia, et motus aequabilis; ex *immodico* morbus futurus; ex *diuturno*, *nocturno*, *matutino* s), qui eodem tempore reuertitur, morbus diuturnus; ex *pauco* poſt narium haemorrhagiam et cum refrigeratione iuncto, debilitas: Sic etiam *ſudor vernus* vel *autumnalis*, vbi per aliquot dies continuat, et paullo poſt reddita corporis agilitate, ſponte ſua conquieſcit, optimus eſt morborum grauium auerruncator, et *ſudores multi in febribus* t) praeſagiri debent, vbi aeſtate, veri non abſimili, accedunt. Quae ſudorum ſalutarium genera ſi ſubito et ſine vlla cauſſa ſupprimuntur, ſcire licet, morbum breui adfuturum, niſi emiſſaria ſueta iterum aperiantur, aut arte expediantur. Hinc ſi quis eos

ſudor

p) *Gorter* l. cit.
q) *Hipp.* Aph. IV. 38. p. 86.
r) Ibid. Aph. 41. p. 86. *Lieutaud* T. II. S. 4. p. 256.
s) *Gorter* Prax. L. III. T. 3. 185. p. 182.
t) *Hipp.* Aph. III. 6. p. 78.

ſudor fortis praeter conſuetudinem apprehendit, et vires corporis inſtaurat, morbum fugaſſe putandus eſt. Contrarium contrarii ſudoris augurium eſt.

§. 564.

Sudor copioſus in febrium acutarum principio ſemper malus eſt, niſi valido et humorum abundanti corpori ſuperueniat: In hoc enim magna materiae morbóſae pars ſimul expellitur; In infirmis vero, exſuccis, macilentis, diſſipando humore pertenui, ſpiſſitudinem humorum, obſtructionem, aeſtum, inflammationem, et intutam coctionem portendit: At vbi, morbo adultiore, viribus aegri peſſumdatis, ſymptomatis exacerbatis, accedit, putridam humorum ſolidorumque corruptionem et ſummum vitae diſcrimen. *In fine* non niſi is bonus eſt, poſt quem aeger melius ſe habere incipit: Alias exinde deliria, conuulſiones, eruptiones cutis variae et acutae, periculoſa materiae demigratio, interdum ipſa mors inſequitur. Contra ſi *poſt rigorem* tt) oritur, et per omne corpus aequabiliter molle ac calidum ſe diffundit cum aegri alleuatione, indicio eſt, conuulſionem reſolutam eſſe, ſanitatemque breui redituram. *Nimius* u) tamen extremam debilitatem, et poſt ſudorem frigidum mortem certam notat. Hinc in tabidis ſemper metui debet: alias vero, vbi febris non remittit v), difficilem morbi finem, et exitium, ſi cum ſignis peſſimis eſt.

tt) *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 1. p. 8 ſq.

u) *Zimmerm.* l. c. p. 423.

v) *Cope* Demonſtr. p. 48. *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 1. p. 14.

§. 565.

Bonus ergo *in febribus acutis ſudor copioſus* eſt, qui poſt febris intermittentis deceſſionem [w]) naſcitur, aegrumque iuuat; qui, abacta deiectione, guttatim [x]) erumpit, qui ſenſim exoritur, et cum maxime ex loco affecto [y]) praearido et inflammato; qui calidus et magnus eſt, continuat, ſine anxietate, at tempore iuſto, i. e. die decretorio [z]), corpore toto, cum ſymptomatum remiſſione ac virium inſtauratione fit; quem omnium corporis functionum integritas ſequitur. *Malus* vero et haud raro *exitialis* eſt, in quo contraria eueniunt, puta ſi copioſus et continuus [a]) eſt, ſi exiguus [b]) et continuus, vel illico deſinit; ſi ex anxietate [c]) frigidus effertur, v. c. in febre acuta et inflammatoria, poſt ſumta venena, et egeſtiones nimias; ſi febrem non iugulat, etſi corpus aequaliter totum inſudat. Magis tamen terrere debet, ſi ſudor circa partes aliquas et frigidus effluit; is enim morbum grauem et longum, reuerſionem, haud raro mortem ſignificat. Malus etiam ſudor eſt, ſi poſt dolorem colicum pertinaciorem copioſior erumpit, viribus iam labefactatis atque exhauſtis; pareſis [d]) enim in propinquo eſt: ſi milium [e]) refert, et collum ſolum occupat; ſi a vitio aliquo fixo [f]), v. c. abſceſſu

w) *Lomm.* Obſ. Med. III.
x) *Hipp.* Progn. §. 5. p. 451.
y) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 555.
z) Ibid. §. 4. p. 579.
a) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 1. p. 672. et Aeg. 8. p. 679. III. Sect. 3. Aeg. 4. p. 733.
b) *Gal.* Sympt. Cauſſ. III. 2. p. 105. III.
c) *Hipp.* Coac. §. 4. p. 579.
d) Progn. §. 5. p. 452.
e) Ibid. p. 451.
f) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 4. p. 206.

ceſſu interno, naſcitur, quippe is vires tollit, et in febre lenta ſemper mali ominis eſt. Nam ſi *colliquatiuus* ſit; i. e. copioſus, perpetuus, tenax, viſcidus, pinguis, foetidus, cum calore depaſcente iunctus, ſcire licet, mortem appropinquare.

§. 566.

Sudor coloratus quisque malus; *ſanguineus* g) haud raro reliquarum egeſtionum vicarius eſt, et ſi poſt conuulſiones graues oritur, terrere non debet: hac enim via morbus fere tollitur. Contra vbi febri putridae et malignae, in qua humorum reſolutio ſubeſt, incidit, periculoſi morbi index habendus eſt, praeſertim ſi ſub axillis h) exiit, burgundicum vinum colore referens et lintea tingens. At ſi *ſudor croceus* i) febri putridae ſuperuenit, ex eo ſanguis reſtagnans et putredine reſolutus colligitur.

§. 567.

Vt vero *ſudor largus*, *viſcidus* et ex digitorum iudicio *pinguis* magnam humorum ad cutim delatorum cruditatem, vaſculorum minimorum oſcula laxata, et morbum grauem denunciant; ſic in morbis acutis ac longis *foetens et viſcidus* acrimoniae multae, a glutini naturalis vinculis liberatae ac ſubtilioris teſtis et index eſt, interdum ſi nimius, citra febrem, et cum odore cadaueroſo eſt, ipſius exitii k). Sequitur enim debilitas incredibilis, pallor, marcor, animus puſillus eiusque defectio, tandem mors, v. c. in febre maligna et hectica l). Perraro in febribus acutis et variolis m) saluti fuit. Saepe ab hoc ſudore

g) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 3. 185. p. 182.
h) *Huxham* de Febr. c. 5. p. 51. II.
i) Ib. Diſſ. de Pleurit. c. 2. p. 193. II.
k) *Kloekhof* Diſſ. de Morb. Anim. p. 38.
l) *Hoffmann* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. §. 36. p. 225.
m) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 4. p. 207.

re *cutis vlceratur*: vnde colligimus malam ſuccorum miſturam malamque indolem, quae ſi aut cum ceteris ſignis iungitur, aut ad morbi finem accedit, inter mali morbi indicia eſt.

§. 568.

Neque raro *ſudor acidum* n) ſpirat, isque in longis morbis effoetas naturae vires, in acutis humores in corruptionem alcalinam et putridam propenſos denunciat. Singularis odor fereque nidoroſus iis ineſt, quos lues venerea, ſcabies, variolae, morbilli, purpura o) tenent, qui a loco vario, vnde exſpirat, varius eſſe videtur, v. c. in coma capillacea, ſub axillis, inguine, cet.

§. 569.

Sudor calidus in morbis ſemper bonus eſt; at *frigidus* prae caeteris malus. In longis enim diuturnitatem et pertinaciam mali p), in acutis internam viſcerum inflammationem q), gangraenam et mortem r) oſtendit. Interdum fere *decretorius* rr) eſt, modo corpus ſenſim incaleſcat, pulſus attollatur, et ſigna mala conquieſcant. Contra minus terribilis ſudor frigidus eſt, qui hypochondriacos, cardiacos, hyſtericas vrget, quippe cum ipſa conuulſione deſinit.

v. IO. GVIL. KRETSCHMANN Diſſ. de frigido in morbis ſudore, Hal. 1760.

§. 570.

n) *Swieten* Comm. Aph. 89. p. 130. I.
o) *Hoffmann* l. c. §. 30. p. 220.
p) *Hipp.* Aph. IV. 37. p. 85. et Aph. 42. p. 86.
q) *Bagliu.* Prax. I. p. 67.
r) *Hipp.* Iudic. §. 6. p. 442. *Proſp.* l. c. p. 466.
rr) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. p. 8. Opuſc.

§. 570.

Sudorem in morbis *ſubito ſupprimi*, malum eſt: Exſpectare enim aut morbum recidiuum, aut peiorem et periculoſiorem, v. c. inflammationem internam, animi defectionem, conuulſionem, hydropem s); aut denique intutam materiae morboſae migrationem debemus, vnde mors vel febris lenta oritur. Idem periculum eſt, ſi poſt magnos copioſosque ſudores corpus non integrum ſit. At prorſus *deficere* in iis morbis, qui ſudore iudicari ſolent, v. c. febre continua, peſſimum habetur, niſi alia egeſtio ſuperuenit. Tunc enim aut obſtructio adeſt inſuperabilis, aut virium debilitas, aut reuerſio mali, aut mors t).

SVBSECTIO III.

DE VRINA, VT SIGNO.

§. 571.

Magni momenti et vſus ad morborum, cum maxime acutorum, naturam intelligendam et diiudicandam *vrinae* cognitio eſt, et tanta eius vis atque poteſtas, vt, auctore GALENO u), et *ipſi ſoli credendum ſit, aliis vero accedentibus etiam, diuinatio tibi futura ſit firmiſſima, perpetuoque veridica.* Huius liquoris obſceni ſigna et ſtudioſius collegerunt ac indicarunt medici veteres, et recentiores maximam partem veriſſima inuenerunt, vt nuper Ill. HAENIVS v) praeclare demonſtrauit. Caue tamen, ne in ſtatuendo eius pretio vel vſu reprobando

s) *Lieutaud* l. c. T. II. S. 4. p. 205 ſq.
t) Aph. II. 27. p. 74. Epid. III. Sect. 3. Aeg. 1. p. 730.
u) Comm. I. in VI. Epid. t. 10. p. 602. III.
v) Rat. Med. T. I. c. 5. p. 75 ſq.

bando ſis nimius: Media enim via tutiſſimus ibis. Index ſine dubio optima vrina eſt, ſiue ſolidae corporis partes, ſiue fluidae peccent. Neque vero ſola ſufficit, niſi etiam cetera ſigna ſimul in ſubſidium adhibeantur. Etenim haud raro poſt peſſimas vrinas morbi perfecte iudicati ſunt, et poſt optimas aegri diem ſuum obierunt [w]). De nugis vero et praeſagiis futilibus, quac paſſim adferuntur, non attinet multis diſſerere. Ridicula ſunt et infra medici virique probi dignitatem poſita.

v. THEOPHILVS de vrinis, Lugd. Bat. 1703. 8.
ACTVARIVS de vrinis, Baſil. ap. Andr. Cratandrum 1529.
EL. RVD. CAMERARII Diſſ. quale ſignum in morbis praebeat vrina, Tubing. 1680.
A compleat treatiſe of urines ſhewing the right method of urinal prognoſtication for different form the common practice of Quack and nauntebank by T. H. Lond. 1703.
REGA Tr. de vrinis, Louan. 1733.
ABR. IAC. S' GRAEVWEN Diſſ. ſiſtens medicinam ex vrina, Harder. 1771.

§. 572.

Adferunt vero medici varia vrinarum genera variaque nomina; quibus quoniam carere nemo poteſt, qui veterum recentiorumque ſcripta legere ac intelligere velit, praecipua delibare placet. Dicitur *vrina* eſſe vel *naturalis* ſ. *ſanorum*, i. e. ſubfulua, citrina, flaua, ſubflaua, moderate craſſa, colore immutabili, odore ſingulari, potui reſpondens, et in qua ſubſidunt alba, laeuia, aequalia, ſic, vt mulierum albidior ſit et ſubſidentia copioſa, puerorum vere

w) *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 2. §. 5. p. 29 ſq.

vere ſubſidentia craſſa [x]); vel *praeternaturalis* ſ. *morboſa*, ſi illa colore, conſiſtentia, quantitate cet. a naturali abhorret. In quo tamen iudicio ſpectanda potiſſimum videntur *aër circumfuſus*, *aetas*, *ſexus*, *temperies*, *cibus et potus*, *motus corporis et quies*, *ſomnus et vigilia*, *perturbationes animi* rel. Aiunt tamen *vrinam in morbis optimam* [y]) eſſe, quae ſanorum hominum vrinae ſimillima eſt, ſubpallida, bene colorata, ſubflaua, et in qua nubeculae tales fluctuant, ea vero, quae ſubſidunt, alba, laeuia, aequalia ſunt; at vero *malam*, ſi albas, laeves et aequales nubeculas repraeſentat, nec habet ſubſidentia. Ex quo etiam vulgaris vrinae diuiſio colligitur in *vrinam potus*, i. e. quae paullo poſt coenam pellucida profluit, et *vrinam ſanguinis*, i. e. quae quinta ſextaue poſt paſtum hora meiitur, paullo acrior eſt, et colorem citreum habet.

§. 573.

At in morbis alia adhuc attendenda ſigna ſunt, ſumunturque illa

1) *Ab conſiſtentia:* Haec *tenuis*, *aquoſa* et *pellucida*, *tenuis* et *opaca*, *tenuis* et *nigra*, *craſſa* et *pellucida*, quam vere dari negat PROSPER [z]), ait FIENVS; itemque *craſſa et opaca*, *turbida*, quae aut talis mingitur et breui clareſcit, aut ita permanet, quam *ſubiugalem* ſ. *iumentariam* nominant, quia, quoad craſſitudinem et colorem turbatum, vrinae iumentorum non abſimilis eſt; aut quae, dum mittitur, pellucida eſt, ſed paullo poſt turbatur; denique *oleoſa* ſ. *pinguis*.

2) *A*

x) *Galen.* L. de Vrin. c. 16. p. 481. IV. *Aëtius* Tetr. II. S. 1. c. 28. p. 195. Coll. *Steph.*
y) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 498. IV.
z) L. VII. 12. p. 494.

2) *A colore*, vrina primum *alba* eſt, cuius formas ſtatuunt *cryſtallinam*, *aqueam*, *lacteam*, *glaucam* ſ. cornu ſemipellucidum referentem, *cineream*, i. e. quae quaſi pilos camelorum ſubalbidos mentitur, tandemque *plumbeam*; deinde *flaua* eſt, qua iterum comprehenditur *ſubflaua*, *ſpicea* ſ. coloris citrini palearis, i. e. diluta et citrina; *citrina* ſ. flaua aliquanto viridior, *fulua* ſ. *aurea*, *crocea* ſ. valde flaua et ſplendidior [a]), *fuſca* ſ. quae ex flauo ac rubro, vel, vt alii contendunt, ex flauo et nigro conflata eſt. Alia vrina *rubra* dicitur, cuius ſpecies ſunt *roſea*, *rutila* ſ. *aurea*, in ruborem procliuior et veterum *rufae* reſpondens; *rubea* ſ. malum punicum colore referens, *ſubrubea* ſ. bolo Armenae non diſſimilis, vel etiam *latericia*, *flammea*, *ſpadicea*, *phoenicia* et *rubida*, quae in nigrum colorem fere deſinit. Sequitur *vrina nigra*, eaque continentur *lixiuioſa*, *cereuiſiaria*, *vinea* ſ. colorem ſaturum vini rubri et craſſi reddens, ideoque nigricans, quam alii hepati e viui animalis corpore recens exemto ſimilem eſſe aiunt; *paſſea* ſ. muſto ad dimidium cocto non diſſimilis, *veneta* ſ. ex puro albo et nigro conflata, vel craſſa et turbida, terebinthinam Venetam repraeſentans; *oleacea* ſ. ſimilis colore oleae foliis; *viridis*, i. e. quae, auctore THEOPHILO [b]), ad braſſicae herbarumque colorem accedit, et ſub qua *vrina aeruginoſa*, *ſmaragdina*, *glaſtea*, ſubſunt; tandem *liuida vrina*, quae magis obſcura, quam fuſca, eſſe ſolet.

3) *Ab*

a) *Gal.* de Vrin. c. 3. p. 475.
b) De Vrin. p. 85.

3) *Ab odore* vrina dicitur *inodora*, qualis vrina potus eſt, vel *odora*, eaque iterum eſt *vrinoſa*, *ſuaveolens*, v. c. poſt ſumtam braſſicam capitatam, aſparagum, terebinthinam cet. aut *graueolens* et *foetida*.

4) *Ab quantitate* vrina eſt *multa*, *pauca*, *mediocris*; interdum *guttatim* effluit, interdum *ſupprimitur* et prorſus *deficit*.

5) *Ab iis*, *quae vrina continentur*, etiam quaedam ſigna repetunt. Nam vrina ſuperius innatat *nubes* ſ. *nubecula*, in medio *enaeorema* ſ. *ſuſpenſum et ſuſpenſa*, *ſublimatio*, *ſublime*; et in fundo matulae quae reſidunt, *hypoſtaſis*, *hypoſtema*, *ſedimen*, *ſedimentum*, *reſidentia*, *ſubiecta*, et apud CELSVM tantum non ſemper *ſubſidentia*, appellantur: Id quod veteres hoc verſiculo comprehenderunt:

In ſummo eſt nubes, ſubſidet hypoſtaſis imo,
Aſt enaeorema permanet in medio.

Ea vero, quae in vrina ſubſidunt, denuo diuidunt in *tenue*, *dilutum*, *aquoſum*, *album*, *craſſum*, *oleoſum*, *vrinoſum*, *continuum vel diuulſum*, *laeue*, *aſperum*, *foetens*, *coctum* vel *incoctum* cet. Huc etiam ea pertinent, quae vrinae ſaepenumero inſunt, puta, *arenulae pertenues*, ſ. *miculae*, *ſabulum*, *calculi*, *fila quaedam tenuia et alba*, *carunculae*, *membranae*, *mucus*, *ſanguis*, *pus*, *ſquamulae*, *furfures*, *farinae*, *bullulae et ſpuma*, *vermes* cet.

Schol. De *ſignis ex ſapore* ac *ſono* non attinet multis diſputare. Sunt enim iſta longe falaciſſima, et, vt nobis videtur, indigna medici perſona, etſi SCHAARSCHMIDTIVS Semiot. Sect. III. §. 53. p. 361. auctor eſt, vrinam, quae ſaporem nullum habeat, colo-

rem tamen reſiduum, in morbis acutis eſſe habendam mortis praenunciam.

§. 574.

Exordiamur igitur ab iis ſignis, quae *vrinae tenui* ineſſe feruntur. Indicat vero laxitatem, debilitatem, extremam humorum cruditatem, materiam morbi intus retentam, et obſtructionem artam, v. c. in febre quartana et ingraueſcentibus renum ac inteſtinorum doloribus, conuulſione, acceſſione hypochondriacorum et hyſtericarum noua; in febribus longis et incertis, nec vehementibus, periculum; et in febrium acutarum incremento vel fine c) peſſimum vtplurimum exitum, intutam materiae morboſae demigrationem, malum recidiuum, conuulſiones, deliria, vigilias; *tenuis et coloratior* d), ſalutem, praeſertim ſi poſt vrinam craſſam, grumoſam, paucam, et ſubſidentia aliqua, *tenuis et copioſa* e) oritur: in longis f) vero corruptionem et liquationem peſſimam; at *decolor* et cum ſignis bonis iuncta g), abſceſſum; *tenuis cum nubecula* in medio innatans h), rigorem; *tenuis, bilioſa* i) et *varia*, in qua lenta et viſcida ſubſidunt, cum maxime vbi ſerius et poſt iudicationem impeditam mingitur, periculum; *tenuis et pellucida*, in febre lenta, itemque *tenuis et bilioſa* k), morbum longum; *tenuis, aquoſa, alba, continua,*

c) *Gort.* Prax. L. III. T. 3. 186. p. 187.
d) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 6. p. 678. et Aeg. 10. p. 680.
e) Aph. IV. 69. p. 88.
f) *Gorter* l. c.
g) Epid. III. Sect. 3. Aeg. 12. p. 738. et *Gal.* Comm. in h. l.
h) Coac. §. 3. p. 576.
i) Ibid. §. 5. p. 580.
k) Ibid. §. 5. p. 583.

tinua [l]), in febre acuta crudos, glutinoſos et denſos humores, conuulſionem, delirium, phrenitidem, et mortem ipſam, vbi in vigore eius et ante dies decretorios copioſior eſt; *tenuis et cruda* [m]), ſi continuat, in acutis morbis, periculum, et niſi abſceſſus ſuperueniat, poſt ſigna mala, mortem futuram; at poſt mitiora ſalutem, in febre intermittente [n]), itemque in iis, quibus morbus herculeus [o]) moleſtus eſt, nouam acceſſionem, praeſertim ſi cum torpore ac grauitate corporis, ſomno turbulento, dolore ſummi humeri, colli, dorſi, vel conuulſione ipſa copulatur, neque abſimiliter *tenuis et aquoſa* in nephreticis: *tenuis et alba* [p]), debilitatem extremam; *tenuis*, *aquoſa* [q]), *multa*, niſi a potione eſt, in qua nec nubecula inhaeret, nec aliqua ſubſidunt, irritamentum, conuulſionem, ſiue vniuerſum corpus teneat, ſiue abdominis viſcera, renes cet. intimam olei, ſalis, terrae in ſanguine tenacitatem et aquoſae partis expulſionem, in acutis conuulſionem multam, cruditatem humorum et debilitatem viſcerum, in longis obſtructionem lentam, indeque oriunda mala: hinc in hyſtericis, hypochondriacis, parturientibus, et iis, qui ex malo corporis habitu laborant, ſolam conuulſionem, eamque non metuendam, in grauiter vero aegrotantibus delirium, phrenitidem, inflammationem internam [r]), et haud raro gangraenam, con-

l) Aph. IV. 72. p. 89. *Gal.* ad h. l. *Aetius* Tetr. II. S. I. 37. p. 197. Coll. *Steph. Proſp.* VII. 15. p. 513. *Hoffmann* l. c. §. 13. p. 307. *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 484. p. 170.

m) *Gal.* in Progn. Comm. II. 34. p. 772 ſequ. IV.

n) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 37. p. 7.

o) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 584.

p) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 499. IV.

q) *Boerh.* Inſtit. p. 460.

r) *Hipp.* Coac. l. c. p. 581.

conuulſiones horrendas et mortem portendit; Praeter haec *tenuis*, *aquoſa*, *ſplendens* [s]), cruditatem; at ſi eadem ſine ſplendore eſt, paullulum turbatur, difficulter mingitur, et adiuncta cetera ſigna habet, obſtructionem renum calculoſam: *tenuis et perpallida* [t]), debilitatem, et languentes corporis vniuerſi vires, primas vias vitioſas, v. c. in pueris, mulierculis, ſenibus valde debilitatis, et vbi diu continuat, periculum; *tenuis*, *aquoſa*, *ſubpallida* et *ſubviridis*, digeſtionem laeſam, obſtructa viſcera, cum maxime meſenterii glandulas, ſubſecuturumque malum corporis habitum, dolorem oris ſtomachi, et caput grauiter affectum [u]); *tenuis*, *pallida*, *minus pellucida*, nonnunquam *floccos et ſpumam perpetuam* repraeſentans, deſtillationem; *tenuis*, *aquoſa*, *candida* [v]), cruditatem haud leuem naturaeque imbecillitatem; *tenuis*, *aquoſa*, *foetens*, ſi febri malignae ſuperuenit, grauem inflammationem, gangraenam, perniciem; denique *tenuis*, *pellucida*, *purpurea et ſpumans* [w]), pleuritidem praeſignificant.

§. 575.

Huc etiam referenda *vrina cruda* ſ. *incocta* [x]) videtur, quae *exquiſite tenuis* eſt, et in acutis morbis omnium longe peſſima. Nam cruda ante et poſt iudicium mortifera eſt, niſi cum ſignis bonis veniat: Tunc ſcire licet, per abſceſſus [y]) morbum iudicatum

s) *Iuncker* Semiol. p. 573.
t) *Gal.* de Vrin. c. 4. p. 476. IV. *Swiet.* Comm. Aph. 72. p. 102. I.
u) *Hoffmann* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. §. 12. p. 306.
v) *Gal.* in Progn. Com. II. 32. p. 772.
w) Coac. §. 3. p. 563.
x) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 498.
y) Coac. §. 5. p. 581.

tum iri. Contra ſi *vrina pellucida*, *aquea* et *copioſa* [z]) incidit, tranſpirationem ſuppreſſam denunciat; at *tenuis*, *pallida*, *pellucida*, in qua irritamenti vel conuulſionis ſuſpicio nulla ſubeſt, ſanguinem praetenuem et aquoſum; quietem corporis multam, debilitatem et relaxationem ſolidarum corporis partium; *pellucida*, cui *lactea* aliqua *cuticula* ſuperne innatat aut ad matulae latera adhaeret, febrem lentam; *pellucida*, in qua paullo poſt quaedam *alba* et *laeuia ſubſidunt* [a]), morbum longum imminentem: *pellucida* poſt primas febrium intermittentium exacerbationes, ſalutem, niſi diu talis ſubſiſtat, vel in acutam tranſeat: et poſt conuulſiones [b]) *pellucida et copioſa*, malorum finem. Contra grauis morbi teſtimonium eſt, poſt cerebri [c]) laeſiones *pellucidam*, *pallidam et aquoſam* excerni.

§. 576.

Contraria *vrina craſſa* eſt. Quae vbi talis permanet, ſuccos crudos notat: at vbi ſenſim tenuis fit, et aliqua ſubſidunt [d]), bonam ſecretionem et egeſtionem. Hinc, ineunte acuto morbo, copia crudorum humorum, virium debilitas, et magnitudo mali, in ſtatu concoctio iuſta et decretoria expulſio colligitur. Sin vero ſubſidentia non habet, peſſimum ſignum eſt. Idem ſentiendum eſt, ſi in febre acuta *vrina craſſa ſine ratione* [e]) eſt: Tunc enim longus et colliquatiuus morbus, materiae demigratio, grauiſſima capitis mala cet. imminent. Praeter haec

 vrina

z) *Macbride* Einleit. l. c. p. 366.
a) *Hipp.* Iudic. §. 6. p. 441. I.
b) Coac § 3. p. 554.
c) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 1. p. 12.
d) *Gal.* Vrin. c. 2 et 3. p. 475 ſequ. IV. *Hipp.* Aph. IV. 69. p 88.
e) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 3. 186. p. 187.

vrina craſſa et alba pituitam crudam, ſtomachum infirmum, et in ſanis, morbum futurum, in febre acuta, vbi large profluit [f]), et in ea etiam craſſa ſubſidunt, pus reſorptum, vel abſceſſum, et doloris quietem [g]) indicat; at *craſſa, rubicunda et male olens*, periculum haud leue; *craſſa et ſubrubra*, morbum diuturnum, ſed nullo modo periculoſum; exceptis hydropicis [h]), quibus hecticam adiunctam oſtendit; *craſſa et valde rubra* in febre continua et intermittente, aeſtum ſummum et humorum motum concitatiorem; *craſſa et chyloſa*, tabem, et maciem corporis; *craſſa et lactea*, ſi per aliquot dies continuat, renum aut veſicae calculum [i]) et vermes [k]); *craſſa et crebra* [l]), ſtatim ac miſſa eſt, *in gelatinam tranſitura*, haud raro dolorem artuum immanem; *craſſa et obſcure flaua*, quae ſubſidentia craſſa habet, ſaepenumero vrinae ſuppreſſionem antegreſſam; *craſſa mulierum, turbida, ſubnigra*, et in qua quaſi furfures ad imum deferuntur, nouam mali hyſterici acceſſionem; *craſſa, viſcida, turbida, ſubliuida*, inordinatos humorum motus et exitium; at *craſſa et ſubrubra*, cum aliqua nubecula, circa dies decretorios, vbi nec per ſudorem, nec per ſanguinem iudicium exſpectandum eſt, difficilem morbi reſolutionem; et in *pulmonum inflammatione* [m]) *craſſa*, poſt vero ad diem quartum *tenuis*, mortem; *craſſa et lixiuioſa*, in qua multa quaſi limoſa ſubſidunt, hydropicis

f) *Hipp.* Humor. §. 11. p. 327.
g) Epid. VI. S. 4. p. 807.
h) *Iuncker* Semiol. p. 574.
i) *Theophil.* de Vrin. p. 95.
k) *Lentil.* Miſcell. p. 366.
l) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 7. p. 389.
m) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 563.

picis perniciem; *craſſa*, *turbide rutilans*, *foetida* [n]), agitando ſpumam et bullulas flauas repraeſentans, et in qua decolores flocci deorſum feruntur, icterum nigrum; *craſſa*, *ſubturbida et graueolens* [o]), et quae ſubſidentia craſſa, mucoſa, quaſique grandinoſa habet, venerea labe infectos denunciat.

§. 577.

Mala ergo *vrina craſſa* eſt, in qua nihil aut cruda [p]) ſubſidunt, aut quae *craſſa*, *turbata*, *ſubrubra* [q]) eſt; quae poſt longos et vehementes morbos [r]), in phthiſi et hydrope diu excernitur, itemque *craſſa*, *exigua*, *ex obſcuro rubra*, *lixiuioſa* eſt, et multa ſubſidentia limoſa habet; Minus vero terrere debet, ſi talis in morbis longis, quibus nulla febris adiuncta eſt, v. c. in ſcorbuto, morbo articulario, neruorum reſolutione, ſenectute extrema, incidit.

§. 578.

Vrinae turbidae tres differentias GALENVS [s]) conſtituit; vnam, quae, etſi talis meiitur, tamen paullo poſt ſubſidentia repraeſentat; alteram, quae nulla; tertiam denique, quae pura eſt, dum mittitur, ſed paullo poſt turbatur. Harum vltima mali, prima boni ominis eſt, ſecunda quaſi media: Haec coctionem incipientem, et vires naturae ad ſubigendum fortes, illa coctionem breui adfuturam denunciat.

n) *Iuncker* l. c. p. 574.
o) *Klein*. Int. Clin. p. 297.
p) *Hipp*. Aph. IV. 70. p. 88. et *Gal.* ad h. l.
q) Epid. I. S. 3. Aeg. 5. p. 677.
r) *Hipp*. Coac. §. 5. p. 582. *Hoffmann* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. §. 19. p. 311.
s) De Criſ. I. 12. p. 498. IV.

§. 579.

Vrina quaecunque *turbida*, praeſertim ſi ſimul *pallida* eſt, digeſtionis inſtrumenta laeſa et debilitata, ſaliuae, bilis cet. naturam immutatam, primarum viarum ſordes, et ob pituitam etiam vermes, craſſorum humorum abundantiam, et malam indolem, motum languidum, tubulos renum relaxatos, glandulas meſenterii obſtructas, dolores capitis imminentes vel praeſentes, morbum longum et difficilem, cum ſiti, dolore capitis grauante et vigiliis, pulſu paruo, delirium futurumque lethargum *t*) praeſignificat: *turbida*, ſi qua in febrium malignarum principio *u*) continuat, vires vitae imbecillas et periculum, et ſi die quarto clareſcit, conuulſiones et inflammationes internas futuras; at ſi turbidae nec ſedimentum, nec malorum alleuatio ſuperuenit, febris acutae in hecticam vel mortem tranſitum; *turbida et craſſa v*), ingentem humidorum inter ſe et ad vaſa frictionem, ſolidorum raſuram, vim minimis fibris illatam, indeque degenerantes et acriores humores, omni aqua fere orbatos, in febre continua et putrida magnum vitae diſcrimen; *turbida, craſſa, latericia*, in qua nihil aut limoſa ſubſidunt, haud raro febrem catarrhalem malignam, vt vulgo appellatur; *turbida mulierum et pallida*, menſtruum fluorem inordinatum; *turbida, pallida, quaſique lutulenta*, quae ſubſidentia mucoſa et feculenta habet, in mulieribus flatus et tormina, in iuuenculis aluum citam et cum dolore vehementi iunctam, in pueris lumbricos *w*) latentes; *turbida et pallida mulierum, exigua*, in qua quaſi

t) *Bagliu.* Prax. I. p. 72. *Macbride* Einl. l. c. p. 366.
u) *Gal.* Sanit. Tuend. IV. 4. p. 331. II.
v) *Swieten* Comm. Aph. 734. p. 435. II.
w) *Rega* Method. Med. P. II. c. 6. Aph. 575. p. 241.

quaſi flocculi innatant, et nihil in imum defertur, ſaepenumero nimiam ſanguinis iacturam per menſes, partus purgamenta, vterique profluuia cruenta; *turbida et ſubrubra*, quae ſubſidentia nulla habet, morbos, qui poſt malum corporis habitum oriuntur, hydropem cet. *turbida cum ſudore* x), morbum recidiuum denunciat. Contra vbi *vrina turbida* febre ineunte *cocta* videtur, mali ominis eſt, praeſertim ſi, dum ea increſcit, iterum diluta fit, et vbi cum malis ſignis incidit, ſaepe die nono aeger moritur. Iterdum vrina turbida quartanae et viſcerum abdominis morbis bono cum euentu ſuperuenit, interdum vero *confuſa*, *cruda et vehementer turbata*, in qua nihil ſuſpenditur vel ad imum defertur, febres continuas, periculoſas et malignas oſtendit.

§. 580.

Vrina iumentaria in multis poſt comiſſationes et crapulas oritur, et ſaluti eſt, itemque in morbis nonnullis longis, v. c. rheumatiſmo, dolore articulorum y); At in febribus acutis, niſi poſt tenuem limpidam et febre decreſcente z) oritur, ſemper mala eſt, et dolores capitis praeſentes vel futuros a), cum aeſtu ac ſiti, ſiccitate oris et vigiliis, deliria et conuulſiones, at cum pulſu paruo et debili, grauitate capitis et ſopore b), lethargum imminentem portendit. Quae ſi ſimul *foetida*, *turbida et craſſa* eſt, putridam humorum corruptionem, ſolidorum reſolutionem et mortem proximam metuere debemus. Nonnunquam ea *vrina iugalis et turbida* ſimul puru-

x) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 582.
y) *Bagliu.* Prax. I. 13. § 6. p. 140.
z) *Actuar.* de Praeuid. ex Vrin. I. c. 4. p. 306.
a) *Hipp.* Aph. IV. 70. p. 88. I.
b) *Bagliu.* l. c. p. 139.

lenta et mucoſa mittitur, et vbi haec ſubſederunt, clareſcit. Tunc fere vlcus renum, veſicae et naturalium, vel ipſe calculus ſubeſſe creditur.

§. 581.

Vrina oleoſa ſ. *pinguis*, i. e. lentitia et craſſitudine oleum repraeſentans, vt GALENO c) viſum eſt, ſiue, vt Ill. ZIMMERMANNO d), ſalinam magis, quam oleoſam cuticulam referens in cremoris ſimilitudinem, copiam olei ſorpti, frictionem ingentem, acrimoniam in ſanguine ſuccisque ortam, cum maxime ſcorbuticam, obſtructionem hepatis, febrem ardentiſſimam, et haud raro ipſam tabem denunciat. Quare ex eo in ſanis ſuccorum abundantia colligitur, in aegris periculum, in hydropicis morbus difficilis et vix ſuperabilis; in iis, quos ea tabis forma, quam *ἀτροφίαν* nominant, et phthiſis tenet, extrema humorum reſolutio et liquefactio, indeque oriunda lenta deſtructio e). Nam, febre hectica ineunte, haec vrina colore oleum repraeſentat, nec continet; deinde puncta quaedam pinguia et nubeculae ſuccedunt, certae atrophiae, hecticae et phthiſeos teſtes; denique plurima pinguitudine redundant, veramque colliquationem et mortem f) denunciant. Sanos, quibus pinguedo moleſta eſt, ſaepe a morbo liberat. Hinc *vrina pinguis*, in qua cocta quaſi aliqua pinguitudo ſubſidit g), febrem ſignificat; at vbi *poſt craſſam* h) *et turbidam* oritur,

c) Comm. in III. Epid. Sect. 3. t. 72. et de Criſ. I. 12. p. 501. IV.
d) Erfahr. T. I. B. 3. c. 7. p. 397.
e) *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 358.
f) *Hipp.* Progn. §. 11. p. 457. *Gal.* de Tot. Temp. Morb. c. 5. p. 361. III.
g) Coac. §. 5. p. 582.
h) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 11. et 12. p. 682 ſequ.

oritur, nec ſubſidentia habet, febrem tabificam perſeuerantem.

Schol. Veteres tres huius vrinae pinguis formas effinxerunt, auctore GALENO de Vrin. c. 9. p. 478. IV. cf. *Proſp.* VII. 13. p. 500. nimirum *elaeochroan*, i. e. quae olei colorem mentitur, et colliquationem incipientem deſignat: *elaeophanem*, i. e. quae et ſpeciem olei prae ſe fert, et olei paullulum admiſtum habet; tandem *elaeodem*, i. e. vbi vrina mere oleoſa eſt, eaque peſſima. Praeter haec GALENVS in Comm. III. in III. Epid. t. 74. p. 566 ſequ. T. III. *vrinam oleo ſimilem et vere pinguem* a ſe inuicem diſtinguendas cenſuit, atque hanc denuo dixit eſſe aut *elaeophanem*, cui vera pinguedo guttularum inſtar ſupernatat, (et haec inter hecticorum ſigna eſt), aut *elaeodem*, ſi inſtar aranearum telae, citra noxam atque periculum. cf. CARDANVS in Aph. HIPP. Sect. VII. 35. p. 556. T. VIII. Opp.

§. 582.

Vrina alba, commune diabetis ſignum, ſemper praeter naturam eſt, et haud raro poſt cruditatem, malam concoctionem, animi corporisque motus oritur: In infantibus digeſtionem bonam, at nutritionem malam denotat. Quae ſiue ſola ſit, ſiue ſimul tenuis, aut turbida, extremam cruditatem [i]), ingentem meatuum vrinae et hepatis obſtructionem, itemque irritamentum et conuulſionem denunciat, eamque ob cauſſam hypochondriacis, hyſtericis, colicae nephriticae, frigori febrili cet. ſemper ineſt. Vt vero

i) *Gal.* Vrin. c. 3. p. 475. et Criſ. I. 12. p. 501. IV.

vero in febre acuta delirium et phrenitidem *) oſtendit, ita in longis, vbi diu eadem ſubſiſtit, varia conuulſionum genera, vertigo, apoplexia, morbus herculeus, ciborum faſtidium, dolores articulorum neruorumque reſolutio praeſagiri poſſunt, ideoque *vrinae albae* et *pellucidae*, nec non *paucae*, *tenues* l), *acriores et vellicantes* m), *et nigrae*, in deliris aequaliter malae ſunt, etſi exempla non deſunt, vbi morbi inflammatorii, derepente ſuborto vrinae colore albo, et reliquis ſignis bonis n), perfecte abacti ſanatique fuerunt. Porro ab *vrina alba*, *lactea*, *glauca*, vbi morbo ineunte vel increſcente incidit, crudae materiae copia, ob vires vitae integras haud adeo metuenda, colligitur; et ab *tenui* et *alba*, quae ſubſidentia nulla o) habet, periculum; in quartanariis et phreneticis p) peſſima obſtructio, in febre ardente phrenitis futura et mors, in ſenibus et morbis diuturnis debilitas; ab *alba et mucoſa*, vel *chyloſa*, quae in longis morbis moleſta eſt, viſcida pituita et vaſa laxa; ex *alba*, *craſſa et mucoſa*, quae flocculos et ſquamas, itemque pus, oſtendit, vlcus renum vel veſicae; ex *alba* et *diluta* q), in quo craſſa et fulua quaſi farina in imum defertur, dolor et periculum, et ſi color *ex viridi pallet*, malum longum et periculoſum; ab *alba et aquoſa*, potio multa et acris, humores glutinoſi, conuulſio et obſtructio, nauſea, et vomituritio, in naribus, vbi cetera ſigna non deſunt,

k) *Hipp.* Aph. IV. 172. p. 89.
l) Epid. III. S. 3. Aeg. 6. p. 734. et Aeg. 10. p. 737.
m) Epid. I. S. 3. Aeg. 2. p. 673. et Epid. III. S. 3. Aeg. 14. p. 740.
n) *Zimmerm.* l. cit. c. 7. p. 384.
o) *Hipp.* Progn. §. 10. p. 457.
p) *Gal.* Vrin. c. 4. p. 475.
q) Coac. §. 5. p. 583.

ſunt, deſtillatio et grauedo, in cerebro lethargus, apoplexia neruorumque reſolutio; Itemque *vrina alba et aquoſa*, ſi longis morbis ſuperuenit, difficilem et intutam iudicationem [r]), in phreneticis et iis, quos febris ardens cum catocho tenet, periculum; at ſi *alba* eſt, et *arenam* repraeſentat, veſicae calculum denunciat.

§. 583.

Vrina flaua ſ. *crocea*, quae lintea tingit, et in qua haud raro flaua ſubſidunt, bilis ad ſanguinem rediturae multitudinem ſignificat, exindeque facile morbus regius praeſagiri poteſt. Obſeruatur etiam in febribus bilioſis ceterisque acutis, in quibus vt *bilioſa ſubrubra* [s]), itemque *crocea et turbida*, quae ſynocho ſuperuenit, nec nubeculas repraeſentat, interdum et in *rubicundam* transformatur, atque pellucida et craſſa ſubſiſtit, ſemper periculoſa eſt; ita *flaua et ſubtenuis* in dolore laterum acuto [t]), ſaepe iudicationem per hanc viam futuram praenunciat. Interdum tamen haec vrina morbum crudum [u]), materiam deficientem [v]), vigilias et curas oſtendit; at ſi *vrina flaua et pallida* eſt, in qua flocculi et pinguia innatant, phthiſin, et vbi ſimul *ſpumans* eſt, tuſſim adiectam, aeſtum multum, et pectus quaſi anguſtatum. Vitioſa etiam *vrina flaua*, *craſſa et turbida* eſt, et ventriculum ac reliqua abdominis viſcera, quae egeſtioni praeſunt, male affecta docet, v. c. in dolore colico, vbi vrina talis mingitur, in eaque quaedam veluti latericia ſubſidunt, interdum *vrina*

r) Coac. ibid. p. 580 ſequ.
s) Ibid.
t) *Sarcone* Neap. Krankh. T. I. §. 176. p. 173. verſ.
u) *Hipp.* Progn. §. 11. p. 457.
v) *Gal.* Vrin. c. 4. p. 476.

na craſſa et ex obſcuro flaua, quae ſubſidentia craſſa habet, poſt ſuppreſſionem oritur. Contra vbi *vrina ſanorum ſpicea*, *perſpicua et ſplendens* eſt, ſcire licet, cibos bene concoqui et ſanitatem eſſe integram.

§. 584.

Sequitur *vrina fulua* ſ. *aurea*, cuius color ſecundum GALENVM [w]) proxime ad flauum accedit, ita tamen, vt alter magis ad album, alter ad ſplendidum pertineat; Quae vbi febribus acutis et inflammatoriis ſuperuenit et continuat, magnam alicuius viſceris inflammationem [x]), et ob vires aegri fractas mortem portendit; at, illis integris, abſceſſum. Neque minus terrere debet *vrina fulua et tenuis* [y]), vbi ante coctionem incidit: Nam cruditatem [z]) et reuerſionem mali oſtendit, et haud raro ii, qui ex *inedia et labore* [a]) febriunt, *vrina fulua et bilioſa*, quae exiguam nubeculam repraeſentat, ex integro iudicantur. Praeterea etiam *vrina aurantia* excernitur. Quae vbi in *turbidam* deſinit, in eaque turbida ad imum deferuntur, aeſtum multum et morboſum denunciat; in *tabidis* ſi talis vel *roſea* eſt, et flocculos, vel pinguem cuticulam repraeſentat, morbi exacerbationem, cui tandem *flammea* ſuccedit. Contra vbi *vrina aurantia*, *craſſa* et *exigua* [b]) effertur, et ſubſidentia mucoſa vel roſea, interdum ſpiſſa et grauia habet, hepatis ſcirrhum auguramur; at vbi *aurantia*, fere *rubicunda* et *praecraſſa* eſt, inque

w) De Criſ. I. 12. p. 499. Hinc etiam *vrina optima* eſſe dicitur, quae *ſubflaua et ſubfulua* eſt.

x) *Celſ* II. 6. p. 56. ed. *Krauſ.*

y) *Hipp.* Iudic. §. 7. p. 442. Progn. §. 11. p. 457.

z) *Gal.* Vrin. c. 4. p. 476.

a) Ibid. Criſ. l. c. p. 500.

b) *Iuncker* Semiol. p. 577.

que ea pauca ſubſidunt, nouam doloris arthritici acceſſionem. Neque raro illa vrina nephreticis et hypochondriacis incidit, ſaepe *vrinae* color *aurantius* quaſi *dilutus* eſt, nec adeo contractus, vnaque ſquamas ſubſidentes habet. In his fere dolor lumborum vehemens et ardor vrinae atque ſuppreſſio ſubeſt.

§. 585.

Vrina citrina ſanaeque ſimilis [c]) morbum diuturnum generatim oſtendit, et prae ceteris obſtructioni glandularum, morbis, in quibus conuulſio vrget, malo corporis habitui, vbi ſtagnantes et putreſcentes humores indicat, hydropi incipienti, tympanitidi, febri hecticae et lentae ineſt. Quae ſi *in febre acuta* [d]) incidit et continuat, aut paullo rubicundior eſt, poſt vbi refriguit, alba, inque ea laeuia et aequalia ſubſidunt, optimum ſalutis indicium eſt, quippe ex eo motus ſolidorum nec vehementes nimis, nec iuſto remiſſiores, fibrae ſatis laxae, et minimorum vaſculorum oſcula aperta colliguntur, quae certe ſpem faciunt, fore, vt et noxia morbi materia e corpore propellatur, et ſanitas priſtina recuperetur. At ſi *febri malignae* vrina *citrina* accedit, peſſima eſt; melior, vbi in febre lenta color iſte quaſi contrahitur, et bona ſubſidentia habet. Praeter haec *vrina ex obſcuro citrina*, itemque *pellucida*, familiaris hypochondriacorum et ſpleneticorum nota eſt, et vbi ſimul *liquida et pura* eſt, conuulſionem horum viſcerum atque abdominis reliqui, itemque mali exacerbationem declarat; At *citrina*, fere *rutilans*, *pellucida*, *ſpumans*, in qua praerubra et roſea ad imum deſcendunt, rheumatiſmi acceſſionem, vbi *liquida* permanet, mali augmentum, et, colore in turbidum muta-

c) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 3. 186. p. 184.

d) *Pezold* Progn. Febr. c. 5. §. 125. p. 79.

mutato, quocum ſedimentum eſt, deceſſionem. Aiunt etiam, *vrinam citrinam* et *liquidam*, vel quae *vinum* quaſi repraeſentat, atque ſubſidentia exigua et roſea, itemque flocculos habet, viris futuras haemorrhoides; *intenſe citrinam et ſubrubram* e), quae leuem ſpumam et flocculos minutulos referat, phthiſin; *obſcure citrinam, ſubrubram* et *paullo turbidam* in mulierculis, fluorem album et malum hyſtericum; in viris *citrinam*, in qua fila quaſi tenuia et alba innatant, atque craſſa, turbida et flaua ſubſidunt, ſaepe ſeminis fluorem turpem; in ſanis vero, praeſertim voluptuariis, ſemen paullo ante excretum; *obſcure citrinam et turbidam*, etſi iam aliqua ad imum delata ſint, venam portarum f) affectam et obſtructam praeſignificare.

§. 586.

Vrina viridis, quae, auctore GALENO g), principium quaſi nigrae eſt, ſemper mala eſt. Indicat enim acrimoniam ſanguinis ceterorumque ſuccorum atrabiliariam, nec intime remiſtam h), bilem degenerem, porraceam, aeruginoſam, mordacem, v. c. in ſanis non febrientibus i), in febribus acutis ventriculi roſionem et gangraenam, in malignis et peſtilentialibus aut deſtructionem vniuerſae corporis compagis, aut morbi longi reſolutionem k). Hinc ſemper mala eſt, quae poſt ſanguinem, pinguedinem putridam aut bilem ictericorum corruptam oritur l). Alias *vrina viridis*, vbi *ſubſidentia craſſa* habet, temperiem

e) *Rhenan.* de Vrin. c. 4. n. 4.
f) *Iuncker* l. c. p. 577.
g) De Criſ. I. 12. p. 501.
h) *Ludwig* Pathol. p. 172.
i) *Proſp.* VII. 13. p. 499.
k) *Regà* Method. P. II. c. 6. Aph. 580. p. 250.
l) *Gorter* Prax. L. III. T. 3. 186. p. 185.

periem humorum melancholicam, ab vinculis ſuis liberatam et excretam denunciat, et praecordiorum anxietatem, dolorem colicum et iliacum, mala grauiſſima, et, vbi cum febre, ſiti ac aeſtu intolerando iungitur m), diſtentiones neruorum inducit. Praeter haec, vbi in iis, quos dolor laterum acutus n) tenet, *vrina viridis* ſ. *praſina* incidit, eaque ſubſidentia furfurum ſimilia vel nigra habet, saepius mortem propinquam, perraro iudicationem bonam notat; haec enim tunc demum exſpectanda eſt, vbi *ſubviridis et ſpumans* o) eſt, atque alba et pinguia in imum deferuntur. Nonnunquam *vrina viridis, tenuis*, *pallida*, *exigua* excernitur, vbi malus corporis habitus exercet, vel hepar affectum p) eſt.

§. 587.

Vrina rubra, a vehementi motu animi et corporis, vino cet. metuenda non eſt: At ſi rubra *pellucida*, et tandem in *flammeam* tranſitura, vbi ad ſummum peruentum eſt, irritabilitatem fibrarum et motum ſolidorum concitatiorem, humorum ob diſſipatum laticem reliquasque partes ſalinas, oleoſas, terreas intime commiſtas et attenuatas cruditatem q), tenacitatem vel reſolutionem, frictionem ingentem, indeque oriundam vaſculorum debilitationem, calorem internum, morbum grauem, et haud raro longum, difficilem coctionem ac iudicationem dubiam, praeſertim vbi nec ſubſidentia, nec nubeculas habet, febrem ardentem, inflammationem, gangraenam et ſphace-

m) *Lomm.* Obſ. Med. L. III. p. 355.
n) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 581.
o) Ibid. p. 582.
p) *Iunck.* l. c. p. 573.
q) *Rega* de Vrin. Aph. 43 ſequ. p. 131.

ſphacelum r) metuendum, tandemque mortem denunciat: At vbi poſt iudicium incidit, et *ſubſidentia rubra* s) habet, reuerſionem morbi; *praerubra et obſcura* in acuto dolore laterum t) humores ob laticis defectum ſpiſſos, et denſatos, acrimoniam copioſam et in putridam corruptionem pronam, vehementes motus, inflammationem in gangraenam abituram; *rubra et turbida*, ſi qui quaſi flocculi tenues innatarint, leuiorem et ſanabilem morbum, ſiue per coctionem id fiat, ſiue per lentam reſolutionem; *rubra et craſſior*, in qua multa, alba, rubella, grauia et latericia ad imum deferuntur, egeſtionem largam breui adfuturam; item febre maligna decreſcente, *vrina rubra*, quae nulla ſubſidentia u) habet, lentam iudicationem, eamque fere cum ſputis iunctam, ſi tumor pedum accedit; at vbi ſubſidunt furfures et ſquamae v), mala eſt. Contra ſi longis morbis talis ſuperuenit, ſcire licet, magnam in ſanguine ceterisque ſuccis ſubeſſe acrimoniam malamque indolem, ſcorbutum, diuturnitatem, debilitatem, expulſiones materiae liquantes, hydropem w).

Schol. *Vrina cruenta* apud HIPPOCRATEM non niſi *praerubra* eſt, auctore GALENO Comm. I. in Praed. I. 31. p. 643. T. IV. et febre ineunte miſſa, longam eam fore denunciat.

§. 588.

Peior *vrina rubra* eſt, quae hydropicis incidit, morbi fere immedicabilis praenuncia; quae tabidos et

r) Ibid. Meth. Med. P. III. c. 6. Aph. 578. p. 246.
s) *Hipp.* Iudic. §. 9. p. 441.
t) *Swieten* Comm. Aph. 901. p. 64. III.
u) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 5. p. 5.
v) *Boerhaaue* Inſt. §. 1002 ſequ. p. 461.
w) *Rega* L. et p. cit.

et phthiſicos tenet, et lentam ex acrimonia a vinculis ſuis liberata et ſuperabundante mortem portendit; quae in febre acuta diu ſubſiſtente *ex rubro* fere *nigra* fit, et ſubſidentia multa vel pauca decolorata habet; Nam facile in lentam transformatur: Contra ſi *rubicunda* in intermittente eſt, quae vtplurimum rubram, craſſam turbatamque vrinam oſtendit, in acutam. *Mala* etiam *vrina rubicunda*, *liquida*, *cruda*, in ſynocho eſt; *bona* vero et decretoria, quae in laterum dolore acuto *x*) *paullo rubicunda* eſt, et in qua laeuia quaedam ſubſidunt; Contra vbi *praerubra et florida* obſeruatur, et ſubſidentia quaedam ſubpallida, viridia, laeuia, pura, ſincera habet, morbum diuturnum, pertinacem, et in alium transformandum, at a periculo tutum. Illa vero *vrina rubra*, quae *ab ictu* et vi aliqua illata excernitur, facile cognoſcitur; neque terribilis ea eſt, quae ab concitatiori ſanguinis motu et abundantia dimanat. In his ſaepenumero debilitas vaſculorum renum et calculus, itemque vlcus intus latent.

§. 589.

Vrina ſubrubra, in qua ſimilia et *laeuia* ſubſidunt, etſi morbum diuturnum *y*) deſignat, tamen bona eſt: at ſi in febre acuta et continua paullatim *diluta* apparet, periculum oſtendit; *ſubrubra* *z*) vero, quae, morbo ineunte, nec innatantia, nec ſubſidentia habet, et ſurditate moleſta eſt, futurum delirium. Contra vbi *vrina ſubrubra et fuſca* *a*) eſt, in qua nihil ſubſidit, colligitur, corpus valde exae-

Bb 2 ſtuare

x) *Hipp.* Coac. §. 5. p 582.
y) L. Iudic. §. 6. p. 442. et Progn. §. 11. p. 457.
z) *Martian.* ap. *Rega* Meth. P. II. c. 6. Aph. 579. p. 248.
a) *Macbride* Einl. p. 367.

ſtuare a motu aut febre, et communis febrium morborumque febrilium nota eſt, donec decreuerunt.

§. 590.

Vrina rutilans ſ. *rufa veterum*, iuuenibus poſt acria ſumta vel exercitia corporis magna frequens incidit. In morbis vero, quae die quarto ſubſidentia habet, bona eſt; itemque quae in hepatis inflammatione *ſimul craſſa* eſt, et in qua ſimilia ad imum deferuntur. At *vrina rufa et tenuis* in acutis cruditatem, morbum vehementem et inflammationem [b]), in longis periculum [c]); *rufa et diu limpida*, quacum acuti capitis dolores copulantur, congeſtiones, et ſubſecuturas ſanguinis profuſiones, deliria, inflammationes; *rufa*, *craſſa*, *turbida*, in qua nihil ſubſidit, coctionem turbatam et exitum mali ambiguum; *rufa*, *ſubturbida*, *ſpumans*, et cuticulam quandam [d]) referens, ſaepe inflammationem laterum et pulmonum indicat. Multis vero hypochondriacis et articulariis commune eſt, *vrinam rufam et pellucidam* mingere, in qua tartarus ad imum matulae defertur.

§. 591.

Saepe *vrina roſea* eſt, v. c. in purpura, eaque terrere non debet; magis, vbi febri hecticae adultiori ſuperuenit. Ferunt etiam, *vrinam ſubroſeam*, *floridam*, *turbidam* [e]), inter febris catarrhalis malignae indicia eſſe. Contra vbi *rubea* [f]) excernitur, quae circulum alieni coloris mentitur, morbum circa vmbilicum denotat, et ſi *ſubſidentia alba* habet, fluorem menſtruum; ſin vero *rubra*, ſuppreſſum.

§. 592.

b) *Aëtius* Tetr. II. Serm. I. c. 33. p. 196. Coll. *Steph.*
c) *Gal.* in Progn. Com. II. 30. p. 771.
d) *Iuncker* Semiol. p. 579.
e) Ibid. p. 563.
f) *Nenter* Semiot. p. 206. *Rhenan.* de Vrin. c. 10. n. 17.

§. 592.

Vrina latericia ſ. *bolo Armenae adſimilis*, *craſſa*, *turbida*, in qua aut nihil, aut *limoſa concolora* ad imum deferuntur, ſaepe febrem intermittentem et acutam illam, quam vulgo catarrhalem malignam g) appellant, denunciat, ſaepe etiam cum ſcabie, ſcorbuto, vlcere refractario, lue venerea, fluore albo, ceterisque humorum deprauatorum formis eſt. Nonnunquam *ochram mentitur*, ſiue *colorem aurantium* habet, et *latericia*, *craſſa*, *multa* eſt, inque ea roſea quaedam deſcendunt; Quod vbi fit, ſcire licet, febrem lentam exacerbari, et in hecticam perditiſſimam transire.

Schol. *Vrina latericia alba et aquoſa* etiam excernitur, quae vinum tenue ac album refert, admiſta ochra quaſi contaminatum. Sed haec, vt auctor GALENVS eſt, (Criſ. I. 12. p. 499.) *ad crudam* vrinam pertinet.

§. 593.

Vrina nigra, quam ſaepe dolor nephreticorum h) praecedit, ſi omnis talem colorem habet, ſemper per ſe mala eſt, exindeque colligimus, aeſtum ingentem, vaſcula dilatatiora, arroſa, rupta vel vlcus renum malignum et calculum, deſtructionem humidorum ſolidorumque metuendam. Hinc eam peſſimam GALENVS i) ſtatuit, ſic, vt ex iis, qui talem vrinam minxerant, ſeruatum viderit neminem, i. e. perraro bonam inuenit. Id tamen certum eſt, vrinam nigram quo craſſior eſt, eo peiorem et periculoſiorem eſſe; contra quo propius a na-

 turali

g) *Iuncker* l. c. p. 563.
h) *Piſo* de Morb. a ſer. Colluu. Sect. 4. c. 11. p. 313.
i) *Gal.* Criſ. l. 12. p. 501. et Comm. I. in I. Praed. 17. p. 658. IV.

turali colore [k]) abeſt, eo magis ſanitatem vel mortem portendere, ex ceteris ſignis diiudicandam.

§. 594.

Terrere *vrina nigra* non debet, ſi poſt lienis tumorem, obſtructionem viſcerum, quartanam, delirium melancholicum, malum hypochondriacum, menſes ſuppreſſos [l]) cet. oritur, ſi dolori colico Pictonum et nephritidi ſuperuenit [m]); ſi decretoria [n]) eſt, i. e. cum aegri alleuatione ſymptomatumque remiſſione; ſi cum copioſo ſanguine e naribus vel vtero, ſudore [o]) cet. iungitur. Contra *vrina nigra* in febribus acutis ſemper pertimeſcenda, cum maxime ſi ſymptomatica eſt, quam HIPPOCRATES [p]) rufa tenui exitioſiorem, in mulieribus et viris peſtiferam eſſe dixerat. Sunt ergo *nigrae vrinae malae et mortiferae*, ſi in febre ardentiſſima *tenues et paucae*

k) Ibid. in Progn. Comm. II. 32. p. 732.

l) *Hipp.* Epid. I. S. 3. Aeg. 3. p. 675. *Gal.* Criſ. l. c. *Proſp.* VII. 13. p. 501. *Klein* Int. Clin. p. 144. In quartanae deceſſione ſaepe incidit, ſed plerumque infida eſt, vt bene auctor Lib. Galenici de vrin. c. 4. p. 476.

m) *Piſo* de Colluu. Seroſ. Sect. 3. c. 9.

n) Talem *Galenus* (in III. Epid. III. 75. p. 570. III.) in muliere ob partus purgamenta ſuppreſſa aegra vidit, et *Plempius* (Fund. Med. Sect. V. c. 5.) in febre acuta maligna; ego vero puellum variolis confluentibus malignis laborantem, vndecima die vrina nigra iudicatum. cf. *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 2. p. 29 ſequ.

o) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 7. p. 679. Epid. III. Sect. 2. Aeg. 11. p. 720. et Sect. 3. Aeg. 11. p. 738.

p) *Hipp.* Progn. §. 11. p. 457. *Proſp.* l. c. p. 517.

cae q) ſunt, aut in tenues *aquoſas, pellucidas* r) mutantur, ſi *nigrae, tenues, aquoſae cum malis ſignis* s) v. c. delirio, ſopore cet. continuant; ſi *nigrae* excernuntur praeter veſicae vitium et *graue olent* t); ſi *nigrae* ſunt et *ſubſidentia nigra* u) habent; ſi ſtatim, ac morbus coepit, *vrinae nigrae et craſſae* v) mittuntur; ſi *rubrae vel viridi* w) ſuccedunt, aegro iam infirmo, et ſub finem febris continuae, ſi *peticulis* x) ſuperueniunt, foetent et ſubſidentia ſuligini adſimilia habent. In his peſſima humorum conditio ſubeſt, et mors certa.

§. 595.

Praeter haec *vrina nigra* in febre acuta, quae cum vigiliis et ſomniis turbulentis eſt, phrenitidem denunciat. At vbi cum *rubra quadam* ſanie y) excernitur, qualis a recens mactatorum animalium carne fit, et quaſi admiſtam *fuliginem* repraeſentat, communis fere nota menſtruorum derepente ſuppreſſorum eſt. Contra *vrina nigra, plumbea, liuida* z), hypochondriacorum confirmatorum, interdum et ſenum, quartana laborantium, ſplenicorum, melancholicorum eſt, et in febre biliosa vel ardente mortis praenuncia. Saepe etiam *vrina cineracea* a) cum ſpiratione difficili incidit, et aquam intercutem deſignat:

q) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 580. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 1. et 2. p. 673 ſequ. I. Vict. Acut. §. 45. p. 306. II.
r) Epid. III. Sect. 3. Aeg. 2. p. 732.
s) Ibid.
t) *Gal.* Comm. in Aph. VII. 75.
u) Coac. l. c. p. 581. Epid. I. S. 3. Aeg. 8. p. 680.
v) *Aëtius* Tetr. II. Serm. 1. c. 44. p. 193.
w) *Lomm.* l. c. p. 358.
x) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 96. II.
y) *Gal.* Loc. Affect. VI. 5. p. 159. IV.
z) *Gal.* de Dynamid. II. 306 ſequ. p. 127. VIII.
a) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 581.

ſignat: Sin vero *fuſca*, *cereuiſiaria*, *lutulente diſcolor vrina* eſt, temperiem atrabilariam et morbos longos, ideoque familiare vitium eorum, qui prauis ſuccis abundant, ſcorbuticorum, hypochondriacorum cet. eſt. In iunioribus ſaepe poſt ſcabiem retropulſam *nigricans et cereuiſiaria* obſeruatur, at in malignis fere inſtar cereuiſiae albae *b*).

§. 596.

Huc etiam pertinet *vrina vinea* ſ. *paſſea*: (non enim niſi gradu coloris et cauſſae a ſe differunt): quae ſummum aeſtum et humorum motum celerrimum, et vbi ſine febre *c*) diutius talis mittitur, morbum regium praenunciat. Itemque ex *vrina veneta* ſ. terebinthinae colorem referente, perinſignis humorum poſt aeſtum vehementem reſolutio, et ſi *vna craſſa*, *pallida*, *turbida* eſt, cruditas atque tenacitas multa colligitur. At *vrina oleacea* ante rigorem *d*) peſſima eſt.

§. 597.

Vrina liuida, ſi febri acutae decretoria *e*) ſuperuenit, bona eſt: alias ſemper perniciem et futuram ſanguinis ceterarumque partium deſtructionem portendit. At vbi in longis morbis poſt *percuſſionem et ſorbitionem* oritur, periculoſa non eſt. Haud raro dolori capitis accedit, certa doloris increſcentis praenuncia, et ſi qua *liuida rubram* *f*) ſequitur, pectoris abſceſſum denunciat.

§. 598.

Ex his etiam intelligitur, ſemper malum eſſe, *vrinas varias et inconſtantes* mitti, quippe motus ſolido-

b) *Kramer* ap. *Klein* Int. Clin. p. 81.
c) *Lomm.* l. c. p. 355.
d) Ibid.
e) *Hipp.* Aph. IV. 47. et *Gal.* Criſ. I. 12. p. 501 ſeq.
f) *Gal.* ibid.

lidorum inordinatos, vires vitae fractas et deficientes, corruptionem futuram, certe malum ingens et diuturnum, augurari licet. Hinc *vrinae mutabiles* apud HIPPOCRATEM g), v. c. ſi tenues in craſſas, craſſae iterum in tenues, cet. transformantur, omnium malarum peſſimae appellantur. Similis ratio *iterato mutati vrinarum coloris* h) in malignis eſt. Nam in his funeſtum euentum, in lentis vero magnam rerum perturbationem et morbum refractarium denotat.

§. 599.

Sequuntur ea *ſigna*, quae *ab odore* repetuntur. Eſt vero vrina bona, quae *odorem vrinoſum* habet, eaque re nos certiores reddit, cibos bene concoqui, ſuccorum indolem non immutari. Contra ſi *odoris expers* eſt, ſcire licet, aquoſas et pituitoſas partes redundare, cruditatem et coctionem malam eſſe, vires deficere, mortem ipſam inſtare. Nonnunquam *vrina ſuaue olet*, ſed id aſſumtis alimentis fere debetur, perraro ſingularem aliquam ſanguinis acrimoniam indicat. Saepius *male olet* ſ. *foetet* vrina vix miſſa, vnde colligitur, olea et ſales ſanguinis propter aeſtum valde tenuatos, reſolutos paeneque putrefactos eſſe, et peſſima humorum vitia inducere oportere. Quae ſi ſanos occupat, vel leuiter aegros, haud raro a morbo liberat. At in morbis acutis et longis i) metuenda eſt. Nam in febribus acutis, praeſertim epidemicis, perniciem, in putridis et cum liquatione k) iunctis haud leue vitae diſcrimen portendit,

g) L. Iudic. §. 7. p. 444. Coac. §. 5. p. 583. I. Vict. Acut. §. 45. p. 306. et in Epid. paſſim.

h) Coac. §. 5. p. 580.

i) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 501. De Vrin. c. 11. p. 479. IV. *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 6. p. 383.

k) *Gorter.* Prax. L. III. Tit. 3. 186. p. 186.

tendit, cum maxime in iis, qui ſanguinem reſolutum et in putredinem [l]) pronum habent, in intermittentibus vero, ſicubi cum bonis ſignis eſt, materiam morbi ſubactam et mitigationem mali. Hinc *vrina foetens*, *aquoſa*, *craſſa*, *nigra*, apud HIPPOCRATEM [m]) mortifera nominatur. Praeter haec *vrina foetida*, *alba*, *craſſa*, in qua quaedam *purulenta* [n]) deſederunt, renum aut pudendi vlcus; *foetens*, cum dolore multo miſſa, tandemque *mucoſa ſubſidentia* habens, calculum veſicae; denique *foetida* ex reliquis viſceribus huc delata, v. c. in ſcorbuto, morbis malignis, ſphacelo, putredinem maiorem denunciat, ſiue illa in ſuccis lateat, ſiue ab vlcere dimanet. At *foetor vrinae*, qui *ab vlcere* eſt, longe grauiſſimus eſt, et ſi qua *purulenta* innatarint, ex facili abſceſſum internum augurari poteris. Haud raro *odor acidus vrinae* detegitur, ſed in iis fere, quibus acida acrimonia moleſta eſt, v. c. in debilibus.

§. 600.

Vrina multa, niſi a potu vel medicamentis naſcitur, laxitatem et debilitatem corporis vniuerſi, cum maxime tubulorum renum, tranſpirationem, ſudorem aut quamuis aliam egeſtionem naturalem ſuppreſſam, imperfectam cruoris miſturam, conuulſionem v. c. in hypochondriacis et hyſtericis, et ex his oriundam humorum craſſitudinem et acritudinem, obſtructionem viſcerum, vertiginem, variosque neruorum morbos, anxietatem, ſitim incredibilem, febrem lentam, debilitatem et languorem, maciem tandemque tabem ex diabete [o]) praenunciat.

§. 601.

l) *Huxham* de Febr. c. 5. p. 49. II.
m) Progn. §. 11. p. 457. *Gal.* de Tot. Morb. Temp. c. 5. p. 361. III.
n) *Lomm.* l. c. p. 359.
o) *Hipp.* Praed. II. 10. p. 494. *Boerh.* Inſtit. §. 993. p. 458 ſeq.

§. 601.

Quare ſi in ſanis *nocturna multa* eſt, aluum tardam *p*), et ſi *diurna* talis, neque vlla cauſſa perſpicua anteceſſit, mancam vitioſamque ſuccorum communionem ac morbum imminentem denunciat, in macilentis, cum ſiti multa cutisque ſiccitate iuncta, febris hecticae metum incutit, eamque ob cauſſam diabetes ſenum multo periculoſior, quam iuuenum eſt. Idem fere *de morbis longis*, praeſertim febre intermittente *q*), ſentiendum eſt. At ſi in febribus acutis *copioſa vrina* ante coctionem oritur et ſubſiſtit, reſolutio humorum ingens, et peſſimus morbi exitus, certe eius in lentum tranſitus, metuendus eſt. *Praeter* haec *vrina copioſa*, ſi *ſubſidentia cruda* habet, hydropem, praeſertim quae anaſarca dicitur, denunciat, at ſaepe eum *r*) ſoluit, itemque *poſt ſuppreſſionem* ſaluti eſt. At ſi *multa*, *aquoſa et ſubdulcis* *s*) eſt, *diabeten* indicat, quae certe omnium vrinarum crudarum *t*) peſſima eſt. Contra *malae* et *ſymptomaticae vrinae* ſunt, quae febri acutae, praeſertim ad finem ardentis, ſuperueniunt, *multae*, *tenues*, *aquoſae* ſunt, nec ſubſidentia habent *u*); quae *multae*, *craſſae*, *turbidae* *v*) excernuntur, et nec ſubſidunt, nec decernunt; quae *multae*, *tenues*, *craſſae*, *crudae*, *decolores*, in quibus pauca, ſed tarde, cruda et intempeſtiua *x*), ad imum deferuntur; quae vtcunque coctae

p) Aph. IV. 83. p. 90.
q) *Nenter* Semiot. p. 202.
r) *Hipp*. Criſ. §. 11. p. 446.
s) Epid. III. Sect. 3. p. 726.
t) *Gal*. Criſ. I. 12. p. 499. Perrarus tamen verus diabetes eſt, *Gal*. Loc. Affect. VI. 3. p. 144.
u) *Hipp*. Epid. III. S. 3. p. 726.
v) *Praeſ*. VII. 15. p. 519.
x) Epid. I. Sect. 1. p. 655.

ctae et decretoriae ſunt, vel incoctae et turbatae, nec deſidunt [y]); quae *fuluae*, *virides*, *pallidae*, *liuidae*, *nigrae*, *ſanguineae*, *meracae*, *olidiſſimae*, *pingues*, *oleoſae* [z]) cet. mittuntur; tandem in quibus *farinae*, *foliorum*, *furfurumque ſimilia*, *viridia*, *nigra*, *liuida*, *foetida* [a]) ſubſidunt. Sed de *vrina decretoria et ſymptomatica* alio loco pluribus.

Schol. Hypochondriaci et hyſtericae ſaepe *vrinam multam*, *aquoſam et pallidam* mingunt, dum noua acceſſio inſtat; ſed paullo poſt ceſſat.

§. 602.

Vrina pauca, commune regionum calidarum vitium, potus et ſeri penuriam, vel per alia emiſſaria egeſtam, v. c. poſt ſudorem largum, in vario hydropis genere cet. ingentem humorum viſcidorum copiam, vaſa vrinae et conſtrictoris veſicae [b]) obſtructa, per conuulſionem aliquam anguſtata et clauſa denunciat. Hinc tantum non ſemper acerrima eſt, et cum dolore meiitur; Hinc grauitatem et torporem corporis vniuerſi, malumque eius habitum ac morbos inde oriundos, tremorem conuulſiuum, ſoporem, apoplexiam et mortem [c]) inducit, ſi ſanguis ob partium inferiorum conſtrictionem, maxime abdominis, caput infeſtat, et eos rubore ſuffundit; at hydropem futurum, ſi ſimul pedes tument, ſpiratio difficilis et tenſio quaedem ſub coſtis ſpuriis vrgent. Hinc familiaris et peſſima febrium acutarum et phrenitidis comes, niſi alia via materia morbi expellatur, quippe

y) Ib. Sect. II. p. 659.
z) *Gal.* Vrin. c. 14. p. 480.
a) Ib. Criſ. l. c. p. 501.
b) *Hipp.* Praed. II. 10. p. 494.
c) *Boerh.* l. c. §. 995. p. 459.

quippe poſt haec debilitas inſignis, deliria et exitialia ſigna oriri debent. *Malae* igitur *vrinae paucae* ſunt, vbi in febribus crebro et mordaci cum dolore [d]), vel difficulter mittuntur; vbi ardentibus et inflammatoriis [e]) *paucae*, *tenues*, *vitioſae*, ſuperueniunt; vbi *paucae*, *multae* et *ſuppreſſae* [f]) viciſſim alternant, et in acutis periculum, in longis diuturnitatem denotant; vbi *paucae*, *acres*, non *decernentes* [g]) ſunt, vbi in *anaſarca paucae et turbidae cum febre* [h]) incidunt.

§. 603.

Huc etiam *vrinae incontinentia* pertinet. Quae ſi recens eſt, et a vermibus inteſtinorum vel dolore inteſtini plenioris, a mala infantum conſuetudine et incuria, fibrarum laxitate vel conſtrictoris veſicae debilitate naſcitur, fere medicabilis eſt; Contra immedicabilis [i]), ſi inſtrumentis a natura vitioſis, conſtrictori veſicae per lithotomum laeſo, vel neruorum reſolutioni [k]) debetur, ſi, procedente tempore, non tollitur, ſi ſenes et vigilantes vrget, aut poſt vulnera capitis et vertebrarum luxationem oritur, tandem ſi febri acutae [l]), imbecillo iam aegro, ſuperuenit. Peſſimum eſt, aegrum *inſcium et inuitum* [m]) ſe circummingere.

§. 604.

d) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 584.
e) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 11. p. 682 ſeq. et III. S. 3. Aeg. 16. p. 741.
f) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 2. p. 674. *Proſp.* l. c. p. 520. *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 360.
g) Epid. I. l. cit. et *Proſp.* l. cit.
h) Coac. §. 3. p. 567.
i) Ib. §. 3. p. 568.
k) *Gal.* Loc. Affect. VI. 4. p. 148. IV.
l) *Gorter* Prax. T. II. L. IV. T. 4. 404. p. 127. *Klein* Int. Clin. p. 255.
m) *Hipp.* Praed. I. 4. p. 473. Coac. §. 5. p. 583.

§. 604.

Prae ceteris *vrina ſuppreſſa* terrere debet. Nam ſi vitium *in renibus* diu inſidet, dolor aliquis ſurdus et cum ſenſu grauitatis iunctus, cardialgia, nauſea, vomitus, ſapor vrinoſus, ſopor, ſuffocatio cet. fere inſequuntur: At ſi *in veſica*, tenſio et elatio hypogaſtricae regionis, grauitatis ſenſus circa perinaeum, crebra vrinae mittendae cupiditas, dolor mediocris vel nullus eſt. At ſi cum inflammatione vel ſuppuratione [n]) v. c. poſt cohibitam turpis ſeminis profuſionem, itemque febre, delirio, dolore et ardore multa eſt, ſcire licet, aegrum periclitari. Perraro rigorem et ſudorem decretorium [o]) vrinae ſuppreſſio praecedit, interdum ab luxatione vertebrarum, quae lumbos fulciunt, ab ſanguinis grumo poſt caſum, in pueris a veſicae calculo [p]), ab vtero vel inteſtino recto inflammato [q]) naſcuntur, et ex his cauſſis diiudicari eius vis atque poteſtas debet.

§. 605.

Vrinae ergo *ſuppreſſio* vel *ſtillicidium*, vbi cum ſubito renum dolore incidit, haud raro conuulſionem [r]) et difficilem vrinae miſſionem, tumorem pubis [s]), grumum, carunculam, callum, certe morbum grauem [t]), denunciat, ſaepius renum calculum, ſi cetera ſigna non deſunt. *Stillicidium ſimplex*, quod breui euaneſcit, ab acrimonia [u]) quadam proficiſci ſolet;

n) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 414.
o) *Hipp.* Epid. I. S. 2. p. 661. *Gal.* Comm. I. in VI. Epid. 10. p. 602. III.
p) Ib. Loc. Aff. VI. 4. p. 148 ſq. IV.
q) *Hipp.* Aph. V. 58. p. 96.
r) Praed. I. 17. p. 481.
s) *Gal.* Loc. Aff. I. 1. p. 8.
t) *Lieutaud* l. c. T. I. S. 1. p. 11.
u) *Gal.* l. c. p. 147.

ſolet; cum *ſanguine coacto* et dolore imi ventris et pectinis [v]) veſicam affectam, et in *hydrope ſicco* [w]) periculum ſignificat. Nonnumquam *difficulter vrina mittitur*, peſſima poſt algorem, in febrium acutarum incremento et vigore, puta, phrenitidis, febrium malignarum et exanthematicarum, inflammationis laterum, pulmonum, vteri [x]) cet. praenuncia. At in *vrinae ſuppreſſione* ſaepe aliquis mucus meatus obſtruens ſubeſt, ideoque repentinus renum dolor, calculorum aut certe vrinae craſſae [y]) miſſionem portendit, at cum grauitate imi ventris, ſtillas et alium morbum futurum. Quae ſi cum vehementi capitis dolore [z]) incidit, conuulſio pertimeſcenda eſt; ſi cum rigore [a]), deliria et conuulſiones, cum maxime vbi altus ſopor anteceſſit, niſi parotides decernunt; In febre acuta [b]) exitium praenunciat. Idem fatum ineluctabile manet, ſi poſt *inflammationem renum* oritur, atque comitantur illud creber tenaſmus, anxietas horrenda, vomitus foedi, humoris obſceni in ſanguinem reditus, tranſpiratio et ſudor foeditate vrinae conſpicuus, hydrops pectoris, extremorum algor, deliria, lethargus, conuulſio, mors.

§. 606.

Reliquum eſt, vt *contenta et commixta vrinae*, quatenus ſignorum loco haberi poſſunt, paucis explicemus, orſi a *nubecula*, quae morboſae vrinae innatare

v) *Hipp.* Aph. IV. 80. p. 89. VII. 39. p. 105.
w) Coac. §. 1. p. 524.
x) *Brendel* in Coac. Praen. n. 5. Penſ. II. p. 175. T. I. Opuſc.
y) Coac. §. 5. p. 583.
z) Ibid.
a) Ibid.
b) Praed. I. 6. p. 475 ſq. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 2. 7. 16. p. 673 ſq.

tare debet, ſanae vero nulla eſſe. Praeſtat tamen ex doctrina veterum c), nubeculas deorſum ferri, quam ſurſum. Illae bonae, hae malae cenſendae ſunt.

§. 607.

Vrina in febre acuta *rubra*, *pellucida*, *clara*, *nec turbata*, in qua nec nubecula innatat, nec aliquid ſuſpenditur, nec ſubſidit, indicio eſt, materiam morboſam nondum ſatis reſolutam eſſe, ſed crudam, et iudicationem procul adhuc abeſſe. Si ergo *nubecula* ſub initio febris apparet, poſt vero euaneſcit, et haec fere inter ſe alternant, nec ſubſidentia oſtendit, morbum grauem, ancipitem et periculoſum d) auguramur, et ipſam mortem. Ex his etiam intelligitur, non male veteres atque recentiores medicos tantopere vrinas horruiſſe, in quibus *nubeculae*, *ſuſpenſa* et ſubſidentia deficiunt.

Schol. Veteres etiam varias nubecularum proprietates oſtenderunt, quo acutorum morborum die appareant, quo ſuſpenſa et ſubſidentia, qualis eorum coniunctio eſſe debeat, quid exinde praeſagiri cet. ſed de his, vbi ad vrinam decretoriam peruenerimus. cf. HIPP. Aph. IV. 71. p. 89. I.

§. 608.

Sunt tamen varia nubecularum genera et ſigna. Indicare enim *nubeculae nigrae*, quae per ſe et ſine ſignis malis metuendae non ſunt, in febribus erraticis ſolent quartanam; *decolores*, in qua *nigra ſuſpenſa* ſunt, vbi cum vigilia et inquiete aegri

c) Progn. §. 12. p. 457. *Gal.* in Progn. Comm. II. 36. p. 773.
d) *Rega* Method. P. II. c. 6. Aph. 589. p. 268.

aegri incidunt, phrenitidem e), et ſi omnis *vrina turbida* f) eſt, mortem; *nigrae* in iis, quos febris intermittens g) vrget, cum maxime tertiana exquiſita et diaria, mitigationem, haud raro iudicationem; at *nigrae* in tertianis cum horrore, inconſtantem horrorem h); *rubrae*, interdum *albae* i), iudicium morbi; *ſubrubrae* k) vero die quarto, diem ſeptimum decretorium, praeſertim in pleuritide, vbi rubra bona putatur, et ſudorem decernentem l) praeſignificat. Praeter haec *bona* eſt *nubecula quaſi lactea* m) et deorſum lata, in dolore laterum acuto, itemque ſi qua morbis bilioſis accedit; At *mala*, ſi *nubecula circulatim euecta* vrinae innatat, et certum delirii n) et phreneticorum morientium ſignum eſt, in febribus acutis exitii. *Mala* etiam *rubra*, *aeruginoſa*, *nigra*, *liuida* o) eſt. Nonnunquam *quaſi ſciſſa* p) videtur, et morbum longum denunciat, interdum *pinguis* q), ex qua renum affectiones acutae et febris lenta colliguntur.

§. 609.

e) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 582.
f) *Galen.* Tot. Morb. Temp. c. 5. p. 361. III.
g) Ib. de Vrin. c. 17. p. 482.
h) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 582.
i) *Hipp.* Aph. IV. 69. p. 88 ſeq.
k) Coac. §. 5. p. 580.
l) Sic poſt HIPPOCRATEM et SOLANVM vidit SARCONE Neap. Krankh. T. I. §. 180. p. 176.
m) *Hipp.* l. cit. Progn. §. 11. p. 457. et *Sarcone* ib. §. 171 p. 169.
n) Praed. I. 4. p. 473. eiusque veritatem anteſtatur *Proſp.* l. c. p. 505. et p. 522.
o) Praed. I. 7. p. 475. Coac. l. c. p. 581.
p) *Iunck.* Semiol. p. 570.
q) *Gal.* in Progn. Com. II. 35. p. 773. IV. et *Hipp.* Aph. VII. 35. p. 105.

§. 609.

Enaeorema ſ. *ſuſpenſum* malum eſt, quod *coactum* ſ. *globoſum* eſt, et *ſubſidentia ſubliuida* atque *limoſa* r) habet, quod *diuulſum et inaequale* eſt, at peius, ſi *ſimul nigrum*, etſi ſedimento nigro praeſtat s). Porro *ſuſpenſum album*, *laeue*, *aequale*, et *continuum*, coctionem incipientem t) futuramque iudicationem, interdum parotides u), denunciat; *clarum et ſublime*, rigorem, conuulſiones, parotides, phrenitidem et delirium v), praeſertim vbi ſimul adſunt aurium ſonitus et opertus coxae vel inferiorum viſcerum dolor cet. Ex quo effatum LOMMII w) diiudicari aeſtimarique poteſt: *Quod in medio ſuſpenſum eſt*, inquit, *infirmiorem naturae vim arguit, nubes eo magis debilem; imbecilliſſima oſtenditur, ſi nihil vrina vel ſedimenti, vel ſuſpenſi, vel nubecularum habet, eſtque ea res in aegrotis apprime horrenda; ſanis autem accidere interdum citra magnum incommodum poteſt.* — *Optima quoque et ſuſpenſum, et nubes ſunt, alba, leuia et aequalia: Minus bonum ſuſpenſum eſt, quam ſedimentum, vtrumque melius nube eſt.* cet. Saepe etiam in vrinis eorum, qui dolore vago, ſcorbuto, pallore, et longa valitudine x) aegri ſunt, cryſtalli minutiſſimae ſalinae, oblongae, micantes, oberrant et innatant.

Schol.

r) Coac. §. 5. p. 580.
s) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 501. de Vrin. c. 6. p. 477. IV.
t) Ib. Vrin. c. 7. p. 477.
u) *Hipp.* Praed. I. 23. p. 486.
v) Praed. I. 4. p. 473. Epid. III. Sect. 3. Aeg. 12. p. 738 ſq. et *Gal.* ad h. l. p. 580. *Gorter* Prax. L. III. Tit. 3. 186. p. 189.
w) Obſ. Med. III. p. 361.
x) *Gorter* Prax. l. cit. p. 188.

Schol. Praeter haec commemorarunt veteres ac maiores noſtri *coronam vrinae*, *bullas rubeas*, *caeruleas* variosque colores repraeſentantes, *circulos pingues*, *oleoſos*, *virides*, *ſubrubros*, *purpureos*, *venetos*, *nigricantes*, *diſcolores*, *albidos*, *caeleſtinos*, *ſpumantes*, *puluerulentos* cet. v. RHENAN. de Vrin. c. 9. LOMM. Obſ. Med. L. III. p. 364 ſq. At recte naturaeque appoſite SCHAARSCHMIDTIVS Semiot. Abſchn. IV. §. 42. p. 346. contendit, haec ſigna eſſe omnium longe fallaciſſima, neque curatiori quadam medici inueſtigatione digna. Maximam enim partem aut humoris obſceni miſturae, aut variae radiorum lucis refractorum poteſtati debentur, vt ex opticis ſatis notum eſt.

§. 610.

Sedimenta varia maioris momenti in vrinae exploratione ſunt, eoque nomine comprehendimus, quicquid in refrigeſcente ac quieſcente humore obſceno pulueris grauioris inſtar ad imum defertur. Haec vero in *quantitate*, *qualitate* atque *colore*, fere cernuntur, et medico quaſi viam oſtendunt ad perſpiciendum, quae humorum reliquorum conditio ſit, quae vaſorum in humida vis, quae celeritas vel tarditas, cruditas, an coctio, denique qui mali exitus futurus. Bene tamen GALENVS y): *Vrina nullo pacto ſedimentum habet, ſi tenuiter, copioſum vero, ſi largius, exiguum vero, ſi modice viuitur.*

v. ANDR. OTT. GOELICKE Diſſ. de ſedimentis vrinarum, Francof. 1727.

y) In Progn. Comm. II. 26. p. 769.

§. 611.

Eſt vero haec prima ſedimentorum lex, quo citius ea i. e. iuſto tempore ac bonis cum ſignis appareant, eo citius materiae morboſae reſolutionem ac morbi ipſius iudicium [z]) adfuturum eſſe. In *vrina ſanorum* raro quaedam ſubſidunt: Si qua vero incidunt, cruditatem aliquam et concoctionem vel citatam, vel tardam denunciant, eamque ob cauſſam bona ſunt, v. c. in phlegmaticis, otioſis, ſomnolentis, voracibus, cibo et crapula diſtentis, cet. Contra *in morbis bonum ſedimentum* [a]) eſt, quod nec nimis paucum, nec multum eſt, ſed mediocre, facile deſidens, album, vnitum ſ. aequale, laeue, acuminatum, in matula quaſi ſuſpenſum, nec foetidum [b]), quippe haec ſumtorum coctionem bonam, actiones corporis integras, renes naturali robore praeditos, liberum humorum itum et reditum, et proſperrima quaeuis portendunt: At *malum* eſt, quod nimis copioſum, craſſum, nec album eſt, diuulſum ſ. inaequale, non acuminatum, ſed planum, tenue, purum, crudum vnaque copioſum, flauum, viride, ſubrubrum, liuidum, nigrum [c]) cet. Sed placet ſingula percenſere.

Schol. Apud veteres cum maxime peſtifera et ominoſa credebantur ea ſedimentorum genera, quae quaſi peregrina quaedam admiſta repraeſentabant. In his eniteſcunt *hypoſtaſes oroboides*, i. e. quae granorum vel erui ſimilia ſunt; *petaloides*, i. e. in qua quaſi ſquamae innatant; *pityroides*, i. e. furfurum forma,

z) *Hipp*. Coac. §. 5. p. 584. *Macbride* Einl. p. 368.
a) *Fien*. Semiot. P. II. c. 6. p. 361. et *Lomm*. l. cit.
b) *Galen*. Diff. Febr. I. 6. p. 125. III. Criſ. I. 12. p. 500. IV.
c) *Proſp*. l. c. p. 521 ſq.

forma, ſquamis anguſtiores, at craſſiores; *crimnodes*, i. e. farinae ſimiles; denique *ſandarachoides*, i. e. rufum ſandarachae colorem aemulantes. v. GALEN. Comment. I. in VI. Epid. 6. p. 597. T. III. et PROSPER ALPIN. de Praeſag. Vit. et Mort. VII. 12. p. 496. et c. 13. p. 506.

§. 612.

Sedimentum tenue in febrium principio malum non eſt, niſi continuat: *lentum* vero et *mutabile* morbum longum denunciat, ſaepius periculum [d]), in acutis [e]) inflammatoriis inſtantem reſolutionem et abſceſſum; haud raro nephritidem, lumborum dolorem, malum corporis habitum et apoplexiam tollit. Praeter haec *ſedimentum album* [f]) in deſtillatione, grauedine, morboque articulario crudorum acriumque humorum expulſionem, in debilibus vel longo morbo infirmatis malam ſuccorum indolem vel minus iuſtam aggeſtionem, in pueris, feminis, valetudinariis digeſtionis vitia ſignificat; *album*, *laeue*, *aequale*, in febre acuta, perfectam coctionem, celerem tutamque iudicationem [g]), *cum ſudore*, recidivam; *album*, *laeue*, *in medio latum*, *aſperum*, *diuulſum*, *inaequale*, *turbatum* [h]), debilitatem, variam morbi materiam, coctionem imperfectam; *album* quaſique *lacteum* [i]), quacum vrina craſſa, turbida, foetida mittitur, renum vlcerationem; *album in*

 vrina

d) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 580.
e) *Gorter* Compend. Med. P. I. Tr. 36. §. 36. p. 170.
f) *Gorter* Prax. L. III. Tr. 3. 186. p. 190.
g) *Hipp.* Iudic. §. 1. p. 438. Coac. §. 5. p. 580. *Gal.* Sanit. Tuend. IV. p. 331.
h) *Gal.* de Vrin. c. 6. p. 477. *Gorter* l. c.
i) *Klein* Int. Clin. p. 252.

vrina craſſa k), articulorum dolorem vel tumorem; *album et mucoſum*, magnam corporis laxitatem, humorum crudorum, nec rite concoctorum multitudinem, morbumque diuturnum, v. c. in febre intermittente: *album et cretaceum* vero, particularum terreſtrium crudarumque abundantiam, quae communis veſicae calculo laborantium nota eſt, interdum arthritidem et podagram l) praecauet, interdum pus e pulmonibus ll) huc delatum et in ſubſidentia gypſea fere transformatum continet.

v. IAC. HENR. CHRIST. ADAMI Obſ. de materia calcarea poſt diuturnam arthritidem per vias vrinarias educta, Luben. 1740.

CAR. FRID. HVNDERTMARK Diſſ. de vrina cretacea, Lipſ. 1761.

§. 613.

Sedimentum bilioſum, ſuperne tenue m), inter acuti morbi indicia eſt; at *croceum* n), fere a bilis in ſanguinem reditu: *Subrubrum* vero *ac laeue* o) circa diem ſeptimum decretorium cenſetur, cum maxime in acuto laterum dolore, poſt haec tardiorem iudicationem aut lentam reſolutionem pollicetur, ſemper tamen cruditatem aliquam et coctionem non rite procedentem; *rubicundius* p), vehementes ſtomachi dolo-

k) *Hipp*. Praed. II. 10. p. 495.

l) *Hipp*. Praed. II. 47. p. 520. Hiſt. de l'Acad. Pariſ. an. 1747. Obſ. Anat. III. p. 56. ed. 1752. et *Ludwig* Comm. Vol. II. P. I. p. 195.

ll) *Veirac* Verhand. der Wetenſch. te Vlyſſing. Derde Deel 1773.

m) *Hipp*. Aph. VII. 32. p. 104.

n) *Macbride* Einl. p. 368.

o) Coac. §. 5. p. 580 ſq. *Gal*. Vrin. c. 8. p. 478. Criſ. I. 12. p. 501. *Huxham* Diſſ. de Pleur. c. 2. p. 195. II.

p) *Rhenan*. de Vrin. III. 18.

dolores, at ſi in vrina rubicunda nec alba, nec rubra ſubſidunt, coxarum morbum; tandem *roſeum*, ſanguinis redundantiam, maiorem frictionem denotat, aeſtum febrilem et inflammationem, eamque ob cauſſam familiare eorum eſt, qui ex inflammatione laterum vel pulmonum, itemque podagra aegri ſunt.

§. 614.

Sedimentum nigrum q), ſi quod morbis acutis accedit, ſemper malum eſt, et calorem perinſignem, humores in putredinem pronos metuendamque corporis deſtructionem indicat. Hinc fere morbis iis commune eſt, in quibus ſanguis reſoluitur et putreſcit; ideoque aeque ac *liuidum* et *viride* r) malum ſignum eſt. In pleuriticis s) mortem propinquam denunciat, praeſertim ſi ſimul furfures innatant, at in mulierculis t) fluorem menſtruum nimium. Neque tamen exempla tt) deſunt, vbi *ſedimentum*, *ſero cinereo* haud diſſimile, in pleuritico morbo ſaluti fuit.

§. 615.

Sedimentum crimnodes ſ. *farinaceum*, *craſſum*, *album et verſicolor* u), periculoſum in acutis morbis eſt. Indicat enim imperfectam coctionem, morbi longitudinem, colliquationem et mortem; interdum veſicam

q) Coac. §. 5. p. 580. *Gal.* Criſ. l. cit. *Macbride* l. c. p. 368.

r) *Gorter* Prax. l. et p. cit.

s) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 581.

t) *Rhenan.* l. cit.

tt) *Sarcone* Neap. Krankh. T. I. §. 171. p. 169.

u) *Hipp.* Progn. §. 11. p. 457. Coac. §. 5. p. 580. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 2. p. 673. et Epid. III. Sect. 3. Aeg. 3. p. 732. *Gal.* in Aph. VII, 31. p. 155.

veſicam affectam v), etiam ſcorbutum w), vbi vrina alba et craſſa eſt, et ſubſidentia, furfures, arenam vel fractam polentam repraeſentantia, habet; interdum febrem intermittentem, tabem et hydropem x) futurum. Perraro illud ſedimentum decretorium y) eſt. Contra *ſedimentum latericium*, i. e. quaſi ex farina cum rubrica quadam miſta conſtans, ſummum aeſtum humorumque impetum deſignat, et familiare febrium intermittentium, rheumaticae z), hecticae, hydropicorum a) eſt, itemque eorum, quibus morbus recidiuus b) imminet. Quod ſi *conualeſcentibus* accidit, qui bene appetunt ac dormiunt, ſcire licet, vires torpidas, vaſa renum laxa, cruditatem reſiduam, febrem lentam metuendam eſſe. Malum eſt, *latericium* et *ſubliuidum*, quod poſt tormina c) oritur. At vbi *ſedimentum oroboides* in morbis acutis incidit, coctio d) bona ob laxata vaſorum renalium oſcula eſt. Saepe ictericis e) ſuperuenit, in mulieribus f) menſes ſuppreſſos denotat, haud raro motum et frictionem vehementiorem antegreſſam, item-

v) *Gal.* Vrin. c. 10. p. 479.

w) *Eugalen.* ap. *Klein* Int. Clin. p. 263.

x) *Rega* Meth. P. I. c. 6. Aph. 587. p. 271.

y) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 438. p. 134.

z) *Sarcone* Neap. Krankh. T. I. §. 116. p. 106. et ipſe *Hipp.* Epid. I. S. 3. Aeg. 6. p. 678 ſq.

a) *Macbride* Einl. l. c. p. 369.

b) *Hipp.* Aph. IV. 70. p. 89.

c) Praed. I. 22. p. 485.

d) Vict. Acut. §. 53. p. 312. II. Pertinet hoc ad ſedimentum rubrum, quippe Epid. VII. 31. p. 856. legitur *vrina rubra, velut eruorum lotura.* cf. *Rega* l. c. Aph. 586. p. 257.

e) L. Dieb. Iud. §. 7. p. 436.

f) *Rhenan.* l. cit.

itemque colliquationem g). Ex his etiam patet, cur *ſedimentum album, erua vel lentium farinam referens et mutabile* h) peſſimum in acutis eſſe dicitur. Haud raro *ſedimentum hordeum toſtum et craſſiorem polentam* ſ. *ſimilam* mentitur, et aeſtum ac colliquationem i) magnam, certe crudum et longum k) morbum, denunciat. Reſtat *ſedimentum ſandarachoides* l), quod hepatis vlcerati et mortis, ſin vero aeger conualeſcat, hydropis ſignum eſt.

§. 616.

Saepe *ſedimentum ſputiforme atque limoſum* ll) eſt, vnde pituitae craſſae egeſtiones et morbum longum, itemque rigorem, augurari licet; at ſi *aranearum telis* m) ſimile eſt, colliquationem; ſi *pinguedinoſum*, febrem quamuis turbulentam, maxime hecticam, ſaepe celerem iudicationem n): ſi *laminoſum* o), veſicam laeſam: ſi inſtar *carptae lanae* p) et *albidius*, in qua quaſi fila et flocculi maiores ſunt, grauiditatem: ſi *floccos* q) repraeſentat, vnaque cuticulam pinguem et gelatinoſam, ſeminis miſſionem.

g) *Gal.* Comm. V. in VI. Epid. 15. p. 735. III. et de Vrin. c. 10. p. 479.
h) *Hipp.* Epid. IV. 6. p. 746 ſeq.
i) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 501.
k) *Hipp.* Aph. VII. 31. p. 104.
l) *Gal.* Vrin. c. 12. p. 480.
ll) *Gorter* Prax. L. III. T. 3. 186. p. 190 ſq.
m) *Hipp.* Coac. §. 5. p. 582.
n) Ib. p. 580.
o) *Gal.* Vrin. c. 10. p. 479.
p) *Wallaeus* Inſtit. II. 20. p. 209.
q) *Bonet.* Med. Septentr. III. 4. p. 820 ſq.

§. 617.

Contra grauis morbi periculum eſt, vbi *diuulſum* [r]) eſt: cruditas enim magna ſubeſt, et crebro poſt recidiuas oritur: et ſi ab ineunte iudicatione [s]) eſt, vide, ne perfectam eam exiſtimes. Hinc *diuulſum*, *liueſcens et limoſum* peſtiferum habetur. Praeter haec *aequale* [t]) ac *purum ſedimentum* attendi debent. Hoc naturae imbecillitatem magnam indicat, illud vero bonam materiae morboſae coctionem; Contra vbi *inaequale* eſt, morbum longum.

§. 618.

Ab *ſedimento copioſo* copia crudi humoris [u]) colligitur, et commune illud puerorum, adultorum, otioſorum, pinguiorum hominum ex RHASIS obſeruatione eſt. Vt vero *multum ſine febre* [v]) meatus bilis obſtructos docet, ita *terreſtre* procliuitatem ad calculos, et haud raro delirium [w]) ipſum; ſaepe abſceſſus auerruncat, praeſertim ſi ſimul album eſt. Quod ſi die quodam indice accedit, ſcire licet, proximo die decretorio integram ſanationem [x]) futuram. At ſi *exiguum ſedimentum* eſt, ſignum cruditatis, virium naturae effoetarum, itemque colliquationis eſt, et niſi ad vndecimum vſque quantitas increſcat, mortis ipſius. Sin vere *prorſus deficit* [y]), in ſanis ſucci alibilis penuriam, v. c. poſt inediam, laborem et ſudorem nimium cet. concoctionem laeſam, vim ſolidorum debilem vel nimiam, ſanguinem glutinoſum, tubulos

r) *Gal.* Vrin. c. 6. p. 477.
s) *Duret.* ad *Hipp.* Aph. p. 541.
t) *Hipp.* Progn. §. 11. p. 456.
u) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 500.
v) *Macbride* l. c. p. 369 ſq.
w) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 6. p. 813.
x) *Boerh.* Inſtit. §. 1016. p. 463 ſq.
y) *Rega* Meth. P. II. c. 6. Aph. 585. p. 256.

tubulos renum conſtrictos, materiam morbi alio delatam ſignificat, in ſanis morbum imminentem, in aegris cruditatem magnam, iudicationem difficilem et periculoſam, egeſtiones alias et abſceſſum, in ſenibus mortem. Quare vbi febri intermittenti z) *vrina multum colorata* et diebus intercalaribus *liquida* ſuperuenit, nec ſubſidentia habet, malum eſt: Nam verendum eſt, ne in acutam continuam tranſeat.

§. 619.

Permiſtae cum vrina partes multae ac variae ſunt. Quae cum tantum non ſemper colore ſuo vel forma manifeſtant et locum, vnde profectae ſunt, et materiam, facile intelligitur, iſta vrinae ſigna omnium minime fallacia eſſe, modo medicus oculis cernere ac iudicio apprehendere ea didicerit.

§. 620.

Princeps *ſabulum atque arena* eſt, propria nephreticorum et procliuitatis ad calculum veſicae renumque nota, praeſertim ſi vere *craſſa et friabilia* a) deſidunt. In his ſaepenumero *vrina* b) mingitur primum *diluta* et pura, deinde ſubſidentia habet, tandem vera arena ſequitur. In aliis vero ſemper pura eſt, quia viſcida quaedam materia deeſſe videtur; interdum cum multa, turbulenta, tenacique pituita iungitur et matulae adhaeret, vbi veſicae calculum latentem vel ſordidum ceruicis vlcus denotat; interdum ex aliis locis huc demigrat c), veſica et renibus illaeſis. Frequens *genitalium pruritus* d) hoc in morbo eſt.

§. 621.

z) *Hoffmann.* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 14. p. 309. *Macbride* l. c. p. 369.

a) *Hipp.* Aph. IV. 79. p. 89. Coac. §. 3. p. 570.

b) *Gal.* Loc. Affect. VI. 2. p. 141. IV.

c) *Bonet.* Med. Sept. T. II. p. 724.

d) *Gal.* Loc. Aff. I. 1. p. 9. *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 398.

§. 621.

Corpuſcula arenae ſimillima, ſed *ſplendentia* in vrina eorum, qui febre acuta, ſcorbuto, dolore artuum et lumborum e), cet. laborant, ſaepe obſeruantur. Haec calculum non indicant, etſi ſic dubitanter IOVBERTVS f), MATTH. GRADIVS g), LVD. MERCATVS h), RIVERIVS i), WILLISIVS k), FIENVS l), ZYPAEVS m), ZVMBAG DE KAESFELD n), MORGAGNVS o), SWIETENIVS p), HAENIVS q) cet. ſenſiſſe videntur. Nam ignari, quo demum illa referri debeant, profeſſi ſunt, ea eſſe arenulas, praetenues, perminutas, ſubtiles, ad matulae latera vbertim adhaerentes, interdum ſupernatantes, rarius in imum delatas, vtplurimum ſubrufas, raro ſubalbas, interdum varie coloratas, ſine vlla calculi ſuſpicione, bono cum omine, et febre ſalubri decreſcente, nonnunquam in acerbo capitis dolore, in apoplexia correptis ſenibus, deprehenſas, digitorum affrictu leui friabiles et naturae ſali-

nae

e) *Ettmüller* Inſt. Sem. c. 2. p. 59. *Rega* Meth. P. II. c. 6. Aph. 587. p. 263.
f) *Opp.* de Vrin. c. 20 ſequ. p. 25. et p. 161. ed. Lugd. 1582.
g) Practic. ſ. Comm. in IX. RHAS. ad ALMANS. c. 14. p. 331. Venet. 1560.
h) De Morb. Intern. IV. 10.
i) Pract. XIV. 1.
k) Diſſ. Epiſt. de Vrin. c. 5. n. 6.
l) Semiot. P. II. c. 6. p. 377.
m) Med. Fund. p. 332. Bruxell. 1683.
n) De Pulſu ac vrin. n. 37 ſequ. Lugd. 1741.
o) De Sed. et Cauſſ. Morb. Epiſt. VIII. Art. 10. p. 56. ſequ. T. 1.
p) Comment. in Aph. 1414. p. 202 ſequ. T. V.
q) Rat. Med. P. X. c. 3. p. 120 ſequ. et p. 171 ſeq.

nae fuiſſe. In quo cum ſibi non ſatis conſtarent, exortus nuperrime Cl. KLINKOSCH eſt, medicos edocturus, iſta corpuſcula non arenulas eſſe, ſed vere ſalem vrinae natiuum, vbertim excretum et in cryſtallos transformatum; morbos, quibus ſuperueniat, eſſe e putridorum familia, v. c. vbi cum febre putrida peticulae, ſcarlatina, purpura, variolae, morbilli, aphthae, dyſenteriae, iunguntur cet. corpuſcula ea ſubalba et pellucida, ſpiculorum tenuium et niuis inſtar micantia, in vrina fluctuantia et in ſuperficie vel latere inſidentia, ſemper futura boni augurii, ſi die octauo, decimo vel duodecimo appareant, etſi morbus die demum viceſimo vel triceſimo finiatur; at, morbo decreſcente, ſingulis diebus ea corpuſcula ſ. arenulas eſſe obuias, et poſt coctionem vberrimas, certas iudicationis bonae praenuncias; Contra *arenas flauas*, *rufas*, *rubras*, ſi iisdem vel longis morbis bonis cum ſignis ſuperueniant, ſpem aliquam, at non omnino certam, ſalutis euentusque ſalutaris polliceri. Similia fere in febre putrida nuper obſeruauit AASKOW r).

v. KLINKOSCH (in fronte libelli legitur IO. WENCESL. TICHY) Diſſ. de arenulis in lotio apparentibus, vt infallibili ſalutaris morborum euentus ſigno prognoſtico, Prag. 1774.

§. 622.

Carunculae vel *membranae* exiguae ſi in vrina craſſa ſupernatare coeperint, renes exulceratos s) ſignificant, et pure admiſto optime cognoſcuntur, interdum et conuulſionem t) antecedunt, praeſertim vbi

r) Diar. Med. Naual. An. I. Prooem. p. 7.

s) *Hipp.* Aph. IV. 76. p. 89. *Gal.* Loc. Affect. VI. 3. p. 143.

t) Coac. §. 5. p. 582.

vbi cum horrore in imum deferuntur. *Fila alba et capillis non diſſimilia* ſaepe in venereo ſeminis profluuio et fluore albo obſeruantur, interdum poſt temere ſuppreſſum eum vel male curatum et poſt maſturpationem [u]) incidunt; At in febre maligna [v]) et peticulari inter funeſta ſigna ſunt. *Membranae* calculum fere inſequuntur, adeoque per vim a veſicae tunica interna abraſae putandae ſunt.

§. 623.

Furfures, i. e. qui exiliores et minores lamellis ſunt, ſed craſſiores [w]), interna abraſa docent, et ſi cum malis ſignis accedunt, perniciem; cum *vrina craſſa* iuncti et quaſi *ſubpingues* [x]), vlcus et ſcabiem veſicae; at cum *vrina tenui*, colliquantem febris ardorem; haud raro aeſtum motumque humorum vehementem, pinguedinem reliquosque humores per acrimoniam aliquam alcalinam reſolutos, longum et grauem morbum denunciat, v. c. in febre neruoſa. Saepe etiam *ramenta*, i. e. particulae exiguae, tenues, breues, oblongae, ſubpingues, vrinae innatant, et fere eadem ſignificant, etſi et cum inflammatione interna et ſine ea exire poſſunt.

§. 624.

Squamulae ſ. *folia et lamellae*, vaſorum tunicas abraſas et deſtructas [y]), renes, veſicam vel pudendum vlceratum [z]) deſignant. Illud ſquamularum defluuium familiare mulieribus eſt, quae fluore

u) *Horſt* et *Bartholin.* ap. *Bonet.* Med. Sept. III. 4. p. 820 ſequ.

v) Sic *Hipp.* et *Gal.* Loc. Affect. VI. 3. p. 143.

w) *Gal.* de Vrin. c. 10. p. 479. et Criſ. I. 12. p. 501. IV.

x) *Hipp.* Aph. l. c. 77. *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 364.

y) *Gal.* Criſ. l. cit.

z) *Hipp.* Aph. IV. 80. p. 89. *Lomm.* l. c.

re albo aegrae ſunt, itemque iis, quibus turpe ſeminis profluuium [a]) moleſtum eſt. Quod quo maiorem virulentiam habet inſitam, eo maiores et quaſi in vermiculos transformatae reperiuntur.

Schol. Tria haec veſicae vitia GALENVS Loc. Affect. VI. 4. p. 150. ſic diuiſit, vt *cruſtula* vlcus, *lamae auulſae* veſicam, *carunculae* renes affectos denotare debeant.

§. 625.

Mucus ſi qui vrinae innatat, vel magnam ad calculos generandos procliuitatem, vel morbos colli veſicae atque meatus vrinae denunciat. Hinc proprium vitium eorum eſt, qui pituitae crudorumque humorum redundantes ſunt, vel malo corporis habitu; interdum a vi irritantis calculi, conuulſionis et medicamentorum, quae vrinam cient [b]), quaſi abraſus mucus eſt, et cognoſcitur tenacitate ſua, lentitia, ac pondere, quo in imum defertur. Si ergo *ſubſidentia valde mucoſa* ſunt, ſcire licet, veſicam laeſam vlceratamque eſſe; Si *mucoſa et cruenta* ſimul, renum compagem.

Schol. A pure ſic differre debet, quod mucus ſtatim, ac vrina excernitur, ſubſidat, *pus* tardius, *ſemen* vero ſuperne ſuſpenſum innatet.

§. 626.

Et *ſanguis* cum vrina egeritur. Quod vbi raro incidit, ac ſine febre vel dolore [c]), malum non eſt; magis, ſi ſaepius. Ex hac enim ſanguinis miſtura vaſcula renum, veſicae vel naturalium laeſa et rupta

a) *Rega* Meth. P. II. c. 6. Aph. 575. p. 245.

b) *Macbride* Einl. p. 370.

c) *Hipp.* Praed. II. 10. p. 494.

rupta [d]) colligimus, et fere poſt mictum cruentum, calculum renum et veſicae, fluorem menſtruum, et partus purgamenta, itemque poſt vaſculorum laxitatem, roſionem, ruptionem, ictum, caſum, luxationem, ſummam humorum reſolutionem, acriora vrinam citantia medicamenta, v. c. tincturam cantharidum, oritur. Ferunt, *ſanguinem e renibus* ſine dolore egeri, niſi qua alia impedimenta adſint; *ſanguinis grumum*, cum vrinae ardore ac vehemente quaſique pungente regionis hypogaſtricae dolore profluentem, e veſica proficiſci, aegrique haud raro anxietatem, animi defectionem, colorem pallidum, pulſum paruum, obſcurum, celerem [e]) moleſtum eſſe; at *ſanguinem floridum*, ſub quo nec dolor vrget, nec renes inflammati ſunt, ex ſuppreſſis haemorrhoidibus; et ſi *mulieribus ſanis* [f]) accedat, menſium fluorem indicare. Vt vero *mictus cruentus* calculum ſaepe praecauet, et ſcorbuticis [g]) haud raro ſaluti eſt; ſic prae ceteris *malus* eſt, ſi variolis et morbillis, itemque febri malignae [h]) ſuperuenit, cum maxime poſt diem quintum; ſi poſt ſyncopen ab rigore [i]) aut poſt ſuppreſſionem eius, quocum dorſi pectorisque dolor [k]) vrget, oritur; ſi a calculo vel inſtrumentorum vitio eſt; ſi in acuto laterum dolore [l]) *vrina cruenta et fuliginoſa*, i. e. craſſa et turbida, cum ſedimento vario, incidit: Mors enim ante portas

d) Aph. IV. 75. p. 89. *Gal.* Loc. Affect. VI. 3. p. 143.
e) *Gal.* Loc. Affect. l. cit. c. 4. p. 149.
f) *Hipp.* Aph IV. 79.
g) *Eugalen.* ap. *Klein.* Int. Clin. p. 265.
h) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 405.
i) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 524.
k) Ibid. §. 2. p. 546.
l) Ibid. §. 5. p. 581.

portas eſt. Minus vero terrere debet, qui ſine dolore ac febre eſt, qui certo ſtatoque tempore menſium vel haemorrhoidum vices ſuſtinet; qui cauſſam leuem, exercitia corporis magna cet. inſequitur.

§. 627.

Multi *vrinam cruentam* mingunt, quoties *equo vel rheda* vehuntur. In his fere calculus renum ſubeſt. Sunt vero certa *calculi* m) *ſigna* vrina albidior, et ſanguine contaminata, craſſa, viſcida, et matulae adhaereſcens, in qua multa ſubſidunt, dolor fixus, et haud raro vomitus ſymptomaticus, ingens colis extremi glandisque pruritus, ſenſus irritamenti adſiduus, tactio eius catheteris miniſterio vel digitis per anum vel vaginam immiſſis certa, teſticuli retracti, eorumque dolor, ſtupor, conuulſio cet.

§. 628.

Purulenta vrina, quae dum mittitur, alba, turbida, craſſa et minus pellucida n) eſt, dum concutitur, facile dilabitur, et quoquouerſum fertur, et dum quieſcit, illico deſidit, facile cognoſcas ſanguine et ſquamis antegreſſis, cum maxime adſpectu et odore foedo. Indicat vero vlcus renum, veſicae, proſtatae et genitalium o), ab roſione ac inflammatione oriundum, v. c. in venerea labe infectis, interdum poſt inflammationem internam pus huc demigrauit p), illaeſis renibus atque veſica. Quam ob rem ſi qua inflammatio, colica nephritica, vel calculi notae anteceſſerunt, calor et dolor lumborum ſurdus

m) *Klein.* Int. Clin. p. 39.
n) *Henr. ab Heer* Obſ. Med. L. I. Obſ. 18.
o) *Hipp.* Aph. IV. 81. p. 90.
p) *Gal.* Loc. Affect. VI. 3. p. 150. *Swieten* Comm. Aph. 1191. p. 679 ſequ. T. III. *Gorter* Comp. Med. P. I. Tr. 36. §. 128. p. 170 ſequ.

dus ſubſiſtunt, febris lenta ceteraque vlceris interni ſigna q) apparent, et materia purulenta ſubruſa, nec flaueſcens facile ſoluitur et in imum defertur, ſcire licet, eam *a renibus* dimanare; Sin vero dolor et tenſio praecordiorum intoleranda, cum maxime poſt palpationem et inter mingendum, ardor vrinae, teneſmus, penis crebro arrectus, praeceſſerunt, neque pus vrinae intime commiſtum eſt, ſed vehementer foetet, *veſicae ſuppuratio* ſubeſt, praeſertim ſi nullus locus alius inflammatus deprehenditur, et pus etiam ſolum r) effluit. Tandem *vlcus in vrethra* s) inſidet; vbi materia purulenta vrinam praecedit, vel ſola excernitur. Iudicantur haud raro *febres acutae* t) tali *vrina purulenta, vitriformi, multa*, ſi ſimul *ſubſidentia bona* habet.

§. 629.

Vrina ſemine contaminata cuticula quadam tenui ſupernatante facillime cognoſcitur. Quae vbi adeſt, aut coitum antegreſſum, aut pollutionem nocturnam, aut maſturpationem, aut benignum ac longum ſeminis profluuium auguramur. At apud HIPPOCRATEM u) *vrina genitale ſemen referens*, quae febres cum opiſthotono iunctas reſoluere dicitur, itemque peſſima illa *grandinoſa genituram referens et diluta* v), ad mucoſam, albam craſſamque vrinam pertinet.

§. 630.

Vrina ſpumans ſi diu continuat, intimam oleoſarum ſalinarumque ſanguinis miſturam et naturam ſapona-

q) *Lieutaud* Precis, T. I. S. 3. p. 407.
r) *Gal.* l. cit. c. 4. p. 150.
s) *Lieutaud* l. c.
t) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 534. et §. 3. p. 568.
u) Coac. §. 3. p. 555.
v) Ibid. §. 5. p. 581.

ſaponaceam, debilem vaſorum vim, in febribus acutis iudicationem difficilem et ancipitem denunciat, praeſertim vbi in principio accedit; Minus tamen periculoſa eſt, vbi febris iam adoleuit; nam incipientis coctionis praenuncia eſt, et quo facilius ſpuma diffluit, eo melior ſalus affulget, vt magnus BOERHAAVIVS auctor eſt. Hinc apud HIPPOCRATEM *w*) vrina, cui *bullae* ſupernatant, renes affectos et morbum longum portendunt; Itemque frequens purulentis, hecticis, colliquatione ac macie corporis confectis ineſt; ideoque *ſpumoſa et pallida* *x*), in qua ſimul flocculi innatant, periculum; *ſpumoſa et flores vini* mentiens, paracopen et phrenitidem; *ſpumans flaua vel viridis*, morbum regium vulgarem, at *nigra*, nigrum; *ſpumans cum ceruicis, dorſi et corporis* vniuerſi *algore*, deliquio animi, oculorum hebetudine, conuulſionem imminentem; *ſpumans quaſique granulata*, neruorum reſolutionem denunciat. Saepe etiam *vrina ſpumoſa* tuſſim antecedit.

§. 631.

Vermes etiam cum vrina excernuntur; Quod dum fit, ſcire licet, ſordidum renum vel veſicae vlcus ſubeſſe verminoſum. Numerantur vero eorum, auctore KLEINIO *y*), mille et amplius, atque egeſtionem conuulſio veſicae horrenda, eiusque haemorrhoides cruentae, albae, copioſae cet. comitantur.

§. 632.

Ex his, quae hactenus diſputauimus, colligitur, quid cauſſae ſit, quod medici *vrinam ſanorum*

 ſimil-

w) Aph. VII. 34. p. 105.
x) *Iuncker* Semiol. p. 584.
y) Int. Cliu. p. 254.

ſimillimam [z]), ſi qua morbis acutis, iisque exitialibus, ſuperueniat, tantopere metuant, quoniam naturae morbi contraria eſt, et peſſimum exitum praeſagit: In longis [a]) vero, vbi continuat, valetudinem et ſecuritatem ancipitem pollicetur.

§. 633.

Quibus abſolutis, conſequens eſt, vt, quid de hiſce vrinarum iudiciis et praeſagiis ſentiendum ſit, quae cautio adhibenda, ne fallaris, iam paucis regulis complectamur.

1) *Vrina ſanorum* medico cognita eſſe debet; nam mire variare turbarique ſolet, ideoque attendenda *aetas*, *ſexus*, *caelum*, *temperies*, *vitae genus* et *victus*, *morbi antegreſſi*, et *medicamenta* hauſta ſunt.

2) *In aegro* omnia conſiderari debent ante, quam ex vrina praeſagias; Alias enim ſigna iſta facile fallunt. Sic v. c. ex vrina bene colorata et *nubecula* die decretorio *alba vel ſubrubra*, ſenſim ad imum delata, in qua ſimilia ſubſidunt, ſanitatem vel morbi finem breui adfuturum praedicere poteris; Sic ex *vrina praerubra*, *cruenta*, ineunte morbo, *tenui et liquida*, *ſpumante et pellicula tecta*, in qua farinae grumique ſimilia, mucoſa, inaequalia deſidunt, longitudinem morbi; ex *vrina* ſenſim pedetentimque *tenuiore*, *inconſtante*, *turbida*, materiae migrationem; et ſi *cum nubecula ſurſum tendente* eſt, parotides, ipſumque delirium et phrenitidem, cum maxime vbi *nubecula nigra* innatat; ex *vrina turbida* capitis dolorem ceteraque eius mala; ex *vrina aquoſa et larga* in

z) *Proſp.* VII. 15. p. 522.
a) *Io. Damaſcen.* ap. *Moyſen* Aph. 51. p. 538.

in morbis longis, contra ex *ſuſpenſo claro*, *ſpuma* et *pellicula praetenui*, in acutis conuulſionem cet.

3) *Vrinam* eorum, qui ex morbis morituri ſunt, vt plurimum malam eſſe, ac ſummum vitae diſcrimen denunciare; Hinc *vrina non bona* ſaepe inter iudicationis imperfectae ſigna eſt, at *non mala* et nihiloſecius cum malis ſymptomatis copulata, periculum indicat.

4) Ceteris morbi ſignis bonis, *vrina mala* terrere non debet: Contra vbi cum malis incidit, mortem portendit.

5) Multis in morbis *ſigna ex vrina nulla* ſunt, v. c. in febre peſtilentiali, in morbis, qui ſingula corporis membra, vel ſolidas partes b) tenent.

6) Ad explorandum vrina eligenda eſt *ſanguinis*, *non potus*, quae vna iuſta quantitate, et ſummo *mane mittitur*, in *vitro albo*, pellucido, puro, oblongo, bene obturato, mediocrisque altitudinis continetur, nec cum alia commiſta eſt, nec vltra ſex horas adſeruata, ſed procul a ſole, frigore, flatu, quieti data, refrigerata et ad aegri lectulum depoſita; Haec demum in loco ſereno, ſed ab radiis ſolis vel candelae, quoad eius fieri poteſt, remoto examinari poteſt.

7) Caue, ne *alium liquorem pro vrina* inſpiciendo decipiaris: Nam ea, quae vrinae inſunt, et odor praecipua deuitandi erroris praeſidia ſunt.

8) Memento, *vrinam* in febribus acutis, ſcorbuto, et morbis longe diuerſiſſimis haud raro *eandem* eſſe, adeoque rem fallaciſſimam, cum tot tantisque modis permutari poſſit. Quare profe-

b) *Gorter.* Prax. L. III. Tit. III. 54. p. 191. T. I. ed. Lipſ.

profecto iſta vrinarum iudicia tanti habenda non ſunt, quanti multi putant.

9) Vrinam *in aedibus aegri* contemplari licet; peregre allatam, nefas eſt. Denique

10) Caue, ne turpiſſimi lucelli ſtudio ductus *vroſcopiam* impudenter facias, aegrorum fidem fallas, eosque argento emungas, vel ex vrina praeſagias, quae ibidem cerni nequeunt, v. c. femina grauida ſit, nec ne, quae aetas aegri, quod nomen et domicilium, qui ſexus, vel ſcalae gradus, vnde delapſus cecidit, cet. Dedecent iſtae fraudes virum probum et grauem, et cum maxime medicum valitudinis publicae cuſtodem.

v. EVRICII CORDI de abuſu vroſcopiae conclusiones earumque enarrationes aduerſus mendaciſſimos erroneos, medicaſtros cet. Francof. 1546. 8.

PETR. FORESTI L. III. de incerto et fallaci vrinarum iudicio, Antwerp. 1583. et Lugd. Bat. 1589. 8.

THEOD. ZWINGER de vromantias vſu et abuſu, Baſil. 1705.

STAHL reſp. RVPPARD Diſſ. de vromantiae et vroſcopiae abuſu tollendo, Hal. 1711.

BENI. EWALDT Diſſ. de vroſcopiae vſu et abuſu, Regiom. 1718.

ABR. VATER Diſſ. de prudentia et circumſpectione in vroſcopiae adminiſtratione a medico rationali adhibenda, Viteb. 1729. 4.

CAPVT

CAPVT IIII.

DE ACTIONIBVS SEXVS, VT SIGNIS.

§. 634.

Patent ſexus inſtrumenta caſibus multis, iisque haud raro longe turpiſſimis. Quod dum fit, neceſſe eſt tollantur prorſus aut ſaltem infirmentur illae actiones, quibus matrimonii iura ſalua, ſarta, tecta continentur, et mutua coniugum amicitia perennare poteſt. Etenim ſine his et ſublato laeto liberorum prouentu, ſaepe oriuntur turpes diſcordiae. Accedit, quod hodie res illa tori ſacra identidem ad iudices defertur, ideoque medicorum eſt, in iſta naturalium vitia curatius inquirere, atque prouidere, ne quid temere iudicent, aut cui maculam ſempiternam inurant.

§. 635.

Iam vero cum varie vtriuſque ſexus inſtrumenta fabricata ſint ad exſequendum naturae propoſitum, conſequens eſt, vt illas functiones laeſas ſeorſim explicemus, indeque eliciamus ſigna potiora, quibus vniuscuiusque vitia per ſe ſatis ſuperque intelligantur.

SECTIO I.

DE ACTIONIBVS SEXVS POTIORIS LAESIS.

§. 636.

In virorum inſtrumentis *pubertas*, *penis* et *ſemen* conſiderari debent. Haec enim nos viros faciunt. Accidere vero poteſt, vt *mentula* ſe aut *non ſatis arrigat*, aut prorſus *deficiat*, aut nimis et praeter voluntatem *rigeſcat*, aut *mediocriter*, *nec* quam diu

ſatis eſt. Sic *ſeminis iactus* non poteſt non aut *imminui*, aut *tolli*, immo vero ſuccus ille nobiliſſimus valde *immutari* et *fecunditas* ipſa *nulla* eſſe.

v. Diſſ. noſtra de cauſſis impotentiae in ſexu potiori ex doctrina HIPPOCRATIS veterumque medicorum, Ien. 1774.

§. 637.

Sunt ergo primaria *pubertatis* c) ſigna aetas apta et annalium eccleſiaſticorum auctoritate confirmata, vocis cantusque mutatio, barba et pilorum prouentus in obſcenis partibus, ſeminis ſecretio, et coitus appetitio, mulierum conſectatio, laſciuia morum d), tandemque oculata inſpectio, rel. Quae pubertas vbi morbos inueteratos ſoluit, v. c. epilepſiam, bonum eſt. At peſſimum, vbi *labes venerea* tunc demum effloreſcit; Exinde enim colligere licet, eam in intimos corporis receſſus dudum ſe inſinuaſſe, vereque eſſe immedicabilem.

§. 638.

Saepe *mentulae arrigendae impotentia* incidit, et virium neruique torporem, debilitatem corporis vniuerſi vel pudendorum, ab voluptate, maſturpatione ac coitu nimio oriundam, ſeminis boni penuriam, aut certe quantitatem minus idoneam, itemque eius tenuitatem vel craſſitudinem nimiam denunciat. Ergo certiſſima ſterilitatis auctor eſt, et ſaepe morbos graues e), tanquam malum augurium, antecedit. Idem de *pene flacco* ſentiendum eſt, quippe is fere corporis vniuerſi infirmitatem, antegreſſam maſturpationem f) et ſeminis eiiciendi vim ſub-

c) *Albert.* Iurispr. Med. c. 2. §. 8. p. 25.
d) *Lamb. Velthuyſ.* de Generat. c. 4. Opp. p. 1304.
e) *Hipp.* Praed. II. 45. p. 519.
f) *Tiſſot* von der Onan. Th. I. Abſ. I. p. 8. ſequ.

ſublatam indicat. In morbis acutis et longis non adeo terrere debet, etſi ex eo magnitudo mali, neruis prae ceteris inſenſiſſimi, et debilitas ſumma colligitur. Contra inſanabile vitium eſt, vbi poſt *reſolutionem neruorum naturalem* ortum eſt.

§. 639.

Colem facile arrigi, ſed *deſidere* ante, quam ſemen eiiciatur, malum eſt, et vim phantaſiae neruorumque aliquam, at quae non ſuppetat ad opus exſequendum, oſtendit. Hinc niſi tolli vitium illud poſſit, indubitatum ſterilitatis atque impotentiae ſignum eſt; contra vbi ſub morbis acutis adultioribus ſponte ſua et citra irritamentum adſurgit, valitudinis rediturae. Itemque ſi *per artes* in viro ceteroquin ſano et vegeto *excitatur*, v. c. ſtimulo, igne atque calore externo, palpatione, medicamentis, ex eo turpiſſima infirmitas et iuſta diuortii cauſſa colligitur.

§. 640.

At ſi *penis nimis et perpetuo* ſe *arrigit*, ſemper praeter naturam et malum eſt: Nam ſi acutae febri g) ſuperuenit, conuulſionem periculoſam fere denunciat, at cum ceteris bonis ſignis ſanitatem pollicetur. Hinc *penis conuulſio* h), quam σπασμὸν appellant, iis, quibus podagra et haemorrhoides inordinatae incommodant, frequens et dolens eſt, nonnunquam *cum chorda* copulata, et, vbi nondum inueterauit, et aeger corpore firmo eſt, medicabilis eſt. In his vero vitiis eniteſcunt *priapiſmus* i. e. tentiginis tenſio et diſtentio ſine veneris appetitione, et *ſatyriaſis* i. e. quae cum inexplebili ſalacitate vrget, ita tamen, vt haec voluptatem adferat, ille dolorem. In his vero ingens pudendorum conuulſio, inflammatio, vlceratio,

g) *Pezold* Progn. Febr. c. 2. §. 54. p. 38.
h) *Klein.* Int. Clin. p. 58.

ratio, irritatio et acrimonia, v. c. ab vicinis partibus diſtentis, arroſis, inflammatis, a calculo, dolore podagrae, lumbagine cet. ſeminis boni abundantia v. c. in monachis et qui caelibes viuunt, acritudo et virulentia, morbi conuulſiui, deliria laſciua rel. ſubſunt. *Priapiſmus* certe, auctore ARETAEO [i]), malum acutiſſimum, triſte ac foedum eſt. Qui ſi poſt *abſtinentiam a coitu* [k]) naſcitur, aut recens eſt, aut morbis, tanquam ſymptoma, ſuperuenit, v. c. in hydrophobia et inſania, terrere non debet; magis, ſi iam inueterauit.

§. 641.

Magnitudinem etiam *penis excedere* poteſt, et aut iuſto *breuior* eſſe, aut *longior*. Ille ſiue a natura ſit, ſiue a morbo, v. c. poſt amputationem vel deſtructionem, ſaepe venerem et fecunditatem aufert, quia ſemen ad vterum vſque deferri non poteſt, et iuſtam diuortii cauſſam praebet; hic vero, qui *bifurcatus*, *monſtroſus*, *diſtortus* cet. eſt, multo magis coitum tollit. Praeter haec ſi *glans non perforata* eſt, aut *loco alieno*, vt ab vlcere venereo ſaepe accidit, ſi *exeſa decidit* vel *abſcinditur;* ſi *praeputium* nimis *adſtrictum* eſt, nec chirurgi manu reſecari poteſt, ſcire licet, virilitatem nullam eſſe.

§. 642.

Sine teſtibus vir nemo eſt. Hinc ſi *deficiunt*, v. c. in caſtratis, vel per inflammationem vlcerati, corrupti, deſtructi, indurati et in ſcirrhos transformati ſunt, fecunda coitio exſpectanda non eſt; ſemen enim non ſecernitur. *Teſticuli magni* et *plures*, itemque *vaſa ſeminis latiora*, haud raro ſalaciores homi-

i) Cauſſ. et Sign. Morb. Acut. II. 12. p. 18. Coll. *Steph.*
k) *Gal.* Loc. Affect. VI. 6. p. 64.

homines indicant. *Monorchides*, i. e. qui vnum habent teſticulum, itemque quorum *teſtes intus* [l]) latent ſ. *teſticondi*, cum vere ſobolem procreare poſſint, ab matrimonio arcendi non ſunt. Ab *teſticulis inflammatis*, *contuſis*, vel quouis alio modo laeſis [m]) dolor intolerabilis, ſcirrhus, cancer, abſceſſus, gangraena, ſphacelus, et haud raro mors naſcitur. Qui ſi in morbis acutis *per conſenſum* [n]) ad anulum *retrahuntur*, dum meatus vrinae ab acri materia ſtimulantur, ſpes eſt, breui vrinam decretoriam adfuturam: At ſine his ſignis malum eſt, et tantum non ſemper dolores magnos, conuulſiones et vitae diſcrimen [o]), in hydropicis [p]) mortem certam denunciat. Hinc etiam *hydrops ſcroti* [q]), vbi febri acutae ſubito et ex improuiſo ſuperuenit, altero tertioue die mortiferus eſt. Haud raro etiam *hernia magna et inveterata*, generationis inſtrumenta occupat, et in his *ſarcocele vtriusque teſticuli* eminet. Vnde et ob vaſa compreſſa atque obliterata ſemen deficit, et ob molem coire non licet.

§. 643.

Et *in ſemine* latent quaedam vitia. Interdum rite *eiici non poteſt*, ideoque aut vere deficere debet, aut viae clauſae eſſe, aut inſtrumenta, quibus iſtud negotium peragi debet, imbecilla, v. c. muſculorum acceleratorum, ſuſpenſorum, et conſtrictoris ani reſolutio, ideoque fere vaſa iſta anguſtata, obſtructa, laeſa,

l) *Rolfinck* ap. *Simon* Delin. Impot. Coniug. c. 3. Theſ. 2. n. 3. ſequ. *Haller* El. Phyſ. T. VII. p. 415.
m) *Barbette* ap *Klein*. p. 300. *Haller* l. c.
n) *Pezold* Progn. l. cit. §. 2. §. 54. p. 38.
o) *Hipp.* Progn. §. 8. p. 454. Coac. §. 3. p. 571. *Gal.* in Progn. Comm. II. 10. p. 763. IV.
p) *Klein* Int. Clin. p. 138.
q) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 6. p. 5.

laeſa, teſtium, epidymidum, vaſorum ſeminis et ductus deferentis, veſicularum, proſtatae, meatus vrinae, corpora penis cauernoſa ab vlcere, callo, carunculis, cicatricibus foedis deturpata rel. reperiuntur. Hinc perire debet aequalis ſeminis iactus, voluptas mulieris et fecundatio ipſa. Saepe illud vitium a laxitate, obſtructione, conuulſione eſt, indeque intelligitur, ſi quem morbus comitialis inter coeundum apprehendat, ſemen rite exire non poſſe.

§. 644.

Seminis effuſionem copioſam r) peſſima quaeuis ſymptomata inſequuntur, puta, ſolidarum corporis partium debilitas et inertia, ſuccorum cruditas et paucitas, ſenſuum neruorumque hebetudo, perraro ſenſus rerum exquiſitior atque nimius, fatuitas, ſtupor, animae defectio et conuulſio ab exinanitione, macies, tabes, cum ea, quae a pulmone nomen habet, tum potiſſimum quae medullam ſpinae contaminat.

§. 645.

Incontinentia ſeminis oculis cernitur, et in permultis poſt leuiorem quamuis membri rigiditatem, phantaſiam diurnam nocturnamue, adſpectum puellae amabilis, et pulcri ſenſum, itemque poſt morbum, cum maxime veſicularum ſeminis, interdum etiam poſt debilitatem harum partium s) ſingularem oritur. Indicat vero iſta ſeminis incontinentia perinſignem et exquiſitiorem neruorum ſenſum, maioremque, ac fas erat, genitalium irritabilitatem, ſeminis boni quaſique turgidi redundantiam, v. c. poſt longam a coitu abſtinentiam, aut etiam ſemen tenue, acre, velli-

r) *Kloekhof* Diſſ. de Morbis Anim. p. 37.

s) Sic nos aliquoties vidimus, vbi illico perinaei ſudor copioſus et mentula flacca ſucceſſerunt. cf. *Pechlin.* ap. *Klein.* p. 152.

vellicans, virulentum, v. c. in ſeminis turpi fluore, meatuum laxitatem a praematura nimiaque venere iuuenili oriundam, incautum eorum medicamentorum vſum, quae et vrinam cient, et venerem excitare creduntur, v. c. tincturae cantharidum, tandem virus venereum; ſub his enim vitiis conceptio ſaepe tollitur, certe valde retardatur. Contra vti ſeminis incontinentia, quae *deſtructis vel eroſis veſiculis* debetur, peſſima atque inſanabilis eſt, ita *diuturna ſeminis* ſ. *liquoris proſtatici profuſio* tabem miſeramque mortem inducit.

§. 646.

Semen tenue, aqueum quaſique dilutum, ſiue *tenax, craſſum, glutinoſum* et *exiguum*, eſſe, bonum non eſt, et certiſſimum temporariae ſterilitatis documentum. Id quod etiam de iis ſentiendum eſt, quos *longus ſeminis fluor* vel *venus nimia* debilitauit, cum maxime ſi manu admota ſtimulatur. Quare id certum eſt, quo magis *ſemen bonum* abundarit, eo maiorem veneris appetitionem ſobolisque ſpem ſupereſſe, praeſertim vbi venus diu quieuit aut rara fuit. A *ſemine reſorpto* in multis odor grauis oritur, ipſis neruis vehementer aduerſus: Contra ab *retento ſemine* t) nauſeam, triſtitiam, epilepſiam cet. naſci, terrere non debet, modo veneri litare licet.

SECTIO II.
DE ACTIONIBVS SEXVS SEQVIORIS LAESIS.

§. 647.

Mulierum naturalia ita fabricata ſunt, vt certo ſtatoque tempore *pubes effloreſcere*, *purgatio menſtrua* prodire, *vir admitti*, *ſemen excipi*, *ouula fecun-*

t) *Haller* El. Phyſ. T. VII. p. 547.

fecundari, et *nouus homuncio* in vtero procreari, nutriri et tandem naſci, poſſit. Quo facto, infans matris *mammis* lactandus eſt. Sed ſaepe iſta muliebrium munia rite obiri nequeunt, ideoque nec haſce actiones ſexus laeſas ſilentio praeterire placet. Sunt vero ex ordine conſideranda *pubertas*, *menſtrua*, *virginitas*, *grauiditas*, *partus*, *lactandi puelli officium*, denique vera *ſterilitas*.

§. 648.

Inter ſigna *pubertatis mulierum* u) referuntur aetas iuſta circiter quatuordecim annorum, pilorum in pudendis prouentus, veneris appetitus, magis vero vox mutata, mammae turgidulae, menſtrua purgatio indeque oriunda corporis atque membrorum quaſi euolutio, formae decor, oculorum vigor, laſciuia, et facultas virum admittendi et concipiendi. In quo tempus liciti matrimonii potiſſimum cernitur. Qua de re bonum eſt, morbos inueteratos quaſique aſſidentes, v. c. epilepſiam, conuulſiones v), per pubertatem reſolui.

§. 649.

Princeps valitudinis bonae malaeque cauſſa in muliere putatur *purgatio menſtrua*. Quae ſi *ante pubertatem* w) incidit, debilitatem aliquam vaſculorum indicat, iterumque citra incommodum ceſſat: At vbi *praecox* eſt, i. e. anno duodecimo x) iam moleſta eſt, libidinem ingentem et citam denunciat, vnaque matrimonium accelerandum ſuadet, ne quid detrimenti virginitas capiat. Poſt annum demum duodeuiceſimum morboſa eſt.

§. 650.

u) *Schurig* Parthenol. Sect. I. c. 2. §. 1. p. 12. ſequ.
v) *Hipp.* Aph. V. 32. p. 93.
w) *Schurig* l. c. p. 127. ſequ. Ego bis in puella trienni vidi.
x) *Zimmerm.* Erfahr. T. II. B. 4. c. 10. p. 410.

§. 650.

Defectio menſtruorum ſemper mala eſt, eamque ſequuntur vt plurimum color oris pallidus [y]), inflatio ſtomachi et ventris, appetitus, nullus aut vitioſus, nauſea, vomitus, oris pedumque tumor, dolor et grauitas lumborum, dolor capitis et inteſtinorum aſſiduus, vigiliae, pulſus febrilis, caloris frigorisque viciſſitudines, ſpiratio difficilis et palpitatio, animi deliquia crebra, triſtitia, ſterilitas, haud raro ſanguis e naribus, pulmone, ventriculo, veſica vrinae, cet. erumpit, et vtcunque a periculo liberat. Vbi ergo iſta defectio poſt *egeſtiones copioſas*, *inediam*, *morbos grauiores*, oritur, nec adiuncta mala ſigna habet, terribilis non eſt. Magis, vbi *membranae* intentae debetur; nam virginibus, primam purgationem experturis, periculum adfert: maxime vbi *vagina cluſa* vel *coalita* eſt, itemque ab vteri cicatrice poſt vulnera et vlcera [z]). In his veneri locus nullus eſt. *Menſtrua ſubito ſuppreſſa* [a]), ſanguinis abundantia, ſpiſſitudo, acrimoniae variae, ſuccorum corruptio, tardior humorum motus et vaſa infirma, viſcerum obſtructiones, praeſertim vteri, torpor, rigiditas ceteraque mala peſſima, itemque aſthma, praefocatio et crebra ſyncope, apoplexia neruorumque reſolutio, melancholia et inſania, conuulſio et morbus comitialis, catalepſis [b]), arthritis, malus corporis habitus, hydrops, tabes, metui debent, niſi fluor reſtitui poſſit.

y) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 1. p. 251. ſequ.

z) *Decker* ap. *Klein.* p. 181.

a) *Schurig* Parthen. Sect. II. c. 6. §. 11. p. 158. *Vogel* Cogn. et Cur. Morb. Aph. 380. p. 291.

b) Talem feliciter percurauimus, quae poſt terrorem a fulgure exorta erat.

poſſit. Nonnunquam *menſes per vias inſolitas* c) v. c. angulum oculi internum, labia, mammae papillas, brachia cet. erumpunt, at minus tutae iſtae viae ſunt, triſtiſſimae ſanguinis per intimos corporis receſſus errantis indices atque vicariae.

v. GE. ERN. STAHL reſp. IAESCHKE Diſſ. de menſium inſolitis viis, Hal. 1702, rec. in HALLER. Diſp. Pract. p. 525. T. IV.

IO ADOLPH. WEDEL Diſſ. de viis menſium inſolitis, Ien. 1745.

§. 651.

Interdum *menſtrua grauidis* bis terue incidunt, et ſi ab ſanguinis multitudine proficiſcuntur, mala non ſunt; at ſi a *vaſculis vteri laeſis* vel *placenta ſoluta* d), peſſima et haud raro mortifera. Eadem fere praeſagienda ſunt, vbi ſubito *vetulas ſanguinis redundantes* deſerunt, niſi aut venaeſectio, aut haemorrhoides eas a periculo immunes praeſtant. Raro *lactantes* e) incommodant, et fere infanti lactenti nocent. Ex his intelligitur, cur medici *ſine menſibus* f) conceptionem aut nullam, aut perraram eſſe ſtatuunt.

§. 652.

Nimia purgatio menſtrua g) ſemper periculoſa eſt: Etenim ſanguinis abundantiam, concitationem, quam

c) *Schurig* l. cit. c. 3. p. 84. et *Swiet.* Comm. Aph. 1286. p. 421. ſequ. IV.

d) *Schurig* ib. c. 8. §. 1. p. 202. et plura exempla v. apud artis obſtetriciae magiſtros.

e) *Roſenſtein* Kinderkr. Abſchn. I. p. 7.

f) *Schurig* l. cit. c. 6. §. 6. p. 193. et c. 7. §. 9. p. 200. *Hildan.* ap. *Klein* p. 80.

g) *Gaub.* Pathol. §. 825. p. 456.

quam vulgo *orgaſmum* nominant, tenuitatem, acritudinem, celerrimum humorum motum et moleſtam ad vterum congeſtionem, at reditum ob conuulſionem, et obſtructionem, fere denegatum, vaſorum debilitatem, irritationem, amplitudinem, eroſionem, ruptionem a quauis cauſſa laedente ac relaxante, ingenio viuido, laetitia, ira, venere et abortu crebriori, partu difficili rel. et vteri haemorrhagiam metuendam denunciat. Quae ſi continuat, praeſertim in iuuenculis, ſcire licet, eas periclitari, et abortionem frequentem, fluorem album pertinaciſſimum, ſterilitatem, malum corporis habitum, hydropem atque tabem eſſe experturas. At ſi *vetulas* h) occupat, inſanabilis et haud raro mortifera eſt.

§. 653.

Menſes decolorati malos corporis vniuerſi ſuccos, fixa naturalium vitia, vaſorum infirmitatem atque inertiam, indeque oriundam ſeri acrioris, mucoſi et huc delati colluuiem, immoderatam venerem, ſalacitatem et maſturpationem i) denotant. Quare *fluor albus* k) frequens menſtruorum ſuppreſſorum et mali corporis habitus comes eſt et malorum grauiſſimorum auctor, cum maxime ſterilitatis. Fuere tamen, auctore diuino HIPPOCRATE l), quae cum albis menſibus enixae ſunt. Multis feminis *menſes ſine dolore nulli* effluunt, in quibus conuulſio, acrimoniae variae et deprauata humorum indoles ſubſunt, v. c. in iis, quae frequenter abortarunt et ſteriles ſunt.

§. 654.

h) *Decker* ap. *Klein* p. 182.
i) *Tiſſot* von der Onanie, Abſchn. V. p. 56. ſequ.
k) *Vogel* l. c. Aph. 370. p. 283.
l) Epid. IV. 13. p. 751.

§. 654.

Neque negligenda *ſigna virginitatis* ſunt, de quibus in vtramque partem diſputant medici. Adferuntur vero antiquitus quaedam per *miracula*, *per acum S. WILFRIDI*, *fiſtulam*, *fontem*, *auem*, *ignem*, *aquam*, *duella*, *ſuffumigationem* m), ſed perridicula illa, incerta et longe fallaciſſima. Similia fere virginitatis amiſſae et explorandae indicia a *corpore virginum* repetuntur, v. c. ab *vrinae miſſione*, *ſono et tenuitate* n), a *puellarum gracilitate*, *naſi apice latiori* o), *colore oculorum palpebrarumque liuido*, *colli metatione*, *voce aſpera et virili*, quippe talis poſt coitum oriri dicitur, *hirci odore graui*, *mammis turgidulis et ſororientibus*, *papillis non rubicundis*, *ſed ſubliuidis*, *lactis copia aliqua*, *pilis circa genitalia criſpis*, quos mulierum eſſe dicunt, non virginum, denique a *pudore amiſſo* rel. Sed ſalua virginitas cum hiſce ſignis eſſe poteſt, quippe ea poſt alia corporis vitia ſimiliter naſcuntur, ideoque medicus in iis ſolis acquieſcere non debet.

v. SEVERIN. PINAEVS de integritatis et corruptionis virginum notis cet. et MELCH. SEBIZIVS de notis virginitatis, Francof. et Lipſ. 1690. 12.

MART. SCHVRIG Parthenologia, h. e. Virginitatis conſideratio cet. Dresd. et Lipſ. 1729. 4.

§. 655.

m) *Schurig* l. c. Sect. III. c. 2. §. 2. p. 274. ſequ.

n) *Zacchiae* Quaeſt. Leg. L. IV. Tit. 2. Qu. 2. n. 15. p. 378. *Roderic. a Caſtro* Med. Polit. IV. 12. p. 261. *Schurig* l. c. p. 282.

o) *Alberti* Iurisprud. Med. c. 3. §. 7. p. 65.

§. 655.

Certiora virginitatis ſigna putantur, quae a *labiis*, *frenulo*, *nymphis et hymene* p) repetuntur. Etenim *labia naturaliter tumida*, *modice dura et renitentia* eſſe debent; *frenulum tenſum*, *non laxum aut laeſum* q); *nymphae tenues* r), denique *hymen* vel *carunculae*, *vaginae* et *oris externi anguſtia*, et *coitio prima acerrima atque cruenta*, *crebrae vaginae rugae* s), *os vteri internum aequale* t), *genitalium inſpectio et exploratio* rel. Sed multi iam ante nos medici monuerunt, lubrica, incerta et perquam fallacia maximam partem iſta virginitatis ſigna eſſe oportuiſſe, niſi memineris diuiſionis illius ſatis verae in *virginitatem moralem et phyſicam*, quam alii *corporalem* et *mentalem*, itemque *materialem* et *ſpiritualem* u) nominant, quarum altera ab altera diuelli facile et ſaepe ſolet. Optime vero omnium ROEDERER v), iſtos variorum diſſenſus compoſiturus, ad *varios virginitatis ſtatus* attendendum exiſtimauit, feminamque conſiderandam eſſe

1) *In ſtatu virginitatis integerrimo*, i. e. vbi ea nec cum viro rem habuit, ſiue ſponte ſua, ſiue per vim atque ſtuprum, neque abortauit, neque peperit.

p) *Schurig* l. c. Sect. III. c. 4. §. 1. p. 292. ſeq.
q) *Haller* Phyſ. T. VII. p. 79.
r) *Zacchias* l. c. L. IV. Tit. 2. Qu. 2. n. 11. p. 378. et *Schurig* l. c. p. 294.
s) *Teichmeyer* Med. Legal. c. 4. p. 23. ſequ. *Diemerbroek* Anat. I. 26. p. 147. *Ammann.* Irenic. p. 129. ſeq.
t) *Diemerbr.* l. c. p. 146.
u) *Teichm.* l. c. p. 20. et *Schurig* l. c. p. 270.
v) Elem. Art. Obſt. c. 6. §. 115. ſeq. p. 52.

2) *In ſtatu virginitatis laeſae* per infortunium, libidinem, violentiam.

3) *In ſtatu celebrati concubitus*, cui neque abortio, nec partus ſuperuenit.

4) *In ſtatu celebrati concubitus*, poſt quem abortauit femina: Denique

5) *In ſtatu veri partus.*

§. 656.

His praemiſſis, facilius de virginitatis notis iudicare poteris. Ineſſe enim *priori virginum generi* debent, niſi per vim aut morbum alia eueniunt, *ſinus virgineus bene conniuens*, *duriuſculus* et paullo *tumidior*, *nymphae extumidae*, *non flaccae*, *paullo minores*, *exiguum virgae muliebris praeputium*, *et glans fere nuda*, *os vrethrae fere clauſum*, *genitalium veluti aliquis nitor*, *ſplendor atque rubor elegans*, *membrana integra*, *non lacera vel in carunculas myrtiformes transformata* w), *columnae rugarum vaginae praetumidae*, *veſtibulum elatius.* In his profecto, vt verbis TERENTII Comici vtar, *coitio prima acerrima* ſ. *ſubcruenta* eſſe debet. Sed iſta virginitatis teſtimonia in adultis perrara ſunt, neque deſunt feminae, quae, integra iſta membrana, virum admiſerunt. In *altero tertioque virginum genere* plerumque *os vteri virgineum* eſt, i. e. compactum firmum, fere cartilagineum, laeue, politum, *genitalia externa flacca et biantia*, *virga muliebris longior* et *in glandem ipſam ſuperinducta*, *nymphae ſubrubrae*, *prominulae*, *et veluti languentes*, *oſtium meatus vrinae amplius* magisque apertum, *membrana ſubrubra*, *flaccida*, *minor*, *deſtructa*, eiusque loco *carun-*

w) *Haller* El. Phyſ. T. VII. p. 92. ſequ.

carunculae myrtiformes vaginae clauſtro quaſi adſidentes; denique *vagina patens et amplior*, *columnae rugarum flaccae* et veluti *ſolitariae*.

Schol. *Carunculae myrtiformes* ſub auctore Cl. WRISBERG l. c. n. p. 55 ſemper indicant membranam genitalem deſtructam et coitum crebriorem; *lacerae* vero et in fragmenta quaſi diuiſae rariorem, ſaepe ſolum infortunium. Sed in iſta exploratione multa cautione opus eſt, ne fallaris. Poteſt enim praetenuis illa membrana rumpi et lacerari, dum frequentius pedes diuaricantur, v. c. ſaltu, quae fere eſt puellarum petulantia, equitatione virorum more peracta, fluore menſtruo rubro et albo acriori, vteri haemorrhagia, puris roſione, maſturpatione et adſidua naturalium contrectatione cet.

§. 657.

Quarta virginum ſpecies multa cum antecedenti communia habet, vbi embryo abortu proiectus vel mola minor fuit: At poſt ſextum menſem magis oculis cernitur. Illis enim ineſt *os vteri paullum longius*, *mollius et tumidiuſculum*, pro mole homunculi apertum; *cicatrices in rima transuerſa poſt abortum multae aut difficulter detegendae*, *frenulum fere integrum*, *membrana deleta* cet. De *quinta virginum ſpecie* paullo poſt, vbi ad grauiditatis ſigna peruenerimus.

§. 658.

Reſtant *ſigna ſtupri violenti*, cuius diuiſiones varias, cum in medicina forenſi vberius explicentur, iam non attinet pluribus anquirere. Ego vero tale ſtuprum dari nego et pernego, cuius praecipua in-

 dicia

dicia *pudendorum tumor, ſanguineus ab affrictu vehementi rubor, inflammatio et cruentus color.* Haec enim ſunt longe fallaciſſima, niſi illico poſt perpetratum flagitium explorentur genitalia et quae rem iſtam anteceſſerunt.

§. 659.

Sequitur *conceptio et grauiditas.* Cuius ſigna etſi multa a medicis adferuntur, maximam tamen partem minus tuta vel omni exceptione maiora ſunt. Eo referunt *ſemen retentum, incredibilem voluptatis ſenſum in vtroque ſexu* x), *dolorem in femina et quaſi conuulſionem circa vmbilicum, inflationem et calorem vagum abdominis,* qui e veſtigio coitum ſequitur, *horror et frigus, anxietas et moeror,* denique *os vteri* vtcunque *cluſum;* Poſt haec oriuntur *nauſea, vomituritio, ardor ventriculi, appetitus aut nullus, aut deprauatus* ſ. *malacia, facilis animi excandeſcentia, triſtitia virique faſtidium, inſolita artuum laſſitudo et grauitas, pigritia, crebra dormiendi cupiditas, animaeque deliquia, oculi profundi, retracti, liuidi, languidi, illacrumantes,* quos *areola palpebrarum dependentium ſubliuida vel caerulea* quaſi includit; *puſtularum oris eruptio; menſtruorum ſuppreſſio* indeque oriunda *ſanguinis redundantia, dolor capitis, dentium et lumborum perinſignis, vertigo, morbus comitialis, inconſtans faciei rubor et maculae, naſus vernice quaſi flaua obductus, vel rubore ſuffuſus atque puſtulatus, coloris naturalis in ſubliuidam mutatio; mammarum augmentum, dolor et duritia, papillae craſſitudo, inflatio et color liuidus, ſtriatus lymphae lacteae fluor, os vteri deſcendens iterumque adſcendens,* denique *poſt*

x) *Haller* l. c. p. 76.

poſt tertium menſem ventris tumor, *foetus motus*, prae ceteris *oris vterini tactio* et *rima eius per ſe transuerſa*, *iam circularis*.

v. ROEDERER Diſſ. de Signorum grauiditatis aeſtimatione, rec. in Opuſc.

GE. WILH. STEIN Anleit. zur theoret. Geburtshülfe, Caſſel 1770. c. 2. §. 131. ſequ. p. 39.

§. 660.

Ex his etiam intelligitur, ſignorum grauiditatis explorationem eſſe perarduam et fallacem, certe primis menſibus non indubitate demonſtrandam, ideoque excuſandos videri medicos, ſi identidem hac in re a callidis mulieribus fallantur, praeſertim vbi graviditas et hydrops inter ſe copulata ſunt. Cautus ergo ſit in iudicando medicus, dum eum *nuptae* tum ſanae, tum hydrope aegrae, *vetulae*, *parentes*, *tutores* vel ipſi *iudices* adeunt, quo certiores de grauiditate vel partu clandeſtino fiant. Tunc enim praeter ea, quae ſupra commemorauimus, conſiderari debent *vitae ante actae ratio*, *medicamenta*, v. c. ſanguinis miſſio crebra, vomitoria et pharmaca vehementiora, cum maxime *menſtruorum defectus*, *mammarum et abdominis moles increſcens*, *foetus motus*, *oris vteri conditio*, *inſpectio ventris*. Vnicum tamen quaſique proprium et indubitatum ſignum eſt *vterini oris exploratio poſt ſeptimum menſem*, quoniam tunc temporis neceſſe eſt digitis tangentis medici aut obſtetricis occurrat caput infantis, ſi qui adeſt, vel etiam quaecunque pars corporis alia.

§. 661.

Praeter haec animaduertenda videntur *falſae grauiditatis ſigna*, quae fere ab aëre, aqua, ſanguine,

guine, mola, et carne intra abdomen y) praeter naturam excreſcente oritur, et grauiditatem veram ſimulat. *Molae* vero propria quaſi ſunt, vterus minus fixus, ſed quaſi huc illuc deuolutus cum quodam grauitatis ſenſu; quoties femina locum ſedemque lectuli permutat; tumor ventris diuerſus, quippe qui in vere grauidata circa vmbilicum veluti acuminatus eſt, at in ea, cui mola incommodat, vbique aequaliter rotundatus, et maior; praeter haec ſymptomata ſubſiſtunt et aggraueſcunt, facies decolor eſt, et menſes ſaepe quinto ſextoue menſe redeunt, ſed inordinate fluunt, motus foetus nullus eſt, tandem diu retineri et per omnem vitam ſuſtineri poteſt, ad finem demum periculoſum onus. At *mola ventoſa* ſine vllo grauitatis et globuli huc illuc deuoluti ſenſu eſt, et, excuſſo aëre, illico ceſſat, etſi (fatebor enim) perarduum eſt illam cognoſcere. *Mola ſanguinea* ventrem magis elatum ad menſem quartum vel quintum habet, et motum foetus nullum.

§. 662.

Frequens abortio nimiam genitalium laxitatem atque debilitatem vniuerſi corporis, ſanguinis redundantiam, eiusque ad vterum aditum copioſiorem et congeſtionem a coitu immoderato et petulanti, conuulſionem neruorumque diſtentiones, vim corpori muliebri illatam, ictu, concuſſu, curſu, ſaltatione, vectione in rheda vel equo, compreſſione z), nixu corporis violento ad pondera in ſublime leuanda, inflammatione cet. praeſignificat. Quare quiuis *abortus*, qui *ſtato tempore* reuertitur, malus eſt; magis, qui

y) *Sydenh.* Fr. de hydrop. p. 334. T. I.

z) *Klinkoſch* Progr. quo hydrocephalum fetus rarior. eiusq. cauſſ. proponit, Prag. 1772.

qui *febri acutae* [a]) ſuperuenit: nam tantum non ſemper iugulat. Itemque peſſimus et periculoſus eſt, qui *a ſoluta placenta* fit, aut poſt *egeſtum nimium* [b]), indeque oriundam animae defectionem, *irritabilitatem neruorumque ſenſum exquiſitiorem*, *tenaſmum* [c]) et per *foetus importunitatem ac mortem* oritur. Praeſagienda igitur feminis abortio [d]) eſt; ſi vbera derepente emacreſcunt ac decidunt, ſi febris ingens vrget, vel hydrops aſcites inde a primis menſibus vrget.

§. 663.

Vbi vero *grauiditas* ducitur, foetum gracilem, infirmum, extenuatum vel vterum ipſum inertem auguramur. Haud raro *praegnanti dolores ad partum* adſunt, et, necdum foetu expulſo, iterum conquieſcunt. In quo fere ſubeſt foetus a morte arefactus, induratus, cruſta gypſea obductus quaſique lapideus.

v. IO. ALBOSII Lithopaedii Senonenſis per annos XXIIX. in vtero contenti hiſtoria, in FRANC. ROVSSETI Hyſterotomia, Baſil. 1588. ed. BAVHIN. 8.

RVD. IAC. CAMERARII reſp. ORTH Diſſ. de foetu XLVI. annorum, Tubing. 1720. 4.

§. 664.

Partum inſtantem denunciant mucus copioſus albus et craſſus genitalium, *dolores praeſagi*, v. c. ingratus tenſionis ſenſus in regione lumborum, oſſis ſacri atque pubis, crebra alui exonerandae vrinaeque mittendae cupiditas, vel perfecta huius ſuppreſ-

 ſio,

a) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 4. p. 100. Opuſc.
b) *Hipp.* Aph. V. 34. p. 93. I.
c) Aph. VII. 27. p. 104.
d) Aph. V. 37. p. 94. Epid. II. Sect. 2. p. 687.

ſio, conuulſio ingens, os vteri mollius et apertum, tumor ventris ſubſidens; tandem ſequuntur *dolores veri* ſ. labores ad partum, os vteri apertius et deterſum, aquarum formatura et ruptio. *Facilem partum* ſpondent vterus in vaginam veluti deuolutus, os eius tenue, molle, ſatisque hians, caput foetus inſtans, ſecluſis ceteris corpuſculi partibus, aquarum in latitudinem quaſi complanatio, ceteraque, quae ad partum faciunt, praeclara: *Difficilem* vero, ſi aquae aut in longitudinem arctantur, aut dudum dilapſae effluxerunt, et os vteri non ſatis apertum, craſſius et praedurum eſt; ſi fluxio vteri cruenta partum anteit, mater crebro inhorreſcit, dolores ad partum aut nulli adſunt, aut perexigui, aut nimis interrupti ac interciſi, contra dolores ſpurii ad praecordia aſſurgunt, angor animi et defectio crebra, conuulſio cet. vehementer vrgent. In feminis, quae ſaepe et magna cum moleſtia pepererunt, metuimus, ne in ſcrophulas, melancholiam, inſaniam, apoplexiam, neruorum reſolutionem et tabem incidant; At vbi puerperae vomitu nigro et foetidiſſimo, ſpiratione difficili, conuulſione, riſu Sardonio, ſudore frigido, atque ſyncope, delirio, ſopore cet. corripiuntur, mors fere ante portas eſt, quae ſaepe partum feliciſſime peractum, ſed nimis acceleratum *e*) e veſtigio ſequitur.

§. 665.

Poſt partum *purgamenta* effluere debent, quae in iis, quibus menſes parci ſunt, aut vaſa exilia, atque habitus corporis ſpongioſus, tantum non ſemper modice effluunt. Peſſimum eſt, ſi temere cohibentur. Illico enim oritur ventris tenſio et elatio, inflammatio, dolor lumborum et regionis vterinae, et pulſus

e) *Kloekhof* Diſſ. de Morb. Anim. p. 42.

pulſus quidam loci affecti, horror, febris acuta inflammatoria ſ. puerperarum HVLMII, ſuppuratio, gangraena, mors, eamque praeſignificant anxietas praecordiorum ingens, reſpiratus laborioſus, impotentia et animi deliquium, ſudor frigidus, fugax extremorum algor, conuulſio, rigor, ſyncope. Interdum bono cum omine ſuccedunt purpura, ventris proluuies, haemorrhoides, vomitus cruentus, ſudor copioſus. Si ergo *purgatio poſt partum alba* f) eſt, eaque *ſupprimitur*, ſaepe dolor laterum acutus, febris, ſurditas, delirium et peſſima ſigna exoriuntur. Si *nimia* eſt, ob *retentam* aliquam *placentae portionem*, terrere non debet, quippe, ablata illa, facile conquieſcit; Sin vero vna cum ventris tenſione, oculorum caligatione, animi defectione, inflatione pedum rel. peſſimi morbi teſtimonium praebet. Haud raro *purgamenta*, quae excernuntur, impenſius *foetent* g), et vtplurimum placentae putredinem, ſaepe metuendam hac ex re exulcerationem vteri denunciant.

§. 666.

Poſt haec *infanti lac praebere*, matris eſt. Huius *nimia copia* h) vbi ad mammas affluit, pallor oris, debilitas et grauitas vniuerſi corporis, irritabilitas et ſenſus exquiſitior, palpitatio, conuulſio, vertigo, deliquium animae, profuſi ſudores, macies, tabes, inſequuntur. Interdum *lac* prorſum *deficit*, et fere ab obeſitate nimia, tubulorum lactiferorum obſtructione vel obliteratione, tumore, ſcirrho vel cancro proficiſcitur, vel papillae productiores et craſſae, depreſſiores et paruae ſubſunt. Id genus feminae

f) *Hipp*. Coac. §. 3. p. 575.
g) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 1. p. 272.
h) *Kloekhof* Diſſ. cit. p. 37.

feminae lactare non poſſunt, niſi vitium illud auferatur. Quare vt ea *lactis penuria*, quae poſt inediam, morbum grauem, egeſtionem largam, oritur, pertimeſcenda non eſt, ita etiam nec *impotentia lactandi*, quae fiſſuris papillarum, vulneri, vlcuſculis debetur; magis, quae nimio ſenſui. Haud raro a lacte reſtagnante *ſcirrhi*, iique, procedente morbo, fere periculoſi, naſcuntur. *Infantes* vero vbi *mammam auerſantur* i) citra maxillae tetanum, ad tabem proni ſunt; Contra vbi *ſugere* k) nequeunt, licet velint, iis mors ineuitabilis eſt.

§. 667.

Quibus praemiſſis, reliquum eſt, vt ipſa *ſterilitatis* ſigna explicemus. Eſt vero ea *ſterilitas*, quae a pudendorum, vaginae, vteri, tubarumue anguſtia et concretione, vel ab rima oris vterini laeſa, itemque ab vtero calloſo, morboſe contracto, vlceroſo, coalito, ſcirrho ceruicis, ſeminis aditum prohibente, nec non ſcirrho tubarum et ouarii l) difficillime cognoſcendo, cancro vteri, diuturno pertinaciorique fluore albo m) dimanat, itemque ea, quae *viraginibus* n) ineſt, abſolute inſanabilis: Peſſima et periculoſa, quae irritabilitatem et ſenſus facultatem ſequitur, omnium vero maxime, quae *vteri reſolutionem*. Semen enim retineri nequit, ideoque nec ouulum fecundari. Minus terrere debet, quam hydrops genuit, niſi is a ſcirrho ſit. Contra vbi *ſterilitas a vitiis temporariis* profecta eſt, v. c. a venere nimia, mala ſuccorum indole, vel ſangui-nis

i) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 23. p. 6.
k) Ibid. n. 2. p. 5.
l) *Sydenham* Diſſ. Epiſt. ad *Cole* p. 266. I.
m) *Klein* Int. Clin. p. 152.
n) *Vogel* Cogn. et Cur. Morb. Aph. 618. p. 511.

nis defectu, menſtruis vitioſis, fluore albo, pinguitudine multa, relaxatis ac debilitatis ſolidis partibus, malo corporis habitu, cet. neque iam inueterauit, metuenda non eſt. Haud raro *vterus vel ouaria nulla* ſunt; ergo et conceptio nulla eſſe poteſt.

v. Diſſ. noſtra de cauſſis ſterilitatis in ſexu ſequiori ex doctrina HIPPOCRATIS veterumque medicorum, Hal. 1769.

CAPVT V.

DE IVDICATIONE MORBORVM, VT SIGNO.

§. 668.

Reciprocus humidorum ſolidorumque niſus eſt. Vnde non poſſunt non illa varie mutari, ſubigi, ſecerni, excerni: id quod ex phyſiologia ſatis notum eſt; ſed in morbis eo magis locum habere debet, quo magis tunc temporis reſiduae naturae vires excitantur, ſtimulantur, afficiuntur, laeduntur, et quo maiori cum impetu humores per vaſorum anguſtias feruntur, hinc inde impelluntur, repelluntur, haerent, obſtruunt, febrem et inflammationem efficiunt.

§. 669.

Iam vero illa humorum ſolidorumque actio alia eſſe debet, morbo ineunte, alia increſcente, alia, vbi quaſi medius eſt, alia denique, vbi decreſcit ſeſeque remittit, ideoque medici eſt, attendere, cum maxime in acutis morbis, *principium*, *incrementum*, *ſtatum*, *decrementum*, ſiue tria ſtadia *cruditatis*, *coctionis* atque *iudicationis*. Nam neceſſe eſt habeat vnumquodque ſigna quaedam, quae et tempori morbi, quo apparent, et humorum conditioni

tioni debentur, et ſingula ſingulis ſtatisque diebus accidunt. Haec *dierum decretoriorum*, *iudicatoriorum* ſ. *criticorum* vera origo eſt.

v. PROSPER de Praeſagienda Vita et Morte VI. 1. p. 343 ſequ. et qui poſt haec hanc doctrinam bene explicuit, GLASS de Febribus Com. III. p. 12 ſequ. ed. BALDING.

SECTIO I.

DE DIERVM DECRETORIORVM VERITATE AC DIGNITATE.

§. 670.

Controuerſia haud leuis *de diebus decretoriis* exorta inde ab diuino HIPPOCRATE vſque noſtra tempora eſt, vtrum vere dentur, nec ne. Alii enim aiunt, alii vero negant et pernegant, alii denique media via ſibi procedendum cenſent, ne fallantur.

1) Principes defenſores hi ſunto:

ANDR. THVRINVS Defenſione HIPPOCRATIS et GALENI de cauſſis dierum criticorum aduerſus HIER. FRACASTORIVM, Bonon. 1543. 4. rec. in Opp.

MICH. ANDR. BLONDVS de diebus decretoriis et criſi, eorumque veriſſimis cauſſis in via GALENI contra neotericos libellus, Rom. 1544. 4. et Lugd. 1550. 8.

LVC. GAVRICI ſuper diebus decretoriis axiomata, cum enucleatione theorematum HIPP. et GALENI, Rom. 1546. fol.

HIPPOL. SALVIANVS de Criſibus, cet. Rom. 1558. 8.

CELS.

CELS. MARTINENGI de praeuidendis morborum euentibus L. III. Brixell. 1571. 12. et Ven. 1584. 8.
IO. BAPT. DONATII L. de Iudiciis, de Morborum ſignis iudicialibus ſ. Rei Medicae ſtipendia, Francoſ. 1591. 8.
ANDR. LAVRENTII L. III. de Criſibus, Francoſ. 1596. et 1606. 8.
IVL. CAES. CLAVDINI de criſibus et diebus criticis tractatus, Bonon. 1612. fol. Baſil. 1620. 8. et Venet. 1628. 4.
PROSP. ALPIN. de Praeſagienda Vita et Morte, L. VI. 4. p. 396 ſequ.
FRID. HOFFMANN Diſſ. de fato medico et phyſico, Hal. 1724. et Med. Rat. Syſt. T. III. Sect. 1. c. 15. p. 335 ſequ.
GER. VAN SWIETEN Commentar. in BOERHAAVE Aph. p. 51 ſequ. T. II. ed. Hildb.
ANT. DE HAEN Ratio Medendi T. I. c. 4. p. 57 ſequ. et T. VIII. c. 2. p. 23 ſequ.
AYMEN Diſſ. reſp. ad Acad. Diionenſ. 1751. D'examiner, ſi les jours critiques ſont les memes en nos climats, qu'ils etoient dans ceux, où Hippocrate les a obſervés, et quels égards on doit y avoir dans la pratique, cet.

Dictionaire de prognoſtics où l'art de prévoir les bons et les mauvais evenemens dans les maladies, par M. D. T. à Paris 1770.

2) Inter aduerſarios eniteſcunt ASCLEPIADES et CORNEL. CELSVS, HIER. FRACASTORIVS L. de Cauſſis Dier. Criticorum p. 279. P. I. ed. Lugd. 1591.
HELMONTIVS de Tempor. p. 509 ſequ. n. 52. Opp. itemque SCHELHAMMERVS et BOHNIVS.

THEOPH.

THEOPH. BORDEV Recherches ſur les criſes, ad calc. T. II. des rech. ſur le pouls, p. 165 ſq.
IO. ANT. PVIATI Diſſertationes Medicae V. nunc ab eius filio ANT. CAIETANO editae, Venet. 1771.
3) Eorum, qui mediam tenuere, innumera fere cohors eſt; Ex recentiſſimis huc referre placet
MVRRY Theſ. An a recta criſium doctrina et obſeruatione medicina certior, Pariſ. 1741.
SIG. FRANC. NIDERL Diſſ. de Criſibus, Vindob. 1765. 8.

§. 671.

Sed ſalua *dierum decretoriorum auctoritas* eſt, modo a praeiudicata opinione liber ſis, vt bene SWIETENIVS o) monuit. Primum enim *neque medicorum aliquis* p) *primus inuenit id nomen, ſed omnino neceſſarium fuit, vt, qui praeſens eſſet, conturbaretur, atque ideo exclamaret, et criſin, i. e. iudicium, rem ipſam nominaret.* Deinde veteres medici, quorum in morborum ſignis eruendis, ordinandis, diiudicandisque diligentia et accuratio tanta eſt, quanta eſt maxima, fallere nec potuerunt, nec voluerunt, ideoque eſt certiſſimum, morbos eos, quos fideliter naturaeque appoſite conſignatos reliquerunt, tunc temporis vere certis ac ſtatis diebus fuiſſe iudicatos, etſi interdum non ſatis a ſe inuicem diſtinxiſſe *criſin et lyſin* videntur, eos tamen decretorios cenſuerunt, in quibus febrium plurimarum perfecta iudicia fierent. Praeter haec id *in morbis acutis* plerumque

o) Comment. l. c. ad §. 587. p. 53. et §. 741. p. 464 ſequ.

p) Sic praeclare GALENVS Criſ. III. 2. p. 535. IV. et poſt eum Ill. ZIMMERMANN Erfahr. T. I. B. 3. c. 4. p. 278 ſequ.

rumque *die impari* [q]), perraro *pari* [r]), id quod potius *longorum* erat, euenit, eamque ob cauſſam nata eſt *dierum decretoriorum paritas et imparitas*, ita tamen, vt huic propter maiorem exemplorum multitudinem primas deferendas ſtatuerent, vnaque concederent, iudicationes fieri poſſe *ſingulis diebus, ſed neque pares numero, neque ex aequali fide* [s]). Tertio dignitas iſtorum dierum vel ex varia materiae morboſae natura optime colligitur, quippe ea longe alia eſſe debet ſub morbi principio, alia paullo poſt, alia ad finem, primum parcius et crude egeri, poſt vero copioſius et magna cum aegri alleuatione. Id quod cum fere certo tempore ac die hodienum fiat, non poterant non veteres hoſce dies prae ceteris attendere atque annotare. Quarto boni illi ſenes more ſuo i. e. ingenue profeſſi ſunt, *acutorum morborum praedictiones non omnino certas eſſe* [t]), *etſi vt plurimum intra quatuordecim dies iudicentur; dari morbos, in quibus nullum ſubſequatur iudicium* [u]), *aut certe minus ſueto die* [v]); *in multis oriri lentam ſubactionem et reſolutionem, nonnunquam reuerti eos denuo* [w]), cuius cauſſas et ſigna diligenter annotarunt, *naturae morbique vires*, nec non *ſignorum decre-*

q) *Galen.* Dieb. Decret. III. 1. p. 602.
r) *Hipp.* Vict. Acut. §. 50. p. 309. II. L. Humor. §. 3. p. 319. I.
s) *Gal.* Dieb. Decret. I. 2. p. 559. *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 408. p. 113. et §. 413. p. 117.
t) *Hipp.* Aph. II. 19. et 23. p. 73 ſequ. Tamen et aliis diebus, vt L. Dieb. Iudic. §. 9. p. 437. Progn. §. 20. p. 464. Coac. §. 1. p. 533.
u) *Gal.* de Tot. Morb. Temp. c. 5. p. 360. III.
v) *Hipp.* Epid. I. Sect. I. p. 656. cf. *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 2. p. 23.
w) Epid. I. S. 2. p. 668.

decretoriorum poteſtatem inter ſe ſedulo conferendas eſſe ante, quam de exitu iudices, ipſos longos morbos haud raro decerni die aliquo decretorio incipere, ſed imperfecte, ſic, vt recidiuos eos metuere poſſis, ſed iterum die tali demum perfecte iudicari [x]), cet. Praeterea vero, certis freti obſeruationibus, nos docuerunt, quantum ad dierum iudicatoriorum ſcientiam valeant anni morbique tempora varia, itemque varia morborum natura [y]), vnde et quando eueniant, quid timendum, quid ſperandum ſit rel. adeoque hac via ſeſe viros probos et artis ſuae certiſſimos demonſtrarunt. Quinto nullius mehercle momenti aduerſariorum argumentum illud eſt, quod iſte dierum ordo aut raro, aut nunquam, apud nos accidat: Nam innumerae cauſſae eſſe poſſunt vereque ſunt, quibus iſta naturae lex immutatur [z]), v. c. caeli aërisque diuerſitas, magnae lunae mutationes, quibus malignarum febrium iudicatio ſaepe turbatur [a]), vitae victusque ratio abhorrens, intemperantia, peruerſa, intempeſtiua, numeroſiora vel efficaciora medicamenta [b]), plenior aegri cibatus et nutritio, turpis quorundam medicorum ignorantia, aut praepoſtera ſapientia, ignoti contemtio, ſocordia, negligentia, ſiue illa ab aegrorum multitudine oriatur, ſiue a taedioſi laboris fuga, ſiue quod ſtatim ac ſemel ſpes fefel-

x) *Gal.* Dieb. Decret. II. 4. p. 585 ſeqq.

y) *Hipp.* Dieb. Iudic. §. 1. p. 452. Epid. II. Sect. 1. p. 685.

z) Sic praeclare LEMOSIVS de Opt. Praedict. Rat. V. 8. p. 208 ſequ. et HOLLER. Comm. in Coac. HIPP. p. 398.

a) *Bagliu.* Prax. II. 12. §. 4. p. 232 ſequ. etſi hac de re valde dubitamus.

b) *Hipp.* Aph. I. 20. p. 71. *Lieutaud* Precis, T. I. S. 1. p. 14. *Zimmerm.* Erfahr. l. c. p. 279.

ſefellit, haſtam animumque abiiciunt. Sexto aduerſarii, qui hoſce dies decretorios dari praefracte negant, non videntur perſpectam habuiſſe veterum numerandi rationem, quoniam ex eorum ſententia c) iudicationes, nec diebus integris fiunt, neque obſeruatori attento imponunt. Nam, bene monente GALENO d), primus et ſecundus ſeptenarius numerari ſemper debet *per diſiunctionem*, i. e. dies ſeptimus etiam finis ſeptenarii primi ſit, octauus vero ſeptenarii ſecundi initium: Contra ſeptenarius ſecundus et tertius *per connexionem*, i. e. dies decimus et quartus bis in rationem veniat, ideoque illic finiat, hic denuo ordiatur. Aut ſi ternarios et quaternarios adhibeas, tunc ſub auctore HIPPOCRATE e) debent ternarii omnes copulari, quaternariorum vero *duo diſiungi*, *duo connecti*. Hac ſola computandi ratione multum litis dirimi poſſe videtur, etſi ipſi veteres docuerunt, perarduum haud raro eſſe, principium morbi f) definire, niſi ex eo computes, vbi aegri *manifeſto febricitare incipientes decubuerunt.* Denique plurimi recentiorum medicorum, quibus fidem non adhibere velle nefas eſt, publice profeſſi ſunt et etiamnum profitentur, tales morborum iudicationes certo ſtatoque die ſibi ſaepenumero accidiſſe, neque quis facile negare auſit, *febres tertianas* plerumque poſt acceſſionem *ſeptimam* ſponte ſua finiri, *diariam* intra XXIIII. horas, *ſynochum* mitiorem intra quatuor dies, grauiorem vero intra ſeptem per ſanguinis e naribus effuſionem vel ſudorem; *febres*

c) *Hipp.* Iudic. §. 2. p. 439. et Progn. §. 20. p. 465.
d) Comm. in Progn. III. 1. p. 794. IV. cf. *Swieten* Comm. Aph. 741. p. 469. II.
e) L. de Septim. Part. §. 8. p. 173. I.
f) *Gal.* Criſ. I. 17. p. 507. IV.

bres ardentes, niſi funeſtae ſint, tertio vel vndecimo die per ſudorem largum, et adiuncta deiectione; *febres inflammatorias* quarto vel ſeptimo, rarius decimo quarto vel viceſimo primo; v. c. pleuritidem et peripneumoniam leuem intra tres quatuorue dies, ab ſputis cruentatis incipere, et perfecte diſcuti, ſi aegri iuniores et exquiſitioris ſenſus ſunt, die ſeptimo, in ceteris fere die decimo quarto, per ſudorem et exſcreationem copioſam, quam reſpiratus facilis inſequitur, ſpuriam vero pleuritidem et hepatitidem vtplurimum ſeptimo vel vndecimo per ſudorem et aluum citatam g); *febrem ſcarlatinam, eryſipelaceam, varioloſam*, certo die materiam morboſam ad cutim deferre; et quaſi conquieſcere, deinde iterum exacerbari; *letales* fere die nono vel vndecimo eſſe; *febres epidemicas* permultas per ſudorem die ſeptimo decerni, denique ipſum morbum herculeum infantes per numerum ſeptenarium occupare cet. Quare cum haec veterum placita naturae morborum et obſeruationibus omnium ſeculorum conſentiant, perſpicuum eſt, *dari vere dies decretorios.*

§. 672.

Dicuntur vero *dies decretorii*, in *quos plurimum iudicii tempus peruenit* h), ſ. vt apertius eloquar; in quibus inſignis quaedam morbi mutatio et egeſtio accidit, quae aegros aut ſtatim liberat, aut malorum alleuamentum adfert, aut peſſimam clauſulam imponit. Quod dum veteres viderent *numero ſeptenario* abſolui, primum hunc dierum decretoriorum principem eſſe voluerunt, deinde conſiderandum eſſe putarunt, vtrum *die pari vel impari* res aegri

g) *Hoffmann* Med. Rat. T. III. S. 1. c. 15. §. 7. p. 340 ſequ. ed. Hal.

h) Sic *Galen.* Dieb. Crit. I. 3. p. 561.

gri mutarentur, nec ne. Nam ſi *die pari* exacerbantur, eodem et iudicium exſpectare licet; Sin vero *impari*, eodem et morbus finietur *i*). Quid? quod cenſuerunt, mali principium *die pari*, at perturbationem et mortem ipſam *impari* *k*) eſſe adfuturam. Hinc ſecundum HIPPOCRATEM *l*) in *diebus paribus* IIII. VI. VIII. X. XIIII. XXVIII. XXX. XXXXVIII. LX. LXXX. C. cum maxime eminent; in *imparibus* vero I. III. V. VII. VIIII. XI. XVII. XXI. XXVII. XXXI. cet. A qua naturae lege vbi morbus deflectit, reuerſio mali, eaque ſaepe pernicioſa, exſpectanda eſt. Sed ſingulos dies eorumque poteſtatem percenſeamus.

§. 673.

Praeter febres diarias haud facile morbum aliquem *dies primus* decernit, etſi DIOCLI *m*) olim viſum eſt; et ſi incidit, proluſio magis, quam vera et tuta iudicatio eſt. At de *die tertio*, *quarto* *n*) et *quinto* *o*) nemo dubitat. *Sextus* *p*) eos morbos iudicat, qui diebus paribus mouentur et finiuntur: id tamen certum eſt, iudicium hoc die perrarum eſſe,

 (vidit

i) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. p. 672. I. *Gal.* l. cit. c. 8. et 10. p. 571. *Hoffmann* l. c. p. 342.
k) Epid. II. Sect. 6. p. 709. de Morb. IV. 21. p. 138. II. cf. *Cope* Demonſtrat. Progn. Hipp. p. 58.
l) L. Septim. Part. §. 8. p. 173. II. Aph. IV. 36. p. 85. Dieb. Iud. §. 9. p. 437. I. *Gal.* Comm. III. in I. Epid. t. 14. p. 469. T. III.
m) Ap. GALEN. Dieb. Decret. I. 9. p. 572.
n) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 669. *Gal.* Criſ. III. 4. p. 540.
o) Epid. IV. 9. p. 749.
p) Epid. I. S. 2. p. 668. et Epid. III. S. 2. Aeg. 6. p. 717. *Galen.* Dieb. Decret. I. 2. p. 559.

(vidit tamen Perill. HALLERVS) obſcuram, cuius notae certae non ſunt, imperfectam fere, ideoque intutam ob adiuncta ſymptomata peſſima, et haud raro pernicioſam, quippe tunc vna vultus crebra mutatio, pulſus paruus et debilis, tremor, vocis et ſenſus amputatio, cataphora, animi defectio et ſyncope ab egeſtu, vomitus et deiectiones acres, malignae, foetidiſſimae q) aegrum occupant. Hinc *dies ſextus* a GALENO tyrannus dictus eſt, vbi morbi per dies impares mouentur. De *ſeptimo* et *nono* r) inter omnes conſtat, prior tamen prae ceteris manifeſte, fideliter, tuto, abſolute, ſalubriterque decernit. *Octauum* s) et *decimum* t) hac de re commemorauit HIPPOCRATES, at iudicium plerumque imperfectum et periculoſum eſt. Similiter *vndecimi* u) meminit, quem vero in febribus acutis et continuis ſemper periculoſum FRID. HOFFMANNVS v) cenſuit. *Die duodecimo* x) et *decimo ſexto* iudicatum GALENVS vidit neminem, ex aliorum vero ſententia ſine notis eſt, et perraro, imperfecte, inconſtanter periculoſeque decernit; Iudicatio, quae *die decimo et tertio* y) incidit, rara, fallax, nec ſecura eſt. *Dies decimus et quartus* ſeptimo ex aſſe reſpondet, et ſemper bonus eſt: Contra *dies decimus quintus et duodeuiceſimus* raro

q) *Gal.* l. cit. c. 4. p. 563.
r) Ibid. c. 2. p. 559.
s) Epid. IV. 3. p. 744.
t) Epid. III. S. 3. Aeg. 1. p. 729. et Epid. VI. S. 3. p. 803. *Galen.* l. cit. c. 8. p. 571.
u) Epid. I. Sect. II. p. 670.
v) Medic. Rat. Syſt. T. III. Sect. 1. c. 15. §. 14. p. 345.
x) L. cit. c. 2. p. 559.
y) Ibid. c. 5. p. 565. *Proſper* VI. 4. p. 363.

raro iudicant; *decimus ſeptimus* ob recidiuum z) morbum inſignis eſt, et vbi die decimo quarto coctionis notae adfuerint, iudicationem proximo die decimo ſeptimo perfectam auguramur. *Diem viceſimum* a) Cous Senex pluries memorat: At *viceſimum primum* b) perraro decretorium ſtatuit.

§. 674.

Ex his intelligitur, veteres prae ceteris curaſſe *dies* vere *decretorios*, qui quaternariis et ſeptenariis circuitibus c) fiunt, his vero morborum diuiſionem *in acutiſſimos*, *peracutos*, *acutos* rel. vnice niti, quoniam febres peracutae die quarto et prius deſinunt, malignae eodem die iugulant d), acutae plerumque die decimo quarto ad ſummum viceſimo e) finiuntur; poſt haec vero improprie acutae nominantur, auctore GALENO. Ex quo etiam patet, cur medici porro a quarto poſt viceſimum *inter dies decretorios* XXIIII. XXVII. XXXI. XXXIIII. XXXVII. XXXX. XXXXIIII. XXXXVII. LI. LIIII. LVII. LX. LXIIII. LXVII. LXXI. LXXIIII. LXXVII. LXXX. LXXXIIII. LXXXVII. LXXXXI. LXXXXIIII. LXXXXVI. C. referunt; contra dies XXII. XXIII. XXV. XXVI. XXVIIII. XXX. XXXII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVIII. XXXVIIII. nunquam

 pro

z) Epid. I. S. 2. p. 668. *Gal.* Criſ. III. 4. p. 541. Dieb. Decret. I. 3. p. 584.

a) Epid. l. c. p. 669.

b) Aph. IV. 36. p. 85. et *Galen.* ad h. l. *Swieten* Comm. ad Aph. 741. p. 471.

c) *Hipp.* Aph. II. 24. p. 74. *Gal.* Criſ. III. 4. p. 540 ſequ.

d) *Hipp.* Iudic. §. 2. p. 439.

e) Ibid. §. 4. p. 440. cf. *Galen.* Dieb. Decret. l. c. p. 597.

pro talibus f) habendos exiſtimant. In eo tamen conſentiunt veteres, quosdam dies decretorios iam ſaepius obſeruari, et omnes omnino aegros *die ſeptimo vel nono* iudicari, alio anno potius *die decimo quarto* vel *viceſimo*, plurimos demum poſt reuerſionem mali, interdum omnes *vndecimo* feliciter, interdum *ſexto* g) infeliciter.

cf. GALENVS Comment. III. in I. Epid. t. 22. p. 480. T. III. et cum maxime Criſ. III. 4. p. 540. IV.

LEMOSIVS de Opt. Praedic. Ratione V. 4. p. 194 ſequ. IVNCKER Semiol. c. 5. p. 497 ſq.

§. 675.

Sed iſti *dies decretorii* iterum diuiduntur in *vere decretorios* et *indices*, *contemplantes*, *contemplabiles* h), *intermedios*, quia, etſi in illis iudicatio non incidit, tamen indicant, quid ſequenti die decretorio futurum ſit. Numerantur vero illi per quaternarium vſque ad viceſimum i), deinde per ſeptenarium vſque ad quadrageſimum; poſt per vicenarium vſque ad viceſimum et centeſimum; tandem per circuitus menſium geminos. Sic v. c. *dies quartus index ſexti et ſeptimi* eſt, vt, ſi qui die quarto ad peiorem ſtatum recidant, ſexto moriantur; contra ſi bona rerum conuerſio fiat, ſeptimo k) iudicentur; Sic *nonus vndecimi*, *vndecimus quarti* et *decimi*,

f) *Gal.* ap. *Moyſen* Aph. Sect. 10. §. 20. p. 286.
g) *Gal.* Dieb. Decret. II. 7. p. 592.
h) Sic ap. *Hipp.* et *Galen.* in Progn. Comm. III. 1. p. 794. IV.
i) *Galen.* ap. *Moyſen* l. c. §. 128. p. 289.
k) Id. Dieb. Decret. I. 4. p. 563.

cimi l), quippe qui quam maxime naturam ſeptimi imitatur; *ſeptimus* et *decimus viceſimi*, perraro *dies duodeviceſimus primi et viceſimi* m); *quartus et viceſimus* vero *ſeptimi*, *primus et triceſimus quarti*, *ſeptimus et triceſimus quadrageſimi* cet. i. e. primus quaternarius certo indicat, quid futuro euenturum ſit, tertius quid quarto rel. nimirum die quarto vrinae fiunt coloratiores et nubecula vel ſuſpenſa bona apparent, vbi ſeptimo malum decerni debet n); ſi ſigna cruditatis die ſeptimo incidunt, iudicatio *vndecimo* o) vel *quarto et decimo* futura eſt; ſi eodem die *nubecula* vel *ſuſpenſa nigra* p) cum ſignis peſſimis iunguntur et copulantur, ſequenti mors exſpectanda eſt; ſi ſigna cruditatis ad diem *quartum et decimum* q) vſque continuant, et pedetentim quaſique ſedato niſu eunt, *quadrageſimus* demum decretorius futurus, poſt vero per lentam reſolutionem abiturus cet. Qui dies ſi inter ſe confunduntur, accidere poteſt, vt dies aliquis index fiat decretorius, et contra; ex quo facillime intelligitur dierum permutatio, quae paſſim apud veteres occurrit, ideoque, me quidem iudice, non ſemper opus ſcripturae correctione eſt, vt Ill. HAENIO r) videtur.

§. 676.

Huc etiam pertinent *dies intercalares* ſ. *intercidentes* s), *coincidentes*, *intercurrentes*, *prouocatorii*,

l) Id. l. cit. c. 5. p. 565. Criſ. I. 18. p. 509.
m) Id. Criſ. II. 7. p. 592.
n) *Hipp.* Aph. II. 24. p. 74. et IV. 71. p. 89. et *Galen.* Criſ. III. 4. p. 540 ſq. *Proſper* l. c. p. 365 ſq.
o) *Gal.* Criſ. I. 7. p. 568. et c. 13. p. 580.
p) Ibid. III. 10. p. 549.
q) Ibid. p. 580.
r) Rat. Med. T. I. c. 4. p. 61.
s) *Gal.* Dieb. Crit. I. 3. p. 561 ſequ.

rii, v. c. in primo ſeptenario tertius et quintus, interdum et ſextus [t]) talis eſt, qui male decernit, et recidiuas inducit; in ſecundo nonus, decimus tertius et quintus, vndeuiceſimus, quartus et viceſimus cet. in quibus nonnunquam, at rarius, morbus acutus perfecte iudicatur, idque a ſolo vehementiori humorum motu proficiſcitur. Reliqui vero omnino omnes dicuntur *non decretorii*, *vacui*, *medicinales*, v. c. I. VIII. X. XII. XIII. XV. XVI. XVIII. rel. quoniam quaſi vltra dies decretorios, indices atque intercidentes extenduntur. Sic enim dies quartus et decimus eſt finis ſecundae hebdomadis, et tertiae principium, quartus et viceſimus quintae terminus vnaque ſextae initium, ſic, vt tres hebdomades *vicenario* numero quaſi deſcribantur, ſimiliterque dies LXIII. LXXX. C. decretorii [u]) fiant. Qui dierum ordo vt melius et vno veluti obtutu poſſit peruideri, en ipſas ex LEMOSIO [v]) et IVNCKERO [w]) tabulas!

LEMOSII SCHEMA

Dies Index	—	*Decretorius*	*Dies Index*	—	*Decretorius*
4	—	7	57	—	60
11	—	14	64	—	67
17	—	20	71	—	74
24	—	27	77	—	80
31	—	34	84	—	87
37	—	40	91	—	94
44	—	47	97	—	100
51	—	54			

DIA-

t) Id. in Progn. Comm. III. 1. p. 794.
u) Id. Dieb. Decr. II. 9. p. 593.
v) De Opt. Praed. Rat. V. 3. p. 193. b.
w) Semiol. c. 5. §. 57. p. 498.

DIAGRAMMA HIPPOCRATICVM EX IVNCKERO.

Septenarium I.

Dies
I. *Vacuus.*
II. *Vacuus.* Sed ſecundum GALENVM ad criticos refertur vterque, quia in illis diariae ſoluuntur.
III. *Intercalaris.*
IIII. *Index* ſ. contemplatione dignus; eſtque quaternarii primi finis et initium ſecundi, praedicit die ſeptimo euentura.
V. *Intercalaris.*
VI. *Pſeudocriticus*, *tyrannus* vulgo dictus.
VII. *Criticus* reliquis valentior, ideoque dignitate et potentia primus.

Septenarium II.

VIII. *Vacuus.*
VIIII. *Intercalaris*, ſaepe exitialis.
X. *Vacuus.*
XI. *Index* decimi quarti.
XII. *Vacuus.*
XIII. *Intercalaris.*
XIIII. *Criticus* ſeptimo ſuppar.

Septenarium III.

XIIII. *
XV. *Vacuus.*
XVI. *Vacuus.*
XVII. *Index* viceſimi.
XVIII. *Vacuus.*
XVIIII. *Intercalaris.*
XX. *Criticus.*

His diebus reſpondent oppoſiti

Septenarium IV.

Dies
XXI.
XXII.
XXIII.
XXIIII.
XXV.
XXVI.
XXVII.

Septenarium V.

XXVIII.
XXVIIII.
XXX.
XXXI.
XXXII.
XXXIII.
XXXIIII.

Septenarium VI.

XXXIIII. *
XXXV.
XXXVI.
XXXVII.
XXXVIII.
XXXVIIII.
XXXX.

§. 677.

§. 677.

Cauſſae huius indicationis, quae certo ſtatoque tempore accidit, variae a variis prolatae ſunt medicis, v. c. Pythagoraeis, GALENO [x]), eiusque adſectis, AMATO LVSITANO, LVD. LEMOSIO [y]), HIER. FRACASTORIO [z]), PROSPERO AEPINO [a]) cet. Sed his memorandis immorari non placet, quoniam accepta referri et poſſunt et debent variae ſolidorum humidorumque rationi, tandemque, altera alteram quaſi ſuperante, *criſis*, i. e. mali ſegregatio vel egeſtio copioſa, fortis, viſibilis, allevans, exoriri morbique penitus propulſari debent, modo *die pari*, *modo impari* [b]), prouti nimirum inceperunt.

§. 678.

Iam vero ſi vere dantur tales *dies decretorii*, conſequens eſt, vt etiam concedamus, alios eſſe *bonos*, alios vero *malos*, etſi negari non poteſt, auctore GALENO [c]) et experientia teſte, a primo ſtatim die non niſi ea cognoſcenda et praeſagienda eſſe, quae in primo quaternario, rarius, quae in ſecundo euentura ſint. Hinc a die indice decretorium vere auguramur, vt, ſi bonum aliquod coctionis ſignum, ceteris non abhorrentibus, primo die appareat, intra primum quaternarium bonam morbi reſolutionem [d]) ſpondeamus; ſin vero quarto, ſeptimo

x) L. Dieb. Decret. III. 2. p. 602.
y) L. cit. VI. 1. p. 215. ſequ.
z) L. de Cauſſ. Dier. Critic. p. 279. ſequ. T. I. Opp.
a) L. cit. p. 367. cf. *Haen* Rat. Med. T. XII. c. 4. p. 173. ſequ.
b) *Hipp.* Aph. IV. 61. p. 88.
c) Criſ. I. 16. p. 505. ſequ.
d) Ib. III. 4. p. 540.

ptimo ſanitatem futuram praedicamus: Contra vbi mala hiſce diebus indicia oriantur, longitudinem morbi, dolorem, reuerſionem, periculum, mortem *e*), praeſertim ſi quid febri acutae die quinto ſuperueniat, deiectiones crebrae, animi deliquia, vocis amputatio, conuulſio, ſingultus, anxietas horrenda, frigidus ſudor frontis, narium, ceruicis rel. Hinc *egeſtiones* illae *ſalutares* eſſe debent, quae iuſto tempore ac die, coctione antegreſſa, atque loco perappoſito naſcuntur. Ex his etiam intelligitur, cur *malus morbi exitus* eſſe plerumque ſoleat, ſi febris die decretorio exacerbatur *f*), cur medici metuant coctionis notas, quae diebus intercalaribus incidunt: raro enim certae et tutae ſunt: cur eas potius die pari, at iudicationem ipſam die impari *g*) accidere percupiunt, cet. etſi in his videndum prae ceteris eſt, quot diebus principium morbi acuti contineatur: nam totidem et augmentum et ſtatus *h*) habebit: febris die pari, an impari exorta ſit, niſi errare in praedicendo velis. Praeterea ex eo etiam perſpicuum eſt, cur poſt iudicationes imperfectas vel extra dies decretorios factas iure metuere debeamus, ne recidiua febris ſubſequatur, tumores praecordiorum atque ſplenis et ſanguinis effuſiones *i*); cur, ſi febres ſingulis diebus eadem hora reuertantur et exacerbentur *k*), difficile et intutum iudicium exſpectare liceat, rel.

§. 679.

e) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 11. p. 681. ſequ. I. Vict. Acut. §. 49. p. 308. II.

f) Epid. I. Sect. 2. p. 659.

g) Aph. IV. 61. p. 88. et *Gal.* ad h. l. *Proſper* l. c. p. 369. ſequ.

h) L. Vict. Acut. §. 46. p. 306.

i) *de Berger* ap. *Klein.* p. 83.

k) *Hipp.* Aph. IV. 30. p. 85. *Celſ.* de Medic. II. 4. p. 51.

§. 679.

His igitur praeceptis atque dierum ſcientia omnis praeſagiendi ars continetur: Quam ſi quis medicus bene callet, ecquod mirum, ſi vel ipſam ſalutis mortiſue horam, tanquam magnus Apollo, vaticinari poſſit? Etenim vt hoc iterum exemplo vtar, ſi die quarto ſigna exitialia appareant et ſubſiſtant, neceſſe eſt proximo die decretorio, i. e. ſeptimo, inſequatur peſſima iudicatio, itemque pernicies eo certior atque celerior, et vel ipſo die quinto aut ſexto euentura, quo magis illa vrgeant. Contra ſentiendum eſt, vbi omnia ſalutem oſtendunt. *Mortis* vero *hora* ſic definiri poſſe videtur, primum vt videamus, quo potiſſimum acceſſionis tempore aeger male ſe habeat, vtrum ſigna peſſima incidant, nec ne, v. c. algor corporis vniuerſi vel partium ingens, pulſus debilis, paruus, nullus, torpor et motus impotentia, veternus cet. illud enim tempus valde ſuſpectum eſt: Deinde vt bene attendamus, vtrum aeger, vbi res ad ſummum deductae ſunt, incredibile quantum, delirat, et in ſomnum altiſſimum incidit, itemque anxietas et febris intenditur, ardor intolerandus et peſſima ſymptomata ſuperueniunt; an in principio et vigore acceſſionis mediocri illico crebra animi deliquia, ſudores inaequales, frigidi, et ſingula membra occupantes, v. c. caput, frontem, ceruicem, pectus, denique pulſus paruus et obſcurus, exoriuntur: Tunc enim, auctore GALENO [l]), ſcire licet, *in peſſimo acceſſionis tempore hominem moriturum. Atqui ſi hoc diffinitum cognitumque aperte ſit, nullum adhuc eſt negotium, mortis horam dicere, quippe cum ſecundus dies* e. gr. *et quartus vehementiorem acceſſionem adferat, quam primus, tertius et quintus,*

l) Dieb. Decret. I. 12. p. 578.

tus, ad ſextum diem mors praedicetur. Si vero pars acceſſionis in ipſius inſultu grauiſſima, eaque ſexta hora apparet, in hac moriturum hominem non eſt operoſum dicere, rel.

§. 680.

Tandem ex his, quae adhuc diſputauimus, perſpicitur, cur veteres medici, quaſi augurium capientes, ſedulo varia morborum acutorum ſtadia a ſe inuicem diſtinxerint, puta, *principium* [m]) *morbi*, quod fere die tertio finitur, interdum vlterius et ad multos quaternarios extenditur, donec coctionis indicia apparent; deinde *augmentum* ſ. *adſcenſum*, quo morbi ſymptomata augentur et aggraueſcunt; tertio *ſtatum*, vbi res aegri ad ſummum deductae vltra nec progredi, nec ſubſiſtere amplius poſſunt; denique *decrementum* ſ. *declinationem*, qua ex praegreſſarum notarum legibus mali facies immutatur, et facillime perſpicitur, ſpei aliquid reliquum ſit, nec ne [n]). Iam vero cum pro morbi tempore vario varia etiam humorum natura et impetus eſſe debeat, et haud raro perarduum ſit, principium definire ante, quam morbus ad ἀκμὴν peruenerit, veteres ad eadem ſignificanda etiam adhibuerunt nomina *cruditatis*, *coctionis* veraeque *criſeos*, indeque ſigna cum bona, tum mala repetenda exiſtimarunt. Haec vero in ſola dierum decertoriorum auctoritate, firmitate, vtilitate, cernuntur. Quare veriſſime olim BAGLIVVS [o]): *Doctores medici! dies criticos religioſe obſeruate.*

m) *Aëtius* Tetr. II. Serm. 1. c. 5. et 6. p. 191. Coll. Steph.

n) *Galen.* Criſ. I. 8. p. 493. *Haen* l. c. p. 71.

o) Prax. I. p. 66.

ſeruate. Cauſſam morbi praeſcire, dies criticos religioſe obſeruare, paucis vti remediis, cocta materia, tumores educere, dummodo non turgeant. — Qui haec quatuor in acutis nouerit, quam feliciter curaverit!

SECTIO II.

DE CRVDITATE, COCTIONE VERAQVE IVDICATIONE.

§. 681.

Cruditas ex medicorum decretis quaeuis humorum vitioſorum miſtura dicitur, quae et aequabilem eorum motum retardat, et inutiles moleculas per varia corporis emiſſaria ob adiunctam conuulſionem vix patitur expelli. Qua de cauſſa neceſſe eſt retineantur, colligantur, maleque miſceantur eae humorum partes, quas vulgo *particulas morboſas, crudas, malignas, miaſma morboſum, materiam morbificam, peccantem* cet. appellant. Exindeque non poſſunt non functiones corporis mirifice turbari, egeſtiones, ſi quae fiunt, quoad naturam ſuam et indolem, formam atque materiam, multifarie immutari, et febris incendi, neque, niſi turbulento rerum ſtatu ſedato, iudicatio eius perfecta ſperari.

Schol. Cl. PEZOLD de Progn. in Febrib. Acut. c. 1. §. 8. p. 9. ſequ. negat, cruditatis notionem, vt veteres opinati ſunt, humidorum qualitate comprehendi poſſe, et humorem morboſum, certo aliquo die decretorio expulſum, non cauſſam, ſed effectum eſſe, ideoque cruditatem in ſola duratione ac vehementia conuulſionis cerni. Sed ſalua,

ſalua, me iudice, vtraque opinio eſſe poteſt, quoniam alterum ſine altero nullum eſt. cf. PROSPER de Praeſag. Vita et Mort. VI. 6. p. 371. ſequ.

§. 682.

Praecipua *cruditatis ſigna* ſunt functiones corporis laeſae varieque a ſtatu naturali deſciſcentes, motus humorum celerior vel iuſto tardior, languor, laſſitudo, debilitas, horror, virium defectio, appetitus nimius aut nullus, ſecretiones et egeſtiones vitioſae, cet. His haud raro accedunt multo periculoſiora, puta, pulſus celerrimus, debilis, durus, inaequalis, intermittens; reſpiratio debilis, anxia, inaequalis, interrupta, motus muſculorum ita deprauatus, vt ne caput quidem aeger ſuſtinere poſſit, tremores, dolores, conuulſiones, oculorum lacrumatio et caligatio, crebra animae deliquia, ſomnus deficiens vel perpetuus, vigiliae, delirium horrendum, ſitis ingens fereque inexplebilis, ſputa tenacia et ſpumantia, nauſea et vomitus materiae peſſimae, deiectiones copioſae, foetidiſſimae, putridae, malignae, non decernentes, quippe ſaepius acrium humorum multitudini *p)* debentur; vrina tenuis, aquoſa, praerubra, turbida permanens, aut ex clara ſubito in turbidam tranſitura, vel ſubſidentia multa habens; ſudor vehemens, copioſus, viſcidus et glutinoſus, vel nullus cum ſiccitate cutis aſpera, vrente atque mordaci, vel qui ſingula membra occupat; rel. Cum hiſce ſignis febris ſemper increſcit, ſymptomata ingraueſcunt, minus tamen ob tempus, quo incidunt, terrere debent. At quo magis ea exacerbantur et ſubſiſtunt, eo peior

p) Kloekhof Diſſ. de Criſ. p. 197.

ior humorum indoles atque miſtura eſt, eo magis quaſi a vinculis ſuis liberata, mota et pluribus conflata, eo ſubtilior, haud raro contagioſa, et populariter graſſans, itemque exitioſa, eoque maius valitudinis vitaeque diſcrimen oſtendit.

§. 683.

Quae cruditatis ſigna interdum leniora ſunt et cum bonis ſignis copulata, et ſecuritarem pollicentur, interdum vehementer vrgent, dum vires aegri imbecillae et fractae ſunt, et ſummum vitae periculum oſtendunt: interdum bonorum malorumque ſignorum aequilibritas eſt, et incertum augurium faciunt. Vnde colligitur, cur ſigna cruditatis per ſe nunquam aut perraro bona ſint, ſemper inſida et periculoſa, quae morbum longum et recidiuum, itemque mortem q) ipſam denunciant; cur quaeuis egeſtiones, ſiue ſolae ſint, ſiue cum ceteris ſignis peioribus copulatae, v. c. anxia ſpiratione, pulſu paruo, debili, intermittente, delirio, exitium r) portendant, ſemper certe, etſi bona videantur, pertimeſci debeant.

§. 684.

Coctio poſt diem tertium circiter ab morbi principio s) oritur, et tunc *rubens nebula et ſubſidentia talis, et ſine ſubſidentia bene colorata vrina, et craſſitudine mediocris, principii finem manifeſtat.* Debet enim cruditatem quaſi excipere coctio, quae ex doctrina veterum et recentiorum medicorum eſt *quaſi maturatio morbi et eorum, quae praeter naturam ſunt*, ideoque iam debet quaedam laxitas ſolidorum et humidorum t) incipere. Neceſſe ergo eſt, agitatio

q) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 662.
r) Aph. II. 27. p. 74. *Gal.* Criſ. I. 8. p. 493.
s) Ibid. l. et p. cit.
t) Sic *Bagliu.* Canon. 38. et 45. p. 482. ſequ.

agitatio humorum tanta fiat, vt partes morboſae denuo commiſceantur, iterumque reſoluantur, acrimoniae variae obtundantur, inuiſcentur, et veluti inertes fiant, vnaque aptae ad exeundum; vel, vt PEZOLDO u) videtur, *ſpaſmus ſe remittat*, et ſolidarum partium relaxatio ſubſequatur. Quare quo magis excrementa alui et veſicae cocta et ſubacta ſunt, eo propinquiorem ſalutem pollicentur.

§. 685.

Eſt vero ea coctio ſemper bona, in qua haec omnia inſunt, et duplicis fere generis. Etenim aut peregrinae vitioſaeque humorum particulae reſolutae denuo naturam priſtinam et innoxiam induunt citra aliquem inſignem egeſtum: id quod, ſi vnquam, perraro certe et tantum in febribus atque inflammationibus benigniſſimis v) incidit: aut demum per varia corporis emiſſaria expelluntur cum aegri allevatione. Quare praeclare GALENVS w): *Perfecta et exquiſita coctio eſt, quando in vrinis ſubſederit aliquid album, laeue et aequale, et continuum, et quae tempore ſtatus fit.* Quae vbi non incidit, *coctio debilis vel imperfecta* dicitur, i. e. non miſceri amplius humores mali poſſunt, ſed in aliena loca demigrant, vel, vbi ſenſim pedetentimque excitantur, recidivum morbum gignunt. Hanc tamen recte, vt nobis videtur, LVDWIGIVS x) *cruditatem continuatam et auctam* dici maluit.

 §. 686.

u) Progn. Acut. Febr. c. 1. §. 9. p. 10. *Kloekhof* de Criſ. p. 197. ſequ. et p. 202.

v) *Kloekhof* l. c. p. 202. ſequ.

w) Criſ. I. 17. p. 508. cf. L. III. 5. p. 541. ſequ.

x) *Proſper* VI. 1. p. 344. ſequ.

§. 686.

Cauſſae coctionis ex iis, quae ſupra commemorauimus, ſatis patent. *Bonae* vero *coctionis indicia* ſunt, actiones vitales integras eſſe, et morbi ſymptomata decreſcere, pulſum et reſpirationem aut meliorem fieri, aut certe quam minime a naturali forma abhorrere. Quam ob cauſſam debent egeſtiones quaecunque ſenſim immutari, et veriſſime dixit diuinus HIPPOCRATES y), *ſigna haec perpetuo bona, nunquam mala eſſe, coctionis celeritatem portendere iudicii ſecuritatem;* Itemque GALENVS z), *coctionis ſigna nunquam male apparere, nunquam morbum ſolui poſſe, niſi prius in excrementis coctionis ſigna conſpiciantur.* Ex quo etiam haec veterum placita intelligere licet, ſine coctione reliqua ſigna bona timeri debere, contra peſſima ſymptomata, v. c. deliria, peruigilia, ſoporem, conuulſiones, modo cum coctionis ſignis veniant, optimam iudicationem praeſignificare a), ſigna coctionis, dum omnia adhuc cruda ſunt, ſ. principio morbi, nec eſſe poſſe, nec bona eſſe, itemque ne in augmento quidem, quoniam tunc vere dicendae coctiones imperfectae ſunt, per coctionem incipientem materiam morboſam ſaepe magis ſe extricare, ſubtiliorem fieri, ad neruos cutimque deferri, purpuram et peticulas ſymptomaticas, quae iudicium mentiantur, et nihiloſecius internam corruptionem denunciant, generare, fatumque accelerare; non cruda, ſed cocta medicamentis moueri b) debere;

y) Epid. I. Sect. 2. p. 661. nec abſimiliter ORIBAS. Synopſ. VI. 1. p. 91. Coll. Steph.

z) Criſ. I. 7. et 8. p. 493.

a) *Proſp.* l. c. p. 346.

b) *Hipp.* Aph. I. 22. p. 71. et II. 29. p. 74. L. Humor. §. 3. p. 319.

debere; incrementum quo celerius accedat, eo propinquiorem iudicationem c) futuram, at coctio quo magis anticipet praeter rationem, eo magis verendum eſſe, ne iudicatio aut grauis, aut imperfecta, ſubſequatur, aut morbus denuo reuertatur d), poſt ſtatum vero iudicium ſperandum non eſſe, ſed lentam potius reſolutionem cet.

§. 687.

Criſis ſ. *iudicium morbi* e), generaliter quemvis morbi exitum et bonum, et malum, puta in ſanitatem, alium morbum et mortem ipſam, ſignificat, ideoque cum *criſin reſolutoriam* ſ. λύσιν *lentam* et vix percipiendam, tum *criſin euacuatoriam* comprehendit, quae ex doctrina veterum f) et natura rei ſola vera iudicatio eſt. Ceterae vero, in quibus aegri moriuntur, aut peſſime ſe habent, proprie nullae ſunt, etſi interdum *malae* g) appellantur. Quare nihil intereſt, ſubita dicatur et praeceps morbi mutatio, an lenta reſolutio: ſemper enim perinde eſt, modo ſatis diu et bonis cum aegri rebus h) continuent, et aut ſimul oriantur, aut ſequantur quaedam mutationes, quas *perturbationes* ſ. *ſymptomata critica* nominant. Hinc facile intelliguntur

 1) *Cri-*

c) Epid. II. Sect. 1. p. 686.

d) *Gal.* Criſ. III. 5. p. 542.

e) Varias eius ſignificationes vide Ib. I. 1. p. 483. et III. 2. p. 534. Dieb. Decret. l. 1. p. 559. *Proſp.* l. cit. c. 6. p. 372.

f) *Gal.* Criſ. III. 7. p. 544.

g) *Gal.* in Progn. Comm. III. 1. p. 793.

h) *Hipp.* Aph. I. 28. p. 71.

1) *Criſes bonae*, qui valitudinem reddunt; vel *malae*, ſi ſubita et indubitata mors malorum clauſula eſt.

2) *Tempeſtiuae*, ſi iuſto tempore incidunt; at vero *intempeſtiuae*, vbi nimis anteuertunt, et materia morbi ante ſtatum expelli per vomitum, aluum, ſudorem, coepit ob irritamentum quoddam et materiae malignitatem *i*).

3) *Manifeſtae*, vbi egeſtio quaedam copioſa vel abſceſſus ſuperueniunt, vel *obſcurae*, vbi nullo modo. Huc etiam pertinent *criſes cum ſignis* *k*), quas dies index ceteraque indicia praenunciarunt, et *criſes ſine ſignis*, quae ſine his euenerunt.

4) *Perfectae* ſ. *abſolutae*, quae in morbo nihil faciunt reliqui, vel *imperfectae*, quas magna morbi mutatio ſequitur, non integra liberatio *l*), vel *defectae*, quae ante perfectam coctionem incidunt propter morbi magnitudinem, irritationem, acceſſionem vehementem, ideoque morbum ad tempus ſopiunt, non tollunt, tandemque reuertuntur *m*).

5) *Salutares*, quae cum aegri alleuatione ſunt; vel *periculoſae*, quae cum ſignis peſſimis iunguntur.

6) *Certae* ſ. *tutae*, quas nulla ſigna metuenda comitantur; at *incertae* ſ. *intutae*, vbi recidiuum morbum *n*) timere cogimur. *Fidae* et *infidae* eandem explicationem deſiderant.

Reli-

i) *Gal.* l. cit. c. 10. p. 534.
k) Dieb. Iud. I. 2. p. 559.
l) Ib.
m) Ib. III. 4. p. 541. ſequ.
n) *Gal.* Dieb. Crit. I. 2. p. 560.

Reliqua criſium nomina, puta, *conſtans* et *inconſtans*, *exigua* vel *copioſa*, *ſenſibilis vel inſenſibilis*, *ſimplex vel compoſita* cet. per ſe patent. Id tamen certum eſt, iudicationem bonam nec in morbi principio, nec in augmento, ſed in ſtatu vel paullo ante o) apparere debuiſſe, mortem vero in principio, augmento et ſtatu p) poſſe. Cauſſa vero tantae rerum commutationis ex iis, quae anteceſſerunt, ſatis patet, videturque prae ceteris irritabilitati Hallerianae q) accepta referenda.

Schol. GALENO auctore, Criſ. III. 1. p. 533. dantur ſex morbi mutandi differentiae, easque aut ſubito ad ſanitatem venire, aut ſubito interficere, aut paullatim contingere, ſi morbus iam decreſcit, et aegri vires peſſumdatae ſunt, aut quaſi inter ſe commiſtas eſſe, i. e. ſi qua facta fuerit mali commutatio ſubita in peius vel melius, deinceps materia reſidua vſque ad reſolutionem vel mortem ſenſim dilabitur. Ingenue tamen confeſſus eſt, non niſi primam dicendam veram iudicationem eſſe, eamque ſecuram et optimam, minus vero ceteras. cf. HAEN Rat. Morb. T. VIII. c. 2. p. 22. ſequ.

§. 688.

Iam vero nec omnes omnino acuti morbi ſic iudicantur, eamque ob cauſſam ſigna, quibus *futurum iudicium* praeuidemus, paucis explicare placet. Primum ſpectari debent morbi ſpecies et magnitudo

o) Criſ. I. 8. p. 493.
p) Criſ. III. 6. p. 543.
q) *Kloekhof* de Criſ. p. 216. ſequ.

tudo [r]), itemque acceſſiones, per ſingulos dies pares ſint, et eodem tempore reuertantur, nec ne, eadem hora ſemper anticipent et vehementius vrgeant cet. Etenim ſcire licet, *per largam* aliquam *egeſtionem* vel multos magnosue *abſceſſus* morbum *iudicatum* iri, qui magnus et vehemens [s]) eſt, atque cito et magno cum impetu fertur, in quo coctionis et compagis humidorum ſatis laxatae [t]) indicia et ſymptomata multa, magna, aegrum exagitantia, corporis functiones vehementer ac ſubito turbantia, adſtantibus amicis et familiaribus terribilia et periculoſa viſa antecefſerunt, quem dies indices praeſignificarunt, ſub quo vires ſuppetunt ad materiam expellendam, et tempus iuſtum i. e. ſtatus inſtat. Contra *iudicatio nulla* exſpectanda eſt, vbi contraria omnia eueniunt, ſi morbi parui, exiles, maligni [u]) et ſine coctionis ſignis ſunt, ſi tardius mouentur, et adiunctas habent vires naturae infirmas, neque idoneas ad egeſtum ſalutarem efficiendum v. c. in febribus meſentericis [v]). Quare hominem occidunt vel vbi adhuc increſcunt, vel iam ad ſummum peruenerunt, perraro in fine. Ex quo intelligitur, veteres [w]) ceterosque medicos Hippocraticos non male febres id genus debiles et paruas metuere, et in malignis collocare, quippe earum iudicia, ſi qua incidant, non ſatis ſecura et perfecta

r) *Gal.* Criſ. III. 4. p. 537.

s) Ib. c. 2. p. 534. ſequ. *Aëtius* Tetr. II. Serm. 1. c. 22. p. 193. Coll. *Steph.* *Oribaſ.* Synopſ. VI. 3. p. 91.

t) *Baglin.* Prax. I. p. 65.

u) *Gal.* Criſ. I. 2. p. 483.

v) *Baglin.* Prax. I. p. 52.

w) *Gal.* Criſ. III. 4. p. 538.

perfecta ſunt. Idem ſentiendum eſt, ſi febres ſine egeſtione vel abſceſſu,[x]) et ipſo die decretorio deſinunt; Breui enim et ſaepe peſſimo cum omine revertuntur.

§. 689.

Sunt ergo potiora indicia *iudicationis cum imminentis, tum futurae*, quippe eorum cognitio, GALENO[y]) auctore, non multum a ſe differt, *morbi forma et magnitudo, tempus et vigor, ſymptomatum augmentum*, motus celer vel tardus[z]), *cruditas et coctio antegreſſa, virium vitalium robur, aetas et victus ratio*, quam aeger alias ſecutus eſt, *locus, in quo decumbit, ſigna, quae iudicium denunciant*[a]), v. c. ingens *corporis inquies* diurna et nocturna, *anxietas, pulſus magnus, mutabilis, inaequalis, haud raro intermittens*[b]), *palpitatio, ſpiratio difficilis, vertigo, ſtupor et ſenſus vacuitas, vel vehemens conuulſio, delirium, vigilia*[c]), *ſopor, obliuio rerum et conſcientia ſui nulla, aurium ſonitus et haud raro ſurditas, oculorum rubor et lacrymatio inuita*[d]), *lucis impatientia et ſplendores falſi, temporum grauitas et arteriarum*, quae eo pertinent, *fortis ſuccuſſus, dolor capitis, colli, pectoris, ventriculi, praecordiorum, horumque retractiorum inflatio, labiorum contractio et agitatio*, itemque *membrorum motus difficilis vel nullus, tremor, aeſtus et ſitis intoleranda, vehemens oris cutisque ſiccitas*,

x) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 528.
y) Criſ. III. 2. p. 535.
z) Ib. c. 3. et 4. p. 535. ſequ.
a) Id. Dieb. Decret. I. 1. p. 558.
b) *Barchuſen* Collect. Med. p. 53. ſequ.
c) *Hipp.* Aph. II. 13. p. 73. Coac. §. 1. p. 528. *Gal.* Criſ. III. 7. p. 544.
d) Epid. I. Sect. 1. p. 656. *Gal.* Criſ. III. 2. p. 535.

pruritus et punctura, *nauſea frequens et murmura ventris*, *vrinae difficultas et ſuppreſſio*, *rigor* in febre ardente e) ceterisque acutis, *egeſtiones cuique morborum generi appoſitas* denotant, v. c. in febre ardente f) ſanguinem e naribus, aut vbi rigor fortis anteceſſit, ſudorem copioſum et calidum g), interdum vomitum et deiectiones birioſas, vt in tertiana, interdum multa emiſſaria ſimul aperta, vnde amicis et medico imprudenti non leuem metum incutiunt; cet. Praeter haec attendi debent *acceſſio anteuertens*, *longior*, *vehemens*, *ſputum album et coctum*, *furor vel moroſitas*, itemque *clamor aegrorum*, qui haud raro ſe lectulis proripiunt furentium ſimiles, ſitum crebro mutant, frigidam deſiderant, et vri ſe identidem conqueruntur h) cet. In his vero notis, quae futuram iudicationem denunciant, bene monente PROSPERO i), *morbi magnitudo*, *corporis functiones turbatae et virium conſtantia* eminent; reliqua vero eam certiorem reddere poſſunt.

Schol. KLOEKHOF Diſſ. de Criſ. p. 204. ed. SCHLEGEL. ſigna decretoria triplicis generis eſſe contendit, prima materiae morbi iam exitum molienti debentur, ſecunda propria iis inſtrumentis ſ. viſceribus ſunt, per quae egeſtus futurus ſit, aut vbi materia morboſa quaſi deſidere ſolet, vnde multus humorum aditus, tremores et convulſio-

e) *Hipp.* Aph. IV. 29. 58. 63. p. 85. ſequ. *Kloekhof* l. c. p. 205.
f) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
g) Ib. c. 2. p. 535. *Hipp.* Epid. III. Sect. 2. Aeg. 12. p. 720.
h) *Gal.* Dieb. Crit. I. 1. p. 558.
i) L. VI. 8. p. 384.

vulſiones iſtarum partium; vltima ipſam iudicationem iam inſtantem denunciant. Sunt vero iſta indicia pro varia via, vnde humores vitioſi egerentur, varia, vt paullo poſt patebit; interdum morbus decernitur, ne antegreſſo quidem aliquo grauiore ſymptomate. v. HAEN Rat. Med. P. I. c. 4. p. 49. ſequ. Vide tamen, ne ſigna decretoria cum morbi ſignis confundas, quae tempore, quo incidunt et effectu omnium optime aeſtimantur. Hinc ſigna decretoria, quae tempore cruditatis apparent, mala ſunt, et reuerſionem portendunt, interdum ἀκρισίας. Epid. II. Sect. 1. p. 686.

§. 690.

Iudicium certum et ſalutare denunciant praegreſſa bona ſigna et coctio perfecta [k]), ſtatu ſ. vigore morbi [l]) et die indice praeſignificata; dies decretorius [m]), egeſtiones ſatis magnae et naturae formaeque morbi, itemque aegri viribus reſpondentes [n]), et loco apto erumpentes, aeger coloratior, robuſtior, mali tolerantior [o]), pacatior, febris et ſymptomatum remiſſio, pulſus magis ordinatus, melior, vehementior, fortior, aequalior, reſpiratio melior, facilior, minus impedita, aegri rerum aduerſarum alleuatio [p]). At *iudicium bonum*, neque tamen ſemper

k) *Hipp.* Epid. I. S. 2. p. 658. ſequ. *Gal.* Criſ. III. 3. p. 535.
l) *Gal.* l. cit. c. 4. p. 537. et c. 6. p. 543.
m) *Hipp.* Aph. II. 24. p. 74.
n) Aph. I. 2. et 21. p. 68. ſequ. *Gal.* Criſ. III. 2. p. 539. et c. 3. p. 536. *Proſp.* l. c. p. 386.
o) *Hipp.* Aph. I. 12. p. 70. et *Gal.* l. c. p. 537.
p) Aph. II. 13. p. 73. Epid. III. Sect. III. Aeg. 8. p. 735. ſequ.

per *perfectum et tutum* indicat, quicquid illis, quae iam commemorauimus, maximam partem contrarium eſt, nimirum ſi iudicationes ſine exquiſitae coctionis indiciis q), ante ſtatum et in morbi augmento r), non diebus decretoriis, ſed intercalaribus s), cum quadam egeſtione a morbi natura abhorrente vel parca, alleuatione aut nulla, aut perexigua, quae reuerſionem minatur, incidunt, itemque ſi ſigna per ſe mala, v. c. deliria, vigiliae, conuulſiones, t), bonam coctionem ſequuntur. Sub his notis iudicia morborum interdum ſalutaria imminent, ſaepius imperfecta, incerta, intuta, et haud raro exitioſa u).

Schol. Signorum, quae bonam iudicationem portendunt, princeps eſt materiae vitioſae coctio, in ſputis, vrina, excrementis obſeruanda, eamque tanti GALENVS Criſ. III. 3. p. 535. aeſtimauit, quanti nullam aliam. *Ego millies*, inquit, *cum, dum criſes fierent, intereſſem, neminem vnquam vidi intereuntem, qui, praecedentibus coctionibus, criſin habuiſſet.* Porro et illud attendendendum videtur, cuique morbi formae ſuam prae ceteris viam, qua ſe malo liberet, natura quaſi datam indicatamque eſſe, adeoque in morbis pectoris ſputa exſpectanda, non neglecta vrina ceteriſque excrementis, in febribus ſine viſcere laeſo vrinam, in iis malis, quae infimum ventrem occupant, deiectiones.

V.

q) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 7. et 10. p. 679. ſequ. Epid. III. Sect. 3. Aeg. 6. 7. 8. 12. p. 734. ſequ.
r) *Gal.* Criſ. I. 8. p. 493. et III. 7. p. 544.
s) *Hipp.* Aph. IV. 29. p. 81. ſequ.
t) Epid. I. Sect. 2. p. 658.
u) *Proſper* l. cit. c. 10. p. 390. ſequ.

v. QVELMALZ Diſſ. de ſalubri morborum per criſes exitu, Lipſ. 1748.

§. 691.

Contra *iudicationem exitioſam* quae denuncient, ex ante dictis facile colligitur. Eam enim augurari licet, ſi citra vlla coctionis indicia, morbo ineunte ac crudo v), et ipſo die decretorio, incidit; (id quod quaſi proprium febrium malignarum et tertianam mentientium w) eſt): ſi morbus, etſi magnus atque malignus, pedetentim et ſedato niſu x) ire videtur; ſi egeſtiones a natura mali abhorrent et per ſe prauae y) ſunt, aut decretoriae non decernentes z), i. e. aut iuſto parciores, aut longe copioſiores, aut cum peſſimis ſymptomatis copulatae; ſi ſigna decretoria celerrime apparent a), quoniam natura ad ſalutem tendit moderate; ſi pulſus languet, et in peius ruit, cum fallaci virium robore b); ſi coctionis imperfectae c) indicia apparent, ſi aegri poſt fallacem iudicationem pacatiores viſi denuo recidunt in ſummam inquietem d) et debilitatem, febrem vehementiorem e), deliria ceteraque horrenda ſymptomata. Hinc quo grauior acceſſio, et natura debilior, eo celerius et certius periculum f); quo plura mala ſym-

v) *Hipp.* Progn. §. 24. p. 468.
w) *Gal.* Comm. II. in I. Epid. t. 25. p. 434.
x) Id. Criſ. III. 10. p. 549.
y) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 658. ſequ.
z) Epid. II. Sect. 1. p. 686. *Proſper* l. c. p. 399.
a) Epid. II. Sect. 1. p. 686.
b) *Proſp.* l. c. p. 396.
c) Sic ipſe expertus PROSPER l. c. p. 397. mortem vere praedixit.
d) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 549.
e) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 4. p. 277.
f) *Gal.* l. c. p. 550. *Hipp.* Iudic. §. 8. p. 444.

ſymptomata vrgent, eo certior praedictio exitus mali eſt; quo plura ſalutaria, eo certior ſalus g). Hinc plurimi aut ſub febris acceſſione, aut increſcente ac conſiſtente morbo, at perpauci in fine propter imbecillitatem moriuntur h).

§. 692.

Reſtat, vt, quando *lyſis* ſ. *lenta reſolutio* exſpectanda ſit, paucis videamus. Debemus vero eam augurari, ſi morbi parui et obſcuri, vel diuturni ſunt, vel tardius mouentur, ſi poſt mitiora vel vehementiora cruditatis ſigna morbus conquieſcere et corpus integrum dimittere videtur; functiones vero vitae quodammodo vigent et increſcunt; ſi grauitatis ſenſus aegrum tenet, praeſertim eo loco, quo humor vitioſus ſubſidit, aut quaedam infirmitas et hebetudo ſenſuum, cum internorum, tum externorum, oritur, puta, torpor, ſtupor, ſopor, auditus grauis, viſus acies hebes, pruritus, dolor, inflatio cet. ſi haec ſenſim euaneſcunt, et praeter debilitatem moleſtia nulla eſt; ſi ſenſim vrina copioſa mittitur, in qua multa ſubſidunt i), vel deiectiones ſuperueniunt. Ex quo intelligitur, cur morbi acuti, qui neque per iudicationem ſoluuntur, neque per lentam reſolutionem imminuuntur, aut cito iugulare debent, aut in alium morbum peſſimo cum omine, itemque in diuturnum k) transformari, ſaepius reuerti l). Hinc ſaepe oritur *criſis metaſtatica*.

v. SEG-

g) *Gal.* in Praed. I. Comm. I. 33. p. 667.

h) Id. Criſ. III. 9. p. 547.

i) *Kloekhof* Diſſ. de Criſ. p. 203.

k) *Gal.* Criſ. III. 7. p. 544.

l) *Hipp.* Aph. II. 12. p. 73. et Coac. §. 1. p. 533.

v. SEGNER Diſſ. de depoſitionibus criticis, Gott. 1748.

HENR. IAC. STÜVEN Diſſ. de reliquiis poſt criſin ſecundum Aph. HIPP. Ien. 1727.

SCHROEDER reſp. IO. ANDR. LOHR Diſſ. de febrilibus metaſtaſibus, Gott. 1769.

IO. CRIST. TRAVG. SCHLEGEL Diſſ. de metaſtaſi in morbis, Ien. 1771.

§. 693.

Huc etiam referri debet *perturbatio critica*, i. e. ſi in morbis boni augurii per victum vel medici culpam, vel ob indolem materiae morboſae ſingularem coctio ſalutaris quaſi ſiſtitur, morbique facies ſubito immutatur: vnde malum non poteſt non duci [m]) vlterius, et in longum deſinere, vel ob vires fractas et humoris vitioſi ad interiora delati malignitatem aegrum occidere. Cognoſcitur vero iſta perturbatio prae ceteris ex ſiccitate oris, lingua et faucibus ſordidis, ſingultu perpetuo, pulſu debili, paruo, inaequali, et multum a naturali abhorrente, reſpiratione ſublimi, ſtertoroſa, ſuffocante, tremore, tendinum adſultu, conuulſionibus, anxietate praecordiorum, inquieta corporis iectigatione, maloque poſitu, oculo triſti, moroſo, truci, fixo vel inſtabili, lacrymante, delirio miti et laborioſo, palpatione crebra cet. Sub his ſignis vtplurimum nulla ſpes ſupereſt; egeſtiones vero, ſi quae fiunt, mancae ſunt, nec accommodatae ſatis, et, inuito ac inſcio aegro, profluunt, i. e. ſymptomaticae. v. c. ſanguinis ſtillae, ſudor ſingula membra occupans, cum extremorum

m) Coac. §. 1. p. 527.

morum algore cet. Quare non male medici ſtatuunt, talem morbum aut mortiferum eſſe, aut certe periculoſiſſimum, et in lentum tranſiturum.

Schol. Secundum GALENVM Criſ. III. 7. p. 544. ſic diſtinguenda nomina ſunt, primum vt *criſis vera* ſit morbi reſolutio ſubita, deinde vero *lyſin* duplicem efficiamus, eamque appellemus aut *criſin defectam*, ſi materia morbi ſubito diminuitur, aut etiam *lyſin proprie ſic dictam*, ſi tempore longiore atque ſenſim tollitur.

§. 694.

Ex his etiam facile dirimi controuerſia illa medicorum poterit, quae priſcis abhinc temporibus agitari coepta eſt, fierine poſſit, vt qui aegri tum demum, quando morbus decreſcit, moriantur, nec ne. Id quod alii aiunt, et, vt nobis videtur, recte, quoniam quotidie obſeruatur; alii negant, et omnium maxime GALENVS n). Sed vterque ſatis vere. Etenim ſi ſpectes iudicii notionem, tunc recte GALENVS cenſuit, *nullum eſſe mortis periculum tempore ſtatus elapſo*, quia, humore vitioſo rite ſubacto, morbo ad ſummum deducto, vbi decernendum erat, veraque curationis via adhibita, natura aut ſuccumbere debet, aut ſuperior eſſe, quippe mors non niſi ſuperata naturae vis putanda eſt. Dum ergo illa ſaepe in ſtatu morbi incidat, neceſſe eſt, medici vel aegri culpae accepta referatur, ideoque ſalua illa doctrina perardua eſt, qua non niſi poſt ſtatum morbi exitus ſperari debet. Praeter haec vide, intereant aegri in fine acceſſionis, quae partem, vel quae vniverſum corpus teneat, nec ne, vera, an falſa acceſſio ſit. Prius ſaepe fieri poteſt, poſterius nunquam.

§. 695.

n) Criſ. III. 5. p. 542.

§. 695.

Quibus praemiſſis, conſequens eſt, vt ea, vnde decretoriae egeſtiones dimanant, loca conſideremus, et, quid quaeuis portendant, bonae, an malae illae putandae ſint, paucis expediamus. Multa enim iam alio loco, quoniam non proprie huc ſpectare videbantur, quaſi delibauimus. Poteſt igitur, bene monente HIPPOCRATE [o]), *iudicatio morbi* fieri aut *per gangraenam*, aut per *abſceſſum magnum* ſ. *ſuppurationem* et *eruptiones cutis varias*, aut denique per *veram humidorum expulſionem*; haec vero iterum in *profluuiis ſanguinis variis*, *ſudore*, *ſaliuae fluxione et ſputis*, *vrina*, *vomitu*, *deiectione*, ac *coniunctione plurium egeſtionum* cernitur. Id tamen praemonendum duximus, *iudicationem* eam, quae egeſtionis aut lentae reſolutionis miniſterio peragitur, non per abſceſſus futuram, ſi morbus vehemens, acutus et facile ſubigendus eſt. Contra ſi medius [p]) quaſi, diuturnus et tardus eſt, vel hieme incidit; ſi vires [q]) nondum deficiunt; ſi vrinae exiguae, tenues, crudae, et quae ſubſidentia [r]) non habent, ante miſſae ſunt, abſceſſum metuimus. Etenim, vt GALENI [s]) verbis vtar, *nihil eorum, quae decretoria exiſtunt, exigui ſecerni conuenit.*

SVBSE-

o) Coac. §. 1. p. 534. et *Gal.* Dieb. Decret. I. 1. p. 557.

p) *Gal.* In Progn. Comm. II. 65. p. 788. et Comm. III. 30. p. 809.

q) Ibid. Comm. III. 28. p. 807.

r) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 554.

s) In I. Praed. I. 47. p. 672.

SVBSECTIO I.

DE IVDICATIONE MORBI PER GANGRAENAM.

§. 696.

Haud rarum illud *gangraenae ſiccae* genus eſt, quod acutis morbis ſuperuenit, et ſalutare eſt. Si enim mali peſtiferi impetus et materia in membrum aliquod externum defertur, non poſſunt non internae partes liberari, et morbus ipſe tolli, quippe ex veterum placitis praeſtat, membrum externum perire, quam intus deliteſcere amplius humorem vitioſum, et aegrum occidere.

v. THOM. KIRKLAND A treatiſe on gangrenes, c. IV. et SAVVAGES Noſol. Method. T. II. p. 629. QVESNAI de la Gangréne, p. 683. Cl. BALDINGER von den Feldkrankheit. c. 14. p. 401. ed. ſec.

ALB. v. HALLER reſp. PAPPELBAVM Diſſ. de febre maligna per gangraenam pedis dextri, in regione malleoli externi critice ſoluta, Gott. 1743. TREMEL Diſſ. de febre maligna vniuerſali et corticis peruuiani in metaſtaſes illius efficacia, Argent. 1764.

§. 697.

Praeſagiri ergo poterit tale per *gangraenam iudicium*, ſi febris acuta, cum maxime inflammatoria, anteceſſit, et paullatim conquieuit, ſi pulſus remittit et debilis fit, ſi ſtupor neruorum alicubi oritur, et humores corporis vniuerſi malignitas quaedam peruaſit; ſi ſymptomata mala aut ceſſant, aut certe imminuuntur; ſi praua materia ad membrum externum, v. c. nates, teſtes, dorſum, deponitur cum aegri

aegri alleuatione. Contra vbi, nata in membro aliquo gangraena, morbus non ſiſtitur, peſſimum eſt, et praeſentiſſimam mortem denunciat.

SVBSECTIO II.

DE IVDICATIONE MORBI PER ABSCESSVS, SVPPVRATIONEM ET ERVPTIONES CVTIS VARIAS.

§. 698.

Iudicatio, quae per *abſceſſum*, i. e. humoris morboſi ad aliquem locum congeſtionem, cum maxime hieme t), fit, ſemper indicat, ceteras egeſtiones decretorias aut deficere, aut certe non ſtato tempore apparere; eaque cauſſa ſubeſt, cur hac via febres diuturnae u) ſecure decernuntur. In acutis vero abſceſſus tales exſpectare licet, ſi nec malum lente reſoluitur, nec res aegri deſperatae ſunt, ſi nulla ſputi, vomitus, deiectionum, vrinae, ſudoris vel ſanguinis erupturi v) indicia adſunt, vel iſtae egeſtiones ſubito interruptae ac perturbatae fuerunt; ſi humores crudi et craſſi ſubſiſtunt, v. c. vrinae crudae, tenues, aquoſae, in quibus nihil ſubſidit w), et morbus ſine vllis ſignis pernicialibus ducitur vel vltra diem viceſimum x); ſi naturae vires imbecillae et fractae quodammodo videntur, nec ſufficere ad concoquendam et expellendam materiam; ſi dolor ſubitus, laſſitudo, grauitas, debilitas et ſudatio membri vilioris

t) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 533.
u) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
v) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 559.
w) Id. Progn. §. 18. p. 463. *Gal.* Criſ. III. 10. p. 556.
x) Progn. §. 24. p. 468. Coac. §. 1. p. 533. Aph. II. 47. p. 76. et Aph. IV. 44. p. 86. *Proſper* p. 403 ſequ.

lioris [y]) oritur; ſi frigus et horror [z]) aegros prehendunt. Praeter haec accedere ſigna quaedam bona et ſalutaria debent, ne natura illico ſuccumbat, v. c. aeger mediocriter ſe habeat, febris moderata [a]) continuet, cet.

v. PANCRAT. WOLFF Diſſ. declarans HIPP. regulas et cautelas de febrium criſibus per abſceſſus, eryſipelata, tumores arthriticos, variolas cet. Hal. 1705.

Schol. Latiori ſignificatu tum abſceſſum vere talem, tum quaeuis eruptionum cutis acutarum genera comprehendimus; quibus ad cutim delatis atque depoſitis, febris aut penitus remittit, aut ſaltem minus vrget. cf. PROSPER VI. 12. p. 402 ſequ. et L. VII. 21. p. 550 ſequ. De differentiis vero iſtorum abſceſſuum v. IVNCKER Semiol. c. 10. p. 609 ſequ.

§. 699.

Sumuntur vero *propriae abſceſſus notae* a loco [b]), quem dolor et morbus tunc temporis cum maxime occupant. Sic in *partibus ſuperioribus et pone aures* eum oriturum praedicimus, ſi horror [c]), certus nouae febris cum inflammatione iunctae index, ſpiratio ſubito ex difficili in facilem transformata, dolor ac grauitas capitis, ſtupor, conuulſio, creberrimus arteriarum, quae temporum oſſa contingunt,

y) *Hipp.* Aph. IV. 32. p. 85.
z) Praedict. I. 22. p. 485. et §. 23. p. 486.
a) Aph. IV. 44. p. 86. et 74. p. 89. *Gal.* Criſ. III. 11. p. 551.
b) *Hipp.* Praed. l. cit. Progn. §. 18. p. 463.
c) *Berger* Diſſ. de praeſag. ex algore in acut. §. 16. p. 228 ſequ. T. II. Opuſc. BRENDEL.

tingunt, ictus, facies turgidula et pallida [d]) vel rubra [e]), ſopor profundus, auditus grauis, vel ſurditas [f]), ſuperueniunt; ſi praecordia mollia, non tenſa, doloris expertia [g]) ſunt. Contra in *inferioribus partibus*, ſi morbus trahitur, et ibidem impedimenta multa, torpor, grauitas, tenſio, dolor, tumor, rubor, inflammatio, oriuntur, ſi vrina cruda [h]) multo tempore et bonis cum ſignis continuat, et prae ceteris male ſe habent praecordia.

Schol. Veteres et maiores noſtri abſceſſuum formas ſic diſtinguendas cenſuerunt, vt in morbis cerebri parotides praeſagirent, in morbis pectoris ſub axillis, in morbis infimi ventris abſceſſus ad extrema; ſpeciatim vero in febre peſtilentiali atque lue venerea ad axillas vel inguen, in lienis affectibus ad crus ſiniſtrum, in hepatis vero ad dextrum. Deinde abſceſſus fieri voluerunt aut ante morbum, aut in morbo, aut in aegris infirmis (v. HIPP. Aph. IV. 31. p. 85.) et conualeſcentibus. Denique illos accidere contenderant aut *per effluxionem*, i. e. ſi in loco remotiori atque ignobili magna coctae materiae copia effluit cum aegri alleuamento, veluti *ſanguis e naribus*, *pus ex aure*, *vrina* cet. (Epid. II. Sect. 1. p. 687.), aut *per decubitum*, i. e. ſi in quacunque parte alia talis humor morboſus deponitur, tardiusque ſuppurat. v. GALEN. Comm.

d) *Klein* Int. Clin. p. 212.
e) *Gal.* In I. Praed. I. 62. p. 720.
f) Id. Criſ. III. 10. p. 556. *Iuncker* l. cit. c. 5. p. 494.
g) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 560.
h) Ibid. §. 5. p. 581. et Epid. VI. Sect. 1. p. 797.

Comm. II. in I. Epid. t. 39. p. 437. et Comm. III. 1. p. 461. Multi ſub auctore HIPPOCRATE etiam morbi acuti in longum tranſitum huc referunt. v. HIPP. Aph. 51. p. 87. et GALEN. Comm. II. in I. Epid. t. 21. p. 431. T. III. IVNCKER Semiol. c. 10. p. 610 ſequ. At hi periculoſiores ſunt.

§. 700.

Sunt ergo *abſceſſus*, qui febribus acutis ſuperueniunt, *boni et decretorii*, ſi poſt coctionis indicia, die decretorio, in membro ignobili aut certe a morbi ſede remotiori [i]) accidunt, ſi ſubſiſtunt, augentur, ſuppurant, acuminantur, aequaliter matureſcunt, et febrem aegrumque leuant. Hinc abſceſſus molles [k]) duris praeferuntur, acuti latis, ab interioribus ab externa [l]) delati, ſatis magni [m]), mediocres, nec cum impetu erumpentes, colore ſubrubro, flauo, albo praediti, cito et citra dolorem ematureſcentes, pus album, aequale, laeue, non graueolens exhibentes. At *mali* putantur, in quibus cruditatis ſigna [n]) deprehendimus, qui die intercalari erumpunt, per ſe mali ſunt, aeque concitati et dolentes continuant, nec ſuppurant; qui copioſi, nimis parui, vel magni, et pleniſſimi [o]) ſunt, vehementer rubent, liuent, nigricant [p]), vel ad viſcera nobilia et loca minus accommodata deponuntur; qui aegrum

i) *Hipp.* Progn. §. 7. p. 453. Epid. II. Sect. 1. p. 687.
k) Epid. VI. Sect. 1. p. 798.
l) Aph. VI. 25. p. 100.
m) Coac. §. 1. p. 534.
n) Coac. §. 1. p. 533.
o) Coac. §. 1. p. 530. Epid. I. Sect. 2. p. 660. *Gal.* Comm. II. in I. Epid. 35. p. 436. III.
p) Ibid. Sect. 3. Aeg. 2. et 9. p. 673 ſequ.

aegrum non decernunt ideoque propter malignitatem ſuam q) exitioſi ſunt; denique qui ſtatim, ac exierunt, iterum intus dilabuntur r), febre conſiſtente, eosque inſequuntur peſſimo cum omine, delirio, morte, certe mali reuerſione, cet.

Schol. HIPPOCRATES Epid. VI. Sect. I. p. 797 ſequ. et GALENVS ad h. l. monent, iudicationem per abſceſſus ſ. ſuppurationem magis ſenum eſſe, iuniorum vero ſanguinis eruptionem.

§. 701.

In his per abſceſſus iudicationibus eminent *parotides*. Quae vbi febribus ſuperueniunt, maximam partem latentis malignitatis indices ſunt, ſiquidem ſaepe aegrum non iuuant, at ſub increſcentibus vel conſiſtentibus, malignis, fatum denunciant. Dicuntur vero *bonae et decretoriae*, quae, morbo paullisper decreſcente, et praegreſſis coctionis ſignis, ſine dolore ac rubore multo, die decretorio, aegri rebus integris, mediocriter tument, matureſcunt et ſuppurant. *Peſſimae et ſymptomaticae* ſunt, quae, morbo adhuc crudo, vrina cruda vel citius cocta, cum dolore vehemente ac febre nec remittente, ſed potius increſcente s) incidunt, nec decernunt, non reſidunt, non maturantur, neque ſuppurant t), neque qua alia copioſa egeſtione reſoluuntur, v. c. ſudore u), vrina alba, craſſa et ſubſidentia habente; deiectione bilioſa, dyſenteria, ſanguinis profluuio, vel abſceſſu articulorum; ſi ſymptomata non remittunt;

 et,

q) Epid. III. Sect. I. Aeg. 1. p. 712.
r) Progn. §. 18. p. 463. Epid. VI. Sect. 4. p. 807. *Gal.* in Praed. II. 68. p. 790. IV.
s) Coac. §. 2. p. 540.
t) Epid. VI. S. 4. p. 867.
u) *Foëſius* Comm. in Coac. T. I. p. 137.

et, aegri viribus fractis, citra rationem atque poſt algorem et rigorem [v]) euaneſcunt. Tunc enim aut morbus denuo recrudeſcit, et aeque concitatus continuat, aut peſſima mala et mortem ipſam inducit. Quare parotides peticulis ſalubriter ſuperuenire creduntur, ſi cum vrina et ſudore bono apparent; contra ſeroſae et inflammatae aut ſubito iugulant, aut anginam malam accerſunt. In diuturnis morbis aurium tubercula, niſi ſuppurant [w]), mortem adferunt: At parotides, quae ex longo morbo [x]) naſcuntur, v. c. ſcrophula, lue venerea, ſcirrho, haud facile ſuppurant, ſed periculoſae non ſunt.

Schol. Parotides interdum curatae citra ſuppurationem ſunt per largum vrinae profluuium; ſed hoc, bene monente GALENO Comm. II. in I. Epid. t. 84. p. 455. T. III. perrarum eſt.

§. 702.

Quibus praemiſſis, reliquas *exanthematum* formas, quatenus huc pertineant, paucis diſputabimus. Horum alia *ſine febre* ſunt, et ſingularem humorum acrimoniam denunciant, ſuis quamque notis internoſcendam; (de quibus alio loco pluribus); alia *cum febre* incidunt, et, apparentibus illis, febris quaſi leuatur, etſi non ſemper fauſto cum omine. Male enim olim STAHLIVS eiusque adſeclae iſtas cutis eruptiones ſemper decretorias et ſalutaria naturae molimina ad ſeruandum aegrum eſſe ſtatuerunt. Spectandus certe eſt humor vitioſus, ex quo naſcuntur, quippe qui aut ſingularem indolem habet,

v. c.

v) *Hipp.* L. Humor. §. 11. p. 327. Praedict. I. 24. p. 487.
w) *Klein* Int. Clin. p. 214.
x) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 2. p. 82.

v. c. in variolis et morbillis, aut putridae naturae eſt, et haud raro peſſimae reſolutionis index, v. c. in peticulis, purpura cet. Neque morbi ſpecies et tempus, quo erumpunt, negligi debent: Nam ea, quae, ineunte morbo, apparent, peſſima ſunt, non decretoria: Denique videndum eſt, vtrum poſt hanc qualemcunque egeſtionem febris remittat, an exacerbetur.

Schol. Hac ſola via dirimi lis illa celebratiſſima poterit, quae nuper exorta eſt, haec exanthemata decretoria ſint, an ſemper arte facta. v. Ill. HAEN Febr. Diuiſio, Vindob. 1760. et Rat. Med. T. V. c. 1. p. 2. ſequ. T. VIII. c. 3. p. 106 ſequ. T. X. c. 5. p. 196 ſequ. cf. ſimul Cl. BALDINGER Feldkrankheit. p. 195 ſq. et p. 216. ſequ. ed. ſec.

MATTH. COLLIN Epiſt. ad Cl. BALDINGERVM, qua demonſtratur, puſtulas miliares male a quibusdam medicis factitias et ſymptomaticas dici, Vienn. 1764. 8.

IO. FANTONI Spec. Obſeruat. de acut. febr. miliariis, cui praemiſſa eſt diſſ. de antiquitatibus et progreſſu febris miliaris, Niſſ. 1762.

HARTMANN reſp. PITSCH Diſſ. Controuerſias de exanthematum acutorum ortu nuper motas, Frft. 1769.

BOEHMER reſp. SVSSEMILCH Diſſ. Ad quaeſtionem, an purpura arte exſtirpari queat? reſpondetur, Hal. 1766.

§. 703.

Exanthemata decretoria tunc demum nominari poſſunt, ſi ſtato tempore, i. e. praegreſſa coctione,

ne, talis materia ad cutim deponitur, et illico febris ac ſymptomata maximam partem ſe remittunt; ſi nulla alia egeſtio copioſa incidit, et aeger optime ſe habet. At *ſymptomatica* et *periculoſiſſima*, ſi multitudine incredibili erumpunt, et mali coloris, odoris cet. ſunt; ſi ſymptomata mala, v. c. anxietas, animi defectio crebra, delirium, ſopor, non deſinunt, ſed perennant et exacerbantur; ſi vna cum ceteris egeſtionibus ſuperueniunt, et aeger iam imbecillus eſt. Tunc enim denotant aut peſſimam ſanguinis humidorumque reſolutionem, et euentum ſiniſtrum, aut nimiam acrimoniae morboſae vix expellendae abundantiam; vnde mali finis periculoſus et anceps eſt.

§. 704.

Ex his intelliguntur haec medicorum decreta, exanthemata, quae febribus malignis ſuperueniunt, ſemper eſſe ſymptomatica et exitioſa, decretoria nunquam y), peſtilentiam et febrem veſicularem z) raro ſic decerni, febrem varioloſam ſecundariam a) periculum et mortem ſaepius adferre, purpuram b) raro decretoriam eſſe, epidemicam c) ſaepe fallere medicos, praeſertim vbi e primarum viarum ſordibus d) dimanat; peticulas e) non iudicare, easque tutas non eſſe, praeſertim ſi copioſae ſunt, et coloris

y) *Haen* Rat. Med. T. II. c. 2. et 3. *Klein* Int. Clin. p. 222. *Pezold* Progn. c. 2. §. 31. p. 23.

z) *Macbride* Einleit. Abſch. 18. p. 613 ſequ. et *Vogel* Aph. 96. p. 67 ſequ.

a) *Macbride* l. c. p. 576.

b) *Haen* l. c. T. VIII. c. 3. *Huxham* de Febr. c. 7. p. 87. et c. 8. p. 98. II. *Valcarengh.* de praecip. febrib. p. 158.

c) *Vogel* Aph. 140. p. 102 ſequ.

d) *Baldinger* Feldkrankh. p. 217 ſequ.

e) *Pringle* Feldkrankh. c. 7. Abſ. 2. P. III. p. 350.

ris flaui vel caſtanei *f*); nam fere putredinem et reſolutionem humorum ingentem denunciant; peſſimum eſſe, ſi iſtas eruptiones acutas intus *g*) dilabantur, neque iterum eo redeant, vnde abierant; itemque ſi in febribus malignis cutim et pectus maculae *h*) quaedam deturpant, quae morbillos mentiuntur, ſed coloris profundioris et luridi ſunt, et marmora variegata quaſi referunt rel.

v. ALEX. CAMERARII et GE. SEEGER Exercit. de pleuritide maligna miliaribus critice ſoluta, Tubing. 1735. rec. in HALLER. Diſp. Pract. T. II. p. 225 ſequ.

SVBSECTIO III.

DE IVDICATIONE PER EXPVLSIONEM HVMIDORVM.

§. 705.

Longe frequentior apud nos *iudicatio* ea eſt, quae per *expulſionem humidorum* fit. Etenim rarius abſceſſus decretorii *i*) incidunt, reliqua exanthemata nonnunquam, in ceteris regionibus crebrius. Placet ergo propius ad eas ſubitas et largas egeſtiones accedere, quae aliquamdiu continuatae, alleuare aegrum, et materia morboſa liberare debent, et ex naturae lege poſt coctionem acutae febris debitam oriri talis egeſtus decretorius ſolet, quem, auctore GALENO,

f) *Huxham* de Febr. c. 5. p. 51. II. cf. *Sarcone* Neap. Krankh. T. III. §. 788. p. 140 ſequ.

g) *Huxh.* Conſtit. Aeris 1735. T. I. p. 108. *Lieutaud* Precis, T. I. S. 1. p. 87. *Swieten* Comm. in Aph. 723. p. 398 ſequ. T. II.

h) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 98.

i) *Iuncker* Semiol. c. 10. §. 101. p. 628.

LENO [k]), praecedunt *arteriarum motus in altitudinem euectus, in diſtentione in vtramque partem, vbi natura id, quod affligit, e corpore excernere molitur.*

§. 706.

Sunt vero praecipuae viae, quibus morbi acuti decernuntur, *varia ſanguinis profluuia, ſudor, ſaliuae fluor et ſputa, vrina, vomitus, deiectio*, tandem *plurium egeſtionum coniunctio.* In his omnis aegrorum ſalus cernitur.

A) PROFLVVIA SANGVINIS VARIA.

§. 707.

Morbos acutos ſaepe decernunt *ſanguinis fluores*, aegri malique naturae accommodati, et ſaluti [l]) ſunt, modo nec copioſius [m]) ſanguis effluat, et tempore iuſto, modo locoque appoſito. *Nimia* enim vnaque *ſubita egeſtio* inducit debilitatem perinſignem, ſcintillas ante oculos obuerſantes, colorum varietatem, vertiginem, animi deliquia, conuulſiones, pauores et ſomnum interciſum; *nimia* vero *et lenta*, palpitationem, reſpiratum difficilem, torporem, hebetudinem, appetitum deminutum, aluum tardam vel fuſam, tuſſim, tabem cet. Potiora vero emiſſaria, vnde ſanguis erumpere ſolet, *nares, vterus, anus* et *veſica* ſunt: praecipua vero ſigna, quae cuique ſanguinis profluuio propria ſunt, fulgura ante oculos obuerſantia, oculi hebetes, rubri, lacrumantes, interdum et malarum nariumque rubor [n]), antegreſſa

k) De Praenot. ex pulſ. c. 3. p. 827. IV.
l) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 7. p. 679. *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536. *Proſper* VI. 13. p. 407.
m) *Zimmerm.* Erfahr. T. II. c. 8. p. 425.
n) *Galen.* Criſ. III. 10. p. 555.

tegreſſa viſcerum ſub praecordiis poſitorum inflammatio, morbi natura, qua ſic reſolui tantum non ſemper ſolet, rigor et inquies incredibilis. Sed praeſtat ſingulatim notas iſtas percenſere.

v. IO. ERN. HEBENSTREIT Palaeologiae Therap. Spec. XVII. de haemorrhagiis criticis, Lipſ. 1749.

BVCHNER reſp. LVTGERT Diſſ. de notis haemorrhagias praeſagientibus, Hal. 1755.

§. 708.

Futuram *ſanguinis e naribus profuſionem* denunciant caelum feruentius et anni tempus, aetas iuuenilis [o]), humorum redundantia et impetus, morbus tali via iudicari ſolitus [p]), et reliqua emiſſaria quaſi cluſa, v. c. aluus et vrina parca, cutis ſicca, reſpiratio moleſta, breuis et profunda, praecordia intenta [q]), neque dolentia, dolor capitis et colli [r]) multus, aurium tinnitus vel ſurditas [s]), oculi hebetiores, nitidi, turgidi, illacrumantes [t]), praerubri et dolentes, cum morbus ſalutaris iam conſtitit, et cum ſignis bonis incidit, vigiliae, deliria, nonnunquam et ventris palpitatio [u]), cet. At proprie prae ceteris eam portendunt peruigilia, et anxietates repentinae [v]), interdum et pauores ſubiti, quaſi e ſpectris rubris viſis, iisque terribilibus, dolor capitis

o) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
p) *Proſp.* VII. 2. p. 444 ſequ.
q) *Hipp.* Praed. I. 21. p. 484. Coac. §. 1. p. 533.
r) Coac. §. 2. p. 538. Epid. I. Sect. 2. p. 662.
s) Coac. §. 1. p. 531. et §. 2. p. 536. Epid. III. S. 3. Aeg. 9. p. 736. *Aëtius* Tetr. II. Serm. I. c. 48. p. 199.
t) Epid. I. S. 3. Aeg. 6. p. 678.
u) *Taurell.* Meth. Praed. l. c. p. 418.
v) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 530.

tis acerbus [w]), ſine quo raro eſſe ſolet, isque ſecundum PROSPERVM [x]) calidus et diſtendens, in ſincipite pulſans, certe cum quodam grauitatis ſenſu [y]) vrgens, ſtupor, ceruix tenſa et dolens [z]), aures vero rubentes [a]), oris, cum maxime genarum, rubor ingens, oculorum caligatio [b]), ſimulacra rerum oculis obiectarum rubra et ſplendida [c]), faucium inflatio, angina falſa [d]) et deglutitio difficilis, repentinus anhelitus [e]), vaſorum, quae tempora et collum attingunt, diſtentio [f]), pulſus vehemens, magnus, vndoſus [g]), vel ſubito in tumorem elatus, non in paruum degenerans, ſed increſcens, dicrotus [h]), praecordia citra dolorem [i]) intenta et dura, murmura ventris, aluus adſtricta, vrina tenuis et aquoſa, extremorum algor et rigor, et omnium maxime grauitas quaedam narium [k]), pruritus incredibilis indeque oriunda ſcalpendi [l]) cupiditas, ſtillae ſanguinis ſubinde ſub die indice profluentes. Hac via febris ardens, interdum phrenitis et acutus laterum

w) Coac. §. 2. p. 536. Epid. III. Sect. 3. Aeg. 7. p. 734. et Aeg. 12. p. 739.
x) L. cit. c. 13. p. 411.
y) *Celſ.* de Medic. II. 7. p. 58.
z) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 536.
a) *Holler.* ap. *Taurell.* P. III. p. 423.
b) Coac. §. 1. p. 533.
c) *Galen.* Praeſ. ex pulſ. ad Poſtum. c. 13.
d) *Iuncker* l. cit.
e) Sic *Proſper* l. c. p. 413.
f) *Glaſſ.* de febr. p. 27.
g) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 555.
h) *Nibeti* de Pulſ. P. I. S. 1. c. 1. §. 1 ſequ. *Swieten* Comm. Aph. 741. p. 463. T. II.
i) *Klein* Int. Clin. p. 121.
k) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 538.
l) *Proſper* l. c. p. 415. *Iuncker* Semiol. c. 5. p. 488.

rum dolor, itemque inflammationes hepatis, lienis ceterorumque infimi ventris viſcerum, minime pulmonum inflammatio et lethargus, iudicantur, cum maxime ſi aeger aetate florente eſt, et aeſtate in morbum incidit.

§. 709.

Decretoria ſanguinis e naribus eruptio m) cenſetur, ſi poſt coctionis n) ſigna oritur, alias non tuta eſt: ſi larga eſt, et aliquamdiu o) continuat, neque tamen exinanitio vel debilitatio aegri, ſed alleuatio doloris, febris, delirii, ſequitur; ſi diebus decretoriis p) accedit, per indices q) iam praeſignificata; ſi morbi formae, aegri anteactae vitae ac victui r), et loco affecto conſentit; ſi omnem morbum tollit aut ſaltem minuit s). Hinc in inflammationibus, quo demum cunque tempore incidat, ſemper ſalutaris eſt, itemque in febre quotidiana remittente t), vbi intra primos ſeptem dies orta, die ſeptimo iudicationem futuram praenunciat; nec non in ipſa apoplexia, etſi tunc ſanguinem per anum effluere melius eſt.

§. 710.

At *ſymptomatica et mala* eſt, ſi nulla coctionis ſigna anteceſſerunt, ſed potius periculoſiſſima ſymptomata u), eaque ante, poſt vel vna incidunt; ſi abhor-

m) *Proſper* VIII. 4. p. 449. et *Glaſſ.* de Febrib. Comm. IV. p. 21 ſequ.
n) *Proſper* VI. 2. p. 439 ſequ.
o) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 662.
p) Coac. §. 1. p. 534.
q) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 7. p. 679.
r) Epid. I. Sect. 2. p. 662.
s) Aph. IV. 60. Epid. III. S. 3. Aeg. 12. p. 738.
t) *Vogel* Praenot. Gotting. Penſ. I. n. 10. p. 5.
u) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 536.

abhorret a natura aegri et morbi, v. c. in febre putrida, vbi ſummam humorum reſolutionem et res aegri ad incitas redactas ſignificat, in febre exanthematica cum magna virium defectione, in febre ardente, ſi die quarto [v]) erumpit; at die quinto minus terrere debet; ſi aegrum non iuuat, ſed in deterius [w]) coniicit, et debilitatem, pulſum varium, ſudorem frigidum, conuulſiones [x]) inducit; ſi ſanguinis effluentis copia aut nimia, aut perexigua [y]) eſt, vel lente expellitur; et cum ſudore [z]) parco atque refrigeratione; ſi ſanguis praetenuis vel praecraſſus, iuſto fluidior, feculentus, cinereus, liuidusue [a]) eſt; tandem ſi ſanguis ſubſtillus [b]) die ipſo decretorio effluit. Tunc morbus aut longus erit, aut exitialis, quoniam haec iudicium imperfectum et irritum ob morbi ſanguinisque malignitatem, vel ob aegri debilitatem [c]) denunciant, v. c. in puerperis.

§. 711.

Ex his perſpicuum eſt, *ſtillas ſanguinis* ſemper malas eſſe, in mitiori morbo et quartana ipſa [d]) ſemper ſignificare diuturnitatem, interdum, ſi ſimul exiguae ſunt, fatum inſtans; in acuto abſolutam malignitatem [e]), ſi quarto die incidant, et periculum haud

v) Coac. §. 1. p. 532. Epid. II. Sect. 3. p. 700.
w) Epid. II. Sect. 1. p. 688.
x) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 2. p. 108.
y) *Hipp.* Aph. VII. 9. p. 103. Praed. I. 19. p. 483.
z) Praed. I. 18. p. 482. Coac. §. 3. p. 553.
a) *Klein* Int. Clin. p. 122.
b) *Hipp.* Vict. Acut. §. 49. p. 308. II.
c) *Proſper* l. c. p. 450. *Klein* l. c. p. 219.
d) *Hipp.* Aph. VIII. 3. p. 110.
e) *Gal.* in Praed. I. Com. I. 2. p. 620. IV.

haud leue, ſi die decretorio, v. c. vndecimo *f*), viciſſimque cum ſignis peſſimis, torpore, horrore vago, ſingultu, vigiliis, comate, delirio et conuulſionibus, ſudore exiguo, vomitu, deiectione cet. repetunt, itemque ipſam mortem *g*) ineuitabilem; ſaepe ſolas denunciare febres malignas *h*), in continuis vero vermes *i*) latentes.

Schol. Sic facillime de reliquis ſanguinis e naribus erumpentis formis iudicari poterit. Nam ſi acutis febribus aeſtate vel autumno derepente ſuperuenit, ſcire licet, magnam continuamque inflammationem adeſſe, et poſtero die tenues vrinas futuras; in robuſtis conuulſionem et delirium portendere, cum maxime ſi die impari incidat. v. HIPP. L. Vict. Acut. §. 51. p. 310. T. II. ed. *Lind.* Similiter veteres ſigna quaedam a loco, vnde ſanguis e naribus egrediebatur, repetenda, indeque locum affectum ipſum definiendum cenſuerunt, ſic, vt, ſi dextra praecordia morbus occupet, dextra nare ſanguis effluere debeat, et ſic etiam ſiniſtra, ſi ibidem malum haereat. v. GALEN. Criſ. III. 10. p. 556.

§. 712.

f) Praed. I. 20. p. 484. Coac. §. 3. p. 553. Epid. I. S. 3. Aeg. 1. p. 673. et Epid. III. S. 3. Aeg. 1. p. 729 ſequ. *Gal.* Com. III. ad Praed. I. 48. p. 714.

g) Praed. I. 9. p. 477. Coac. §. 1. p. 526. *Klein* l. c. p. 123.

h) *Galen.* in III. Epid. Com. III. 35.

i) *Baglin.* Prax. I. p. 60.

§. 712.

Iudicia per ſanguinis ſputa, quae communi nomine *haemoptyſin* comprehendunt, aut perrara ſunt, aut nulla, certe non decretoria et ſalutaria, ſed ſemper ſymptomatica, vt bene naturaeque perappoſite monuit Ill. ZIMMERMANNVS *k*). De *vomitu cruento* fere idem ſentiendum eſt.

§. 713.

Morbi acuti etiam *per vterum* ſ. *menſes* in mulieribus aegris iudicantur, etſi apud nos et ſub caelo temperato rarius, in Graecia et ſub feruentiori caelo frequentius: Negligendum tamen nullo modo videtur. Debet ergo, praeeunte conſiliis PROSPERO *l*), medicus ex mulieribus ſciſcitari, menſes ante morbum rite fluxerint, nec ne, et quo tempore, quibus ſymptomatis tunc temporis laborare ſolitae fuerint; porro conſiderare aetatem, victum, temperiem, naturam morbi, et ſigna ea, quae ſanguinem erupturum denunciant

§. 714.

Collocantur vero in hiſce ſignis laſſitudo corporis vniuerſi, grauitas capitis *m*) et lumborum ingens, dolor et tenſio colli *n*), in nonnullis etiam abdominis, inteſtinorum, inguinum, vteri et crurum, quae ex parte intumeſcunt; tuſſicula, oris ventriculi morſus, aeſtus et ardoris ſenſus circa ſpinam *o*), menſes ſuppreſſi et iam more ſolito inſtantes, ſtatus morbi et tempus, quo decerni debet, in hanc purgationem quaſi incidens, neque alia egeſtio praeſens, refrigera-

k) Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 426.
l) L. cit. c. 14. p. 416.
m) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 577.
n) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 556.
o) Coac. §. 2. p. 536.

frigeratio quaedam extremorum ſub die decretorio, maxime ſeptimo, horror leuis et moderatus, rigor p), vrina pauca, nec coƈta, aluus quodammodo adſtriƈta q) rel. Sub his indiciis feminas, febre acutiſſima laborantes, optime per menſes iudicatas vidimus. Contra *ſymptomaticus atque peſſimus* iſte fluor eſt, ſi poſt eum torpor, hebetudo vel nimia teneritudo ſenſuum, tremor, vertigo, conuulſio, meticuloſus et puſillus animus, iracundia, ſomnus ſpeƈtris et phaſmatis interruptus, palpitatio, difficilis et breuis ſpiratio, animi defeƈtio crebra, appetitio et aluus inordinata cet. oriuntur.

§. 715.

Haemorrhoides decretoriae tantum non ſemper iisdem ſignis cognoſcuntur, eamque ob cauſſam ſexus, temperies, aetas, anteaƈtae vitae ratio, dies decretorius, iudicium per ceteras vias nullum, morbi forma et cauſſa rel. negligi non debent. Aegri vero, dum haemorrhoides imminent, conqueruntur grauitatem et laſſitudinem, lumborum et imi ventris dolorem r), qui ad os ſacrum vſque extenditur, ſenſum aliquem ingratum quaſi trahentis, et conſiſtentem, grauitatem, horrorem extremorum mediocrem, oris ventriculi dolorem s), inteſtini reƈti ardorem et pruritum, copiam ſanguinis in venas ani confluentem et ſerum tenue deſtillans. Quare haemorrhoides, ſi atrabilariis, deliris t) et phreneticis u) ſuperueniunt, bonae

p) Ib. §. 3. p. 577.
q) *Iuncker* Semiol. l. c. p. 489. ſequ.
r) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 550. *Aët.* Tetr. II. Serm. I. 49. p. 200. Coll. *Steph.*
s) Praed. I. 18. p. 482. *Proſper* VI. 14. p. 416. ſequ.
t) Aph. VI. 21. p. 99. L. Indic. §. 10. p. 445. I.
u) Ib. Aph. 11. p. cit.

bonae ſunt, et cum maxime in iis, quibus certo tempore fluere ſolebant, quippe qui, ſi illae deficiunt, grauiſſima mala et ipſam mortem epilepticam v) timere debent. At ſi *modice fluunt*, ſymptomaticae ſunt et decretoriae non decernentes.

§. 716.

Mictus cruentus w), etſi ſaepius a calculo renum et vermiculis, interdum ab meatu vrinae, violentia externa, poſt membrorum chirurgiam, oritur, et ex ea cauſſa, vnde dimanauit, aeſtimari iudicarique debet; tamen haud raro *decretorius* x) eſt, ſi menſes vel haemorrhoides ſuppreſſae et ad renes delatae hac via expelluntur. Sed multifarie *ſymptomaticus* eſt, et peſſimi augurii. Hinc ſi febri malignae et putridae accedit, foedam humorum reſolutionem, liquationem, putredinem et haud leue vitae diſcrimen denunciat, excepta ſola nephritide.

B) SVDOR.

§. 717.

Doctrinam de *ſudore* ſuperius multis explicauimus, ideoque iam non niſi *decretorium* percenſere placet. Iudicantur vero frequentiſſime morbi acuti per ſudores, cum maxime in iis, qui ſub feruentiori caelo viuunt, et temperie alacri, itemque procliues in ſudorem ſunt. Quare ſi, praegreſſis coctionis ſignis, iudicium imminet, et ſuis notis denunciatur, v. c. die decretorio x), III. V. VI. VIIII. XI. XIIII. XVII. XXI. XXVII. XXXI. XXXIIII. Si nulla egeſtio y) alia incidit, ſi cutis ſenſim incaleſcere, prurire,

v) Coac. §. 3. p. 553.
w) *Vogel* de Cogn. et Cur. Morb. Aph. 292. p. 226. ſeq.
x) *Hipp.* Aph. IV. 36. p. 85. Iudic. §. 1. p. 438.
y) Epid. VI. Sect. I. p. 797. ſequ.

prurire, nonnunquam rubere, molleſcere, atque madere [z]) incipit, ſi aeger ſub acceſſione delirat, [a]), faciem turgidam, floridam et madidam, pectoris anguſtiam ac ſpirationem difficilem, laſſitudinem corporis vniuerſi; rigorem [b]) die ſexto mediocrem, et horrorem a quauis aurae adſpiratione, ſuaue delirium [c]), et prae ceteris pulſum magnum, vndoſum [d]) et mollem, interdum durum [e]), altum et celerem [f]), inciduum SOLANI [g]), poſt iudicationem vero haud raro deficientem et paruum [h]) habet, ſcire licet, morbum breui finitum per ſudorem iri. Qui ſi vbertim e corpore toto [i]) erumpit, illudque integrum dimittit, pulſus [k]) vero a celeri, vehementi et duro in mollem naturalem ſedatioremque transformatur, vere decretorius eſt.

§. 718.

At *malus et ſymptomaticus* ſudor [l]) eſt, ſi aſſiduus, nimis vel exiguus, vel copioſus, cum virium defectione, torpore, ſopore, conuulſione eſt,

z) Aph. VI. 71. *Iuncker* Sem. l. c. p. 491.
a) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 554.
b) *Aët.* Tetr. II. Serm. I. 50. p. 200. *Proſper* l. c. p. 422. *Taurell.* Meth. Praed. P. IV. p. 427.
c) *Pezold* Progn. Febr. c. 1. §. 25. p. 19.
d) *Hipp.* Epid. I. §. 3. Aeg. 6. et 14. p. 678. ſequ. *Gal.* Criſ. l. c. p. 555. *Aët.* Tetr. II. Serm. I. 27. p. 195. Coll. *Steph.*
e) *Kloekhof* Diſſ. de Criſ. p. 201.
f) *Aët.* Ib. c. 50. p. 200.
g) *Nihell.* de pulſ. P. I. c. 3. §. 6.
h) *Kloekh.* l. c. p. 220.
i) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 534. *Gal.* in Progn. Com. I. 29. p. 750. IV.
k) *Hoffmann.* Med. Rat. T. III. Sect. 1. c. 14. §. 33. p. 323.
l) *Proſp.* l. c. p. 460.

ſi intolerandum foetet, frigidus m) fertur, et membra ſingula, cum maxime caput et collum, occupat; ſi rigor et ſudor leuis alternant; ſi ſubito ad interiora n) reuertitur, denique ſi nec die decretorio, ſed intercalari et ineunte morbo, cum vrina cocta, nec febre remittente o) incidit. Talis enim ſub auctore HIPPOCRATE longum, difficilem et periculoſum morbum, itemque reuertentem, ſignificat. Aeque *malus* eſt, etiamſi die decretorio appareat, ſi modum excedit, guttatim per frontem defluit, et frigidus p) eſt. Hinc *ſudor anglicus*, morbus ille acutiſſimus, malignus, populariter graſſans, contagioſus, et ob ſtrages infamis, ſub quo ſudor manauit vehementiſſimus, teterrimus, olidiſſimus, non potuit non aegros miſeros intra breuiſſimum tempus occidere.

§. 719.

In eorum morborum genere, quos ſudor decernit, enitescunt febres omnes, praeſertim ardentes q), febres, quae cum rigore incidunt, intermittentes, quotidiana, tertiana, quartana, phrenitis r), inflammationes malae circa praecordia s), parotides, lethargus et omnes fere capitis affectus: Praeter haec etiam cum reliquis egeſtionibus decretoriis iungitur et copulatur.

C)

m) *Gal.* in Progn. Com. I. 29. p. 750.

n) Id. in Praed. I. Com. I. 1. p. 620. IV.

o) *Hipp.* Aph. IV. 36. p. 85. et 56. p. 87.

p) Aph. VIII. 4. p. 110.

q) *Aët.* Tetr. II. Serm. I. 50. p. 200.

r) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.

s) Ibid.

C) SALIVAE FLVXIO ET SPVTA.

§. 720.

Saliuae fluorem decretorium, quo paſſim variolae confluentiſſimae et purpura alba reſolui ſolent, exſpectare licet, ſi neque ſudor, neque aluus, neque vrina multa incidunt, ſi tumor faciei et dolor nuchae et ceruicis vniuerſae, inſuauis ad parotides congeſtio, et vehemens arteriarum, quae ad tempora pertingunt, aſſultus, deglutitio praepedita et vera faucium inflammatio, certe magnus oris et maxillarum rubor, manuum inflatio, dolor oſſifragus cet. poſt coctionis ſigna, iuſto morbi tempore atque die decretorio, oriuntur.

§. 721.

Iudicari ergo ſaliuae fluxione ſolent vehemens et acerbus capitis dolor [t]), vertigo [u]), apoplexia [v]), angina et abſceſſus faucium [w]), variae febres, puta, tertiana duplicata [x]), quartana [y]), catharralis [z]), continua epidemica [a]), ardens [b]), maligna [c]), hungarica

t) *Hipp.* Aph. VI. 10. p. 98. ſequ. *Nuck.* Sialogr. c. 2. p. 33. ſequ.
u) *Blegny* Zod. Med. Ann. I. M. Oct. Obſ. 7.
v) *Fick* Diſſ. de variol. ſaliuat. p. 17.
w) *Hipp.* L. Dentit. §. 3. p. 591. *Hebenſtreit* Diſſ. de ſput. crit. ſ. Palaeol. Spec. 16. p. 4. *Wedel* Diſſ. de angina, p. 29.
x) *Fick* l. cit.
y) *Bohn* Offic. Med. Duplic. P. I. c. 15.
z) *Vater* Semiot. Sect. II. theſ. I.
a) *Sydenham* de Variol. Sect. III. c. 2. p. 83. ſequ. T. I. et *Weſtphal* de ptyal. Period. in Act. N. C. Dec. 2. An. 9. Obſ. 102.
b) *Rolfinck* Ord. Med. Spec. III. 41.
c) *Morton.* Pyretol. p. 26.

garica *d*), putrida *e*), variolae confluentes *f*) cet. Non defuere quaedam ſaliuae fluoris genera, quae etſi decretoria videbantur, peſſimi euentus eſſent, ideoque prudentis medici eſt prouidere, ne quid detrimenti et ars et aeger capiat.

v. WEBER Diſſ. de ſignis ex ſputo, Götting. 1774. c. 3. p. 30. ſequ.

§. 722.

Sputa decretoria oriri debent poſt coctionis notas. *Bona* ergo putantur, quae alba, laeuia, aequalia, modice craſſa, nec viſcida, nec male colorata, ſed ſubflaua ſunt; quae ex facili et cum leuamine excernuntur *g*), quae ſub morbo decreſcente, die decretorio, accedunt, et rite continuant. Contra *mala et ſymptomatica* ſunt nimis glutinoſa, tenacia, cum raucitate iuncta, fauces et reſpirationis inſtrumenta obſidentia, rotundata, ineunte morbo valde cruentata vel aeruginoſa, male colorata, candida, ſincere alba vel flaua, ex viridi pallida, bilioſa, caenoſa, amurcoſa, fuſca, nigra, liuida vltra diem ſeptimum, purulenta *h*), ſpumantia, cruda *i*), nimis copioſa vel exigua, nulla, male olentia; poroſa inſtar ſpongiae aut fruſtulorum ſplenis cocti *k*), neque dolorem ſedantia, neque iuuantia, neque ſuppurationem et ſuffocationem *l*) praeuertentia.

§. 723.

d) *Waldſchmidt* Inſtit. Med. III. 7.
e) *Williſ.* L. de Febr. c. 10. p. 84.
f) *Sydenh.* l. c. *Hensler* Morb. Variol. p. 71. *Roſenſtein* Kinderkr. p. 158.
g) *Hipp.* Aph. II. 47. p. 86. Praed. II. 12. p. 497.
h) Aph. IV. 47. p. 86. *Klein* Int. Clin. p. 240. ſequ.
i) *Gal.* Criſ. I. 5. p. 487.
k) *Huxham* Diſſ. de Pleurit. c. 2. p. 187. II.
l) *Proſper* VII. 17. p. 531. ſequ. *Weber* Diſſ. cit. c. 4. p. 34. ſequ.

§. 723.

Praecipua morborum genera, quae ſputis iudicantur, ſunt angina, acutus laterum dolor, in quo ſputa, quae, morbo ineunte, incidunt, breuem eum futurum m), quae ſerius, longum denunciant; pulmonum inflammatio et eryſipelas n), inflammatio hepatis o), febris diaria p), catharralis q), ardens r), bilioſa s), putrida cet. Sed haud raro illa ſputa male cedunt, et aegrum interficiunt, id quod ex reliquis notis intelligi debet.

Schol. Signa, quae medicorum plurimi adhibent ad id genus ſputa decretoria praeſagienda, ſunt dolor pungens in obtuſum tranſiturus, febris remiſſio et pulſus mollis, horror vagus, ponderis grauitatisque in pectore ſenſus, genarum rubor, et id genus alia. Sed haec minus tuta ſunt, et potius inflammationem in ſuppurationem, abſceſſum et vomicas pernicioſas transformari docent.

D) VRINA.

§. 724.

Per vrinam rarius t) morbi iudicantur, et ſi vrina decernit, tantum non ſemper cum alia quadam egeſti-

m) *Hipp.* Aph. I. 12. p. 70.
n) *Weber* l. c. Sect. II. c. 2. §. 5. p. 49.
o) *Duret.* ad Aph. *Hipp.* cit. et *Hipp.* Coac. §. 3. p. 566. *Vogel* Aph. 220. p. 173.
p) *Moegling* Tentam. Semiot. p. 86.
q) *Wucherer* l. c. p. 71.
r) Ibid. p. 70.
s) *Warren* ap. *Pringle* Feldkrankh. p. 166.
t) *Hipp.* Epid. I. Sect. 21. p. 661. et Epid III. Sect. 2. Aeg. 5. p. 716. ſequ.

egeſtione copulatur, v. c. deiectionibus, vt SOLANVS anteſtatur. Obſeruatur tamen vrina decretoria in febribus acutis, inſania, affectionibus, quae convexam hepatis partem et inſtrumenta vrinae [u]) occupant, deiectione alui et dyſenteria. Notae vero, vnde opinamur, hac via morbum finitum iri, ſumuntur ex morbi natura, v. c. in febre inflammatoria, pleuritide vera et peripneumonia, interdum et purpura alba; ab aetate et temperie aegri, praeſertim ſi corporis habitu adſtricto eſt; ab eorum ſignorum, quibus ceteri egeſtus denunciantur, abſentia; a pulſu celeri, interdum frequenti, interdum forti, cum maxime molli ac intermittente [v]), reſpiratione libera, aeſtu remiſſiori, at increſcente ſiti et aritudine oris atque cutis vniuerſae, dolore praecordiorum et lumborum perinſigni, regionis hypogaſtricae tenſione ac grauitate circa diem decretorium, itemque quadam ad eum locum, in quo veſica inſidet, inflatione, vrina ſub die indice, praeſertim quarto, bene colorata, mediocriter craſſa et coqui coepta, in qua nubecula innatat, atque alba, laeuia, aequalia ſubſidunt [w]), tandem crebra mingendi cupiditate, ſub quo ardor et pruritus [x]) ingens extremum vrinae meatum affligit.

§. 725.

Ex his perſpicuum eſt, cur HIPPOCRATES [y]) hanc legem ſanxerit, iudicationem acuti morbi ſeptimo die futuram antecedere debere, ceteris ſignis con-

u) *Galen.* Criſ. III. 3. p. 536.
v) *Nibell.* de Pulſ. P. I. c. 2. §. 6.
w) *Hipp.* L. Iudic. §. 1. p. 438. *Gal.* Criſ. I. 16. p. 506.
x) *Proſp.* l. cit. c. 16. p. 420. ſequ. *Iuncker* l. c. p. 492. ſequ.
y) Aph. IV. 71. p. 89.

conſentientibus, die quarto *nubeculam ſubrubram*; cur ſine his *vrina cruda* ſit, i. e. in qua nec nubecula innatat, nec ſuſpenditur aliquid, nec ſubſidit, quae craſſa non eſt, ſed pallida, alba, aquoſa [z]), eaque reuerſionem morbi die decretorio [a]) praeſagiat; cur *vrina alba et craſſa* cum propria quartanae grauioris ſit, tum haud raro abſceſſus auertat [b]); denique cur *vrina* ante tempus *maturata et cocta* [c]) ſemper terrere debeat. Etenim vrina, quae ſalubriter coquitur, laeuia, aequalia, alba et copioſa ſubſidentia habere debet, quae poſt perfectam iudicationem ceſſant vel minuuntur [d]). Id tamen certum eſt, iſta quo citius appareant, et quo diutius conſiſtant [e]), eo perfectius futurum morbi iudicium.

E) VOMITVS.

§. 726.

Hoc iudicationis genus rarum non eſt; ſaepe aeſtate ac aetate media incidit, et, fere febris tertiana vomitu bilioſo, quotidiana pituitoſo [f]) tollitur. Negari tamen non poteſt, perraro ſolo vomitu [g]) aegrum a morbo liberatum eſſe. Praenunciant vero *vomitum* talem *decretorium* cum morbi natura, antegreſſa coctionis indicia et dies decretorius [h]), tum prae

z) Sic *Galen.* L. de Tot. Morb. Temp. c. 5. p. 361. T. III.
a) L. Indic. §. 10. p. 445. I.
b) Ibid.
c) Coac. §. 5. p. 581.
d) *Gal.* Criſ. I. 12. p. 499.
e) *Haen* Rat. Med. T. I. c. 5. p. 77. ſequ.
f) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
g) Sic bene *Taurell.* Meth. Praedict. P. III. p. 429.
h) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 534.

prae ceteris dolor capitis vehemens et cum vertigine iunctus, grauis, mordax, acer, vel acutus [i]), oculorum caligatio, labii inferioris agitatio vel tremor [k]), frequens ſaliuae tenuis fluor [l]), amaritudo oris, ſingultus, ſpiratio difficilis et anxia, pulſus vehemens [m]), fortis, inaequalis vel intermittens [n]), cum maxime altus et durus [o]), quoniam, auctore GALENO, pulſus altus et vehemens vt egeſtionem quamuis, ſic durus et altus fere vomitum oſtendit. Praeter haec vt plurimum adſunt incredibilis corporis inquies, extremorum frigus [p]), horror, et leuis praecordiorum lumborumque rigor, ſudor copioſus [q]), praeſertim frontis, isque frigidus, vrina cruda et pellucida, aluus adſtricta.

§. 727.

Vnde intelligitur, *vomitus* habendos eſſe *ſymptomaticos*, qui, morbo ineunte, vel paullo poſt citra vlla coctionis teſtimonia aut perobſcura oriuntur; qui modum excedunt, nec iuuant, peſſime olent, parcius materiam vitioſam reiiciunt, ſinceri et parui ſunt, atque in ſocietate ſignorum exitialium [r]) veniunt. Legimus tamen, poſt *vomitum ſeri ſubuiridis* [s]), ſeſquilibras aequantis, acerrimi et acidi, qualis

i) Aph. IV. 17. p. 83. Epid. I. Sect. 2. p. 662.
k) *Gal.* l. cit.
l) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 533. et §. 4. p. 579. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 5. 12, 13. p. 677. ſequ. *Aët.* Tetr. II. Serm. 1. c. 47. p. 199. Coll. *Steph.*
m) *Aëtius* ib.
n) *Nibell* de Pulſ. P. I. c. 2. §. 3. ſequ.
o) *Gal.* Criſ. III. 10. p. 554. ſequ.
p) *Glaſſ.* de Febr. p. 29.
q) *Pezold* Progn. c. 1. §. 22. p. 17.
r) *Proſp.* VII. 9. p. 475.
s) *Zimmermann* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 412. ſeq.

lis fere ſpiritus acidus mineralis eſt, et poſt antegreſſum quouis mane ſudorem copioſum, foetidum, croceum, et vrinam purpuream, ſanatas fuiſſe horrendas podagrae acceſſiones, et corpus integrum dimiſſum.

F) DEIECTIO.

§. 728.

Omnium iudicationum frequentiſſimae eae ſunt, quae *per aluum* ſ. *deiectiones crebras* fiunt, etſi ſub auctore GALENO [t]) earum notae nec propriae ſunt, nec ſatis certae. Auguramur igitur eam, ſi iuſto tempore, praegreſſis coctionis indiciis, egeſtu alio nullo, morbo, qui tum populariter graſſatur, hac via decerni ſolito, ſub autumno, aere humido, aetate prouectiori [u]), accedit, ſi pulſus vehemens, nec magnus, durior, renitens, inaequalis [v]), intermittens [w]), et ſpiratio libera eſt; ſi calor ſiccus et ingens, tranſpiratio et vrina cruda, imminuta vel ſuppreſſa vrgent; humores vero ad interiora delati videntur; ſi horror a laeuiſſima aëris adſpiratione naſcitur; et lumbos dolor grauis, vmbilicum vero palpitans tenet; denique ſi genuum grauitas [x]), a veteribus ſaepe obſeruata, ſuperuenit: At *inſtare deiectiones decretorias* docent praecordiorum et abdominis inflatio ac dolor, punctio, murmura, ructus et flatus crebri [y]), inteſtinorum torſiones, crebra deſidendi cupiditas.

§. 729.

t) Criſ. III. 10. p. 556. et L. Praenot. c. 3. p. 827. IV.
u) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
v) *Aët.* l. c. p. 195.
w) *Nibell* l. c. §. 1. ſequ.
x) *Iuncker* Semiol. l. c. p. 492.
y) *Hipp.* Aph. IV. 20. et 73. p. 84. ſequ. Coac. §. 1. p. 533.

§. 729.

Contra *malae et ſymptomaticae deiectiones* ſunt, quae nimiae z) vel exiguae ſunt, vel paullo poſt, vbi coeperunt, deſinunt, aut febri ardenti, materia adhuc cruda, ſuperueniunt; quae bilioſae, mordaces, vitellinae, valde aquoſae, albae, ſubpallidae, praerubrae, aeruginoſae, liuidae, nigrae, glutinoſae, ſpumantes, pingues, ſincerae, foetidiſſimae, inaequales, variae, vehementer dolentes ſunt; quae cum ciborum faſtidio, torminibus multis, ventre ſubtumido, ſudore algido et virium defectione iunguntur. Hae enim et per ſe malae ſunt, et in morbis acutis a) vehementer terrere debent.

G) CONIVNCTIO PLVRIVM EGESTIONVM.

§. 730.

Fieri tantum non ſemper in acutis morbis ſolet, vt natura materiam morbi coctam per plura emiſſaria ſimul expellat, et aegrum a periculo vindicet, ſiquidem et ea materia ex multis conſtare poteſt, et ſedes mali b) varia eſſe, ideoque et variae egeſtus viae patere. Hinc apud PROSPERVM c) commemorantur *criſes compoſitae* ſ. *multae.* Nam febres acutae, vt olim, ſic etiamnum iudicantur *haemorrhagia et ſudore* d), *vomitu et ſudore* e), *aluo et ſudore*

z) *Swieten* Comm. Aph. 741. p. 487. T. II.
a) *Proſp.* VI. 17. p. 424. ſequ.
b) *Gal.* Criſ. III. 3. p. 536.
c) de Praeſ. Vit. et Mort. VI. 18. p. 426. cf. *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 412. p. 115. ſequ.
d) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 7. p. 679. I.
e) Epid. ib. Aeg. 3. p. 663. et *Gal.* Criſ. III. 10. p. 554.

ſudore copioſo f), *ſputis multis et ſudore* g), *ſudore vehementi* h), vnaque *vrina larga et alba*, in qua multa ad imum deferuntur, *ſudore* et *menſtruis* i), *menſtruis et ſanguinis e naribus fluore* k) cet. Facile eſt, nec arduum, has iudicationes copulatas bene cognoſcere atque definire, modo perſpecta habeas ea ſigna, quae cuique generi quaſi propria obſeruantur.

§. 731.

Fac ergo, decerni febrem acutam debere *ſudore atque ſanguinis effuſione.* Tunc adſint neceſſe eſt vtriusque egeſtionis decretoriae l) indicia, puta, dolor capitis grauis et pulſans, oculi illacrumantes et rubri, maxillae ac nares rubore ſuffuſae, aurium tinnitus et ſurditas, reſpiratio derepente difficilis et interciſa, paullo poſt iterum remittens, pulſus celer, magnus, mollis, vndoſus, cetera emiſſaria quaſi cluſa, itemque rigor vehemens, delirium ſub ipſa acceſſione increſcens, externorum membrorum calor et mador rel. Similis ratio eſt, vbi *menſes et ſudor in mulieribus*, at *haemorrhoides et ſudor in viris*, erupturae ſunt. Tunc enim, notis ceterarum egeſtionum nullis, oriri debent grauitas, et dolor lumborum ingens, laſſitudo corporis vniuerſi; cum maxime extremorum, tenſio ad ſpinam acris, oris ventriculi torſio, aeſtus et ardor. Vbi vero *ſudor et vomitus* iunguntur, et ea ſudoris ſigna, quae ſupra commemoraui, et vna vomitus propria incidunt, nimirum dolor capitis acutus et mordax, oculi caligantes, labii

f) Epid. III. Sect. 2. Aeg. 5. p. 716.
g) Ib. Sect. 3. Aeg. 8. p. 735.
h) Ib. Aeg. 10. p. 737.
i) Ib. Aeg. 11. p. 738.
k) Epid. I. Sect. 2. p. 665. et 667.
l) *Proſp.* l. c. p. 427.

labii inferioris tremor, exſpuitio crebra, nauſea, vomituritio, anxietas praecordiorum, oris ventriculi morſus, ſpiratio impedita, pulſus inaequalis et durus cet. Tandem *ſudor et vrina decretoria*, *ſudor et deiectio*, *ſputa et ſudor* rel. ſuis quaeque indiciis ſatis ſuperque manifeſtantur: quae cum alio loco proſtent, non placet pluribus repetere. Attamen, auctore BAGLIVO m), *ſi eodem tempore in acutis et grauibus morbis duae criſes, ſudor ſcilicet et alui fluxus, ſuperueniant cum pauco ſymptomatum leuamine, fere omnes moriuntur, vel ſi non moriuntur, pernicioſe laborant.*

CAPVT VI.

DE MORBIS RECIDIVIS, VT SIGNIS.

§. 732.

Fieri haud raro ſolet, vt morbi acuti nec tempore iuſto penitus decernantur, nec materia bene cocta ſatisque maturata vno quaſi impetu e corpore expellatur, ſed egeſtiones mancae quaſique defectae oriantur. Quae quo parciores ſunt ob naturae infirmitatem, morbi naturam et vehementiam, humoris vitioſi et irritantis multitudinem, irritabilitatem partium ſingularem, perturbationem decretoriam cet. eo minus ſalutares ac tutae habendae ſunt. Intus enim relinquantur neceſſe eſt peſſimae materiae copiae, quae tandem, redintegratis veluti viribus, reuertantur, aegrum debilitatum vehementer vrgeant, et aut ſubito interimant, aut in longos, eosque haud raro exitiales morbos coniiciant. Hi quoniam ex iis, qui iam praeteriiſſe videbantur, denuo quaſi reſtituuntur ac

m) Prax. I. p. 67. ſequ.

ac recrudeſcunt, *recidiui* appellantur, ideoque praeclare diuinus HIPPOCRATES [n]): *Quae per morbos poſt iudicationem relinquuntur, reuerſiones morborum facere conſueuerunt.*

v. KLOEKHOF Diſſ. de morbis acutis recidiuis, p. 225. Opuſc. ed. SCHLEGEL.

§. 733.

Praeſagire ergo *morbos recidiuos* debemus, ſi febres acutae et vehementes aut nullo modo iudicatae ſunt, aut imperfecte, ſine coctionis [o]) ſignis et egeſtione [p]) vlla, die nec pari, nec impari pro morbi indole; ſi turbatae egeſtiones decretoriae fuerunt, v. c. peruerſa medendi via, aegri amicorumue culpa, victu pleniore [q]), et gulae [r]) intemperantia, aluo adſtricta, intempeſtiua aëris adſpiratione vel inſolatione, vigiliis nimiis, vehementi corporis animique motione, phantaſia [s]), coitu praematuro et immoderato [t]), ſi egeſtus propter aegri debilitatem ſubito quaſi refrenati et ſopiti videntur, vel maturius, ac fas eſt, incidunt, neque omnem morbi fomitem [u]) exſtinguunt; ſi materia morbi omni ſanguine [v]) circumuehitur, et indies

n) Epid. II. Sect. III. p. 1027.
o) *Galen.* in *Hipp.* Progn. Comm. III. 24. p. 805. IV. *Hipp.* Indic. §. 9. p. 444
p) *Sarcone* Geſch. Neap. Krankh. T. II. §. 416. p. 119.
q) *Gal.* Dieb Decret. I. 1. p. 557 ſq. IV.
r) *Hipp.* Epid IV. 29. p. 765
s) *Haen* Rat. Med. T. VIII. c. 2. §. 11. p. 80 ſq.
t) *Caelius Aurel.* Morb. Acut. I. 11. p. 33 ſq. ed. *Ammann.*
u) *Hipp.* L. Humor. §. 3. p. 319. Epid. II. Sect. I. p. 686. et Epid. IV. 29. p. 765.
v) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 6. p. 678. et Aeg. 13. p. 683.

indies augetur [w]), aeger vero ſaepius poſt iudicationem inhorreſcit [x]), ſolida vero nimis rigida ſunt et ad nouos febris motus ciendos vel ipſam inflammationem peraccommodata; ſi, febre defecta et ſudore [y]) accedente, vrina fulua, in qua alba et cruda ſubſidunt, mittitur, vel rubra quae ſimilia tarde ſubſidentia [z]) habet, diu conſiſtit, vel colorata tenuis et poſt iudicium perturbata, vel ſi ſedimentum per aliquot horas craſſum [a]) derepente tenuatur; vel ſi conualeſcentibus [b]) vrina cruda, tenuis, turbida, lactea quaſique oleoſa ſuperuenit.

§. 734.

Praeter haec *morbi recidiui* futuri ſunt, ſi poſt acutas mala quaedam ſymptomata [c]) aeque concitata continuant, v. c. peruigilia, ſomni turbati et viſis ſpectriſue horrendis interrupti, corporis imbecillitas et frigus, membrorum dolor, appetitio nulla [d]) et digeſtio tarda, ſapor amarus et aeruginoſus [e]), nauſea, vomitus, anxietas, pulſus debilis et intermittens, excrementa praua, pallor oris [f]), cet. ſi reliquiae mali in varias corporis glandulas, artuumque iuncturas deponuntur, ibidem haerent, nec ſuppurant, aegri tamen hoc

w) Aph. II. 10. p. 72.
x) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 2. 176. p. 168.
y) *Hipp.* Iudic. §. 9. p. 444. Tunc enim quintus dies ſine periculo decernit.
z) *Gorter* l. c. Tit. 3. 189. p. 192.
a) *Huxham* de Aëre, 1740. p. 237. T. I.
b) Ib. p. 245.
c) *Hipp.* Iudic. §. 9. p. 444.
d) *Bagliu.* Prax. I. p. 74.
e) *Huxham* de Aëre, 1740. p. 246. I. et *Hipp.* Epid. IV. 22. p. 759.
f) *Aët.* Tetr. II. Serm. I. 54. p. 201.

hoc decubitu quodammodo releuati g) videntur; et nihiloſecius tumores iſti atque dolores vel poſt iudicium h) ſubſiſtunt ac vrgent; ſi ſubito intus dilabuntur i), neque vlla alia egeſtio per aluum, vrinam k), ſputa l) rel. ſuperuenit; ſi quaedam mali cauſſa remota m) ſemper ſupereſt, v. c. cruditas, conuulſio, aut viribus vitae non ſatis ſubigi poteſt, v. c. lues venerea, febris quartana autumnalis, epidemica, endemia, putrida; ſi icterici n) integre iudicati non ſunt; ſi in febribus intermittentibus ceteriſque continuis o) et poſt primae viae impurae remanſerunt; ſi in inflammatoriis p) fibrarum rigiditas, teneritudo vel irritabilitas diu continuant; (nouum enim malum, idque periculoſiſſimum, eodem loco recrudeſcit) ſi poſt acutum dolorem laterum q) tuſſicula leuis et calor vagus ſubinde repetens, citra vllam ſuppurationem, oritur, vel ſi poſt apoplexiam r) aeger citra rationem lacrumatur et moeret; denique ſi in conualeſcentibus s) pulſus inordinatus et acceſſiones, cum delirio

 et

g) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 657.
h) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 10. p. 680. et Aeg. 13. p. 683. et Epid. III. Sect. 3. Aeg. 7. p. 734.
i) L. Humor. §. 3. p. 319. Iudicat. l. cit. Epid. II. l. cit. Ep. VI. Sect 4. p. 807.
k) Praed. II. 29. p. 509. Coac. §. 2. p. 539. et §. 5. p. 583. Epid. I. Sect. II. p. 956.
l) Praed. I. 24. p. 486.
m) *Gorter* Prax. Prooem. §. 28. p. 19 ſq.
n) *Hipp.* Epid. IV. 3. p 744.
o) Epid. I. S. 3. Aeg. 14. p. 684. et Ep. III. S. 1. Aeg. 3. p. 713.
p) Epid. III. S. 3. Aeg. 8. p. 708. I. *Gal.* Criſ. I. 18. p. 508 ſequ.
q) *Aretaeus* Acut. Morb. Curat. I. 10. p. 64. Coll. *Steph.* *Bagliu.* Prax. I. 9. §. 1. p. 34.
r) *Bagliu.* l. c. p. 76.
s) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 420. p. 123.

et ſudore exiguo iunctae, melancholia ſimplex et moleſta, vigilia horrenda, dolor vagus et lumbaginem mentiens, ſtato tempore reuertuntur. In his enim caſibus, quos adhuc commemorauimus, recidiuus morbus metuendus eſt.

§. 735.

Quare cum tot atque tam variae cauſſae recidiuorum morborum ſint, vnde, tanquam e fonte perenni, dimanant, conſequens eſt, vt paucis videamus, quae auguria inde capienda ſint. Id tamen certum eſt, hanc rem eſſe perarduam, et praedictiones, ſi certae atque tutae eſſe debeant, laborem longum et inveſtigationem multam deſiderare.

§. 736.

Periculoſum ergo eſt et haud raro *mali euentus*, vbi morbus alter alteri ſuccedit, viribus aegri iam fractis t), idque eo magis, ſi noua viſcerum vitalium inflammatio ex victu naſcitur; ſaepe enim niſi reuertitur, ſaltem phthiſin, hecticam, deiectiones colliquatiuas u) et mortem v) ipſam inducit. Similiter aeger periclitatur, vbi febris continua w) recrudeſcit, egeſtio aut nulla, aut non ſatis appoſita x) vel copioſa acceſſit; etiamſi in conualeſcentibus ſomnus turbatus et tumultuoſus, digeſtio bona, vis vitae aliqua, ſudor et vrina, in qua copioſa ſubſidunt, oriantur; vbi abſceſſus paruuli y) oriuntur, quoniam, grauiſſimis cruditatis ſignis conſiſtentibus, fere iugulant; tandem vbi

t) *Hipp.* L. de Affect. §. 2. p. 163. II.
u) *Sarcone* l. cit.
v) *Hipp.* de Morb. IV. 21. p. 139.
w) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 4. 194. p. 198.
x) *Sarcone* l. c. §. 416. p. 120 ſq.
y) *Hipp.* Iudic. §. 10. p. 445. et *Sarcone* l. c.

vbi pleuritis z) denuo cum dolore et fere recrudeſcit. Quae vt fere mortifera eſt, ita ea, in qua ſola febris redit, periculoſa.

§. 737.

Minus terribile videtur, ſi ob morbi magnitudinem et vehementiam ſymptomatum iudicatio maturata eſt. Si enim vires vitae ſuppetunt aut medici arte excitari ſuſtinerique poſſunt, ſpes eſt, fore, vt ſenſim pedetentimque morbi reliquiae concoquantur et conficiantur, poſt per accommodata corporis emiſſaria expellatur, vel priſtinam naturam innoxiam iterum induant. Contra vbi haec deficiunt, morbi violentiae natura imbecilla ſuccumbat et aeger moriatur a) neceſſe eſt. Nonnunquam a ſolo victu vitium recrudeſcit. Tunc euentus varius et anceps eſt.

§. 738.

Plerumque *tutae morborum reuerſiones* ſunt, vbi humor vitioſus lente reſoluitur, et tandem, procedente tempore, viribus ex parte integris, ſubito reſiduae eius partes expelluntur; vel perexiguae febrium acutarum moleculae ſenſim ſine febre b) per ſudorem, vrinam, aluum, dilabuntur, et egeſtiones naturae mali et materiae reliquae reſpondent; vbi abſceſſibus c) vagis alii ſuccedunt, iique perfecte iudicantur; (alias malum eſt): vbi inflammationes, quarum indicia non adeo tuta et certa eſſe videbantur, cum febre redeunt, et bonum iudicium inducunt; vbi febres continuae, intempeſtiuo pharmaco ſup-

z) *Bagliu.* Prax. I. 9. §. 1. p. 36.
a) *Hipp.* Epid. II. S. 1. p. 686. *Gal.* Dieb. Decret. III. 7. p. 607 ſq.
b) L. Iudic. §. 9. p. 444 ſq.
c) Ibid. et Epid. II. Sect. 3. p. 700 ſq.

ſuppreſſae, denuo accenduntur, et feliciter decernuntur, vt poſt HIPPOCRATEM d) praeclare SYDENHAMVS e).

§. 739.

Neque raro ex veterum et recentiorum medicorum f) obſeruatione accidit, vt febris recidiua, diebus decretoriis incipiens, eorumque numerum quaſi tranſiliens, denuo quaſi in aliquo decretorio finiatur. Sic febris quartana g) cortice ſopita, vbi diu conquieuit, recurrere eo tempore ſolet, quo acceſſio futura fuiſſet.

§. 740.

Praeterea et *longis morbis* ſui recurſus ſunt, iique ex antegreſſis ſignis facile praedicendi. Etenim ei, quem ſyncope h) tenet, periculoſa recidiua eſt, niſi naturalis color, calor, pulſus bonus et reſpiratus facilis redeant.

CAPVT VII.

DE SIGNIS MALIGNITATIS.

§. 741.

Mira eſt eorum ſymptomatum, quae nonnulla morborum genera inſequuntur, frequentia, congeries atque vehementia, vt ſtatim ac aegrum prehendant, is illico de ſanitate vitaque ipſa periclitetur, medicusque timere debeat, ne breui ad plures abire cogatur. Haec *ſigna malignitatis* vulgo appellantur.

Schol.

d) Epid. VII. 2. p. 825.
e) Conſt. Epid. Ann. 1661. c. 4. p. 36. Obſ. Med. Sect. IV. c. 3. p. 114 ſq. T. I. Opp.
f) *Gal.* Dieb. Decret. II. 5. p. 590. IV.
g) *Glaſs* de Febrib. Com. III. p. 15. ed. *Bald.*
h) *Gorter* Prax. L. III. Tit. I. 145. p. 128.

Schol. Noſtram non facimus illam litem, quam nuper medici haud contemnendi de *vera malignitatis notione* mouendam exiſtimarunt, ad morbi naturam pertineat, nec ne, an cumuli loco accedat, eumque deteriorem reddat. Etenim vt ſaepe acriter diſceptantibus vſu euenit, aut ſenſa ſua non ſatis explicuerunt, aut non bene diſtinxerunt a ſe inuicem varios malignitatis gradus variaque adiuncta ſymptomata, vnde pernicies capitalis fit. Quae et ſingula vehementer terrere debent medicum, et longe periculoſiſſima haberi, ſi omnia ſimul et ſubito, magna cum vi vel per inſidias et actis quaſi cuniculis in aegrum inuadunt debilitatum. Hinc malignitas, tanquam ſymptoma, morbis ſuperuenit.

v. BVECHNER reſp. RVDOLPH Diſſ. de gradibus malignitatis in morbis malignis, Hal. 1755. HENR. MATTH. MARCARD Specimen Examinis rigoroſioris malignitatis febrilis, Gott. 1770.

§. 742.

Repeti vero malignitatis ſigna debent a cauſſarum laedentium magnitudine atque effectibus, a temperie et aetate aegri, itemque antegreſſis morbis, a natura eorum morborum, qui tunc temporis populariter graſſantur, et exitioſi fere ſunt; ab actione medicamentorum irrita, a viribus vitae ſubito et, incredibile, quantum ſine vlla manifeſta cauſſa proſtratis, a ſymptomatis numeroſis, inſuetis, horrendis, pernicioſiſſimis, quae aut a prima morbi ingreſſione acciderant, aut ſenſim et clanculum ſubrepſerant, aut mortem internecinam portenderant, denique ab miti

blandoque morbi aſpectu [i]), in quo, me quidem iudice, malignitas potiſſimum cernitur.

v. LOMM. Obſeruat. Med. III. p. 315 ſequ. et paſſim aliis locis.

HAEN Rat. Med. T. III. c. 1. p. 3 ſequ. et T. IV. c. 1. p. 2 ſequ.

LOESECKE Semiot. c. 5. §. 71 ſequ. p. 52.

NEIFELD Rat. Medendi Morbis, P. I. c. 1. Subſect. VI. p. 101.

QVARIN Method. Medend. Febr. c. 5. p. 68 ſequ.

§. 743.

Communia *malignitatis ſigna* commemorantur ſubitus, nec opinatus virium deiectus, pulſus celer, debilis, paruus, inordinatus, inaequalis, interciſus, intermittens, nonnunquam fortis, durus et celer, itemque pulſus mutatio [k]) aut nulla, aut perexigua, dum cetera ſigna peſſima vrgent; ſpiratio celeris, anxia, impedita et dolens, tandem valde debilis et cum tuſſi copulata, animi abiectio et debilitatio, ſui rerumque ad aegrum pertinentium incuria, inquies, tremor, defectiones animae crebrae, ſtupor, ſopor vel vigilia continua, delirium multum, perpetua capitis proiectio, dolor eius atque lumborum vehemens, praeſertim vbi derepente ceſſat, ſurditas vrgens, vocis interceptio, lingua ſqualida, exuſta, aſpera, fiſſa, nigra, fauces aphthis et nigrore deturpatae, ſitis ingens, quam aeger aut non ſentit, aut explere non poteſt, os male olens et ſapor foedus, ſingultus continuus, ciborum faſtidium vel turpis reiectus, ſub quo ſerum corruptum, materia putrida eiectitia, bilis acerrima vnaque peſſima, itemque ſincerus ſanguis exiit, deiectiones

i) *Sarcone* Geſch. Neap. Krankh. T. II. §. 441. p. 126.
k) *Nenter* Fund. Med. p. 174.

ctiones aſſiduae, copioſae, debilitantes, ſeroſae, exuſtae, nigrae, fibroſae, foetentes, nec voluntariae, vrina aquoſa vel cereuiſiam albam *l*) referens, praerubra, nigra, ſpumans, foetens, in qua nihil ſubſidit, crebro et aegro inſcio vel inuito miſſa. Praeter haec malignitas ſubeſſe dicitur, vbi in febribus, quos ſudor decernere debet, aut nullus exoritur, aut praetenuis, continuus, et colliquatiuus, glutinoſus, frigidus, foetidus vereque cadaueroſus, foeda cutis ſiccitas et ſqualor, maculae nigrae, ſanguis tumultuoſe erumpens, vel ſtillae narium cet.

§. 744.

Certam vero *perniciem*, vt nobis videtur, augurari licet, ſi virium impotentia tanta eſt, vt aeger prae debilitate nec pedibus inſiſtere poſſit, nec in lectulo ſedere, ſed ſemper ſupinus cubat genubus contractis, aut ſubinde deorſum fertur et ad pedes deuoluitur; ſi colorem et vultum identidem mutat; ſi ſupercilia, oculi, nares, labra et extrema corporis diſtenduntur ac conuelluntur, et iudicium morbi aut nullum, aut imperfectum, i. e. decretorium non decernens, inſequitur; ſi ſenſus deficiunt, et aeger neque videt, neque audit, oculis conniuentibus, quaſi ſoporatus et attonitus, iacet, familiares non agnoſcit, vocem aut amiſit, aut certe nihil reſpondet, ſi pedes diſiicit, et extra lectulum dependere geſtit, ſi muſcas et flocculos legit; denique ſi facies *Hippocratica* incidit cet. Cum his et morbus malignus, et mors ante portas eſſe debet.

Schol. Febres malignae haud raro perfecte decernunt, auctore VOGEL Praenot. Gotting. P. I. n. 18. p. 16. ſed rariſſime tuto.

l) *Kramer* ap. *Klein* Int. Clin. p. 81.

§. 745.

Haec malignitatis ſigna, quae adhuc commemoranda duximus, nec ſemper et coniunctim incidunt, nec neceſſario requiruntur ad peſtem morborum inducendam. In hoc tamen peſſimarum notarum acervo enitefcere ac ſufficere nobis videntur *ſubita virium defectio, crebra animi deliquia, notabilis animi abiectio et mitior morbus viſus.* Quibus quo plura et peſtilentiora ſymptomata ſuperueniunt, eo maior malignitas, eoque magis deſperanda ſalus aegri eſt.

§. 746.

Neque a malignitatis ſuſpicione immunis morbus eſt, qui leuatur, malis ſymptomatis conſiſtentibus, et contra, dum cetera ſalutem pollicentur [m]), corpus integrum non dimittit, vel praeter rationem [n]) conquieſcit. Familiare ac proprium etiam febrium malignarum epidemicarum [o]) eſt, in intermittentes quotidianas et tertianas deſinere.

CAPVT VIII.

DE SANGVINE RELIQVISQVE HVMORIBVS, VT SIGNIS.

§. 747.

Non ſpernenda et omni exceptione maiora olim ea *ſigna* videbantur, quae *a ſanguine* repetuntur, re profecto longe fallaciſſima. Etenim ea interdum humorum, qui vaſculis corporis continentur, naturam et indolem vere manifeſtant, interdum vero aut nihil exinde certi colligi poterit, aut ſaltem non tantum, quantum multi patrum noſtraque memoria viri haud con-

m) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 526.
n) *Gal.* Criſ. III. 2. p. 534.
o) *Vogel* Praenot. Gott. Penſ. I. n. 22. p. 6.

contemnendi, garruli tonſores, ſacrificuli ſcioli et fe-mellae naſutulae voluerunt. Quare magna pruden-tia et cautione p) opus ad iſta praeſagia, niſi identi-dem labi et falli velis.

v. IESSENIVS A IESSEN de ſanguine, vena ſe-cta, dimiſſo iudicium, Prag. 1618. 4. et c. not. BRVNONIS, Norib. 1667. 12.

CHRIST. VATER Diſſ. Iudicium e ſangui-ne per venaeſectionem miſſo, Viteb. 1693.

IO. GAMBS Diſſ. de ſanguinis e vena ſecta educti iudicio, Argent. 1720.

IAC. PHIL. DAVIER *de* BREVILLE Theſ. an deceptoria in morbis haemorrhoſcopia? Pariſ. 1721.

FRID. HOFFMANN Diſſ. de iudicio ex ſanguine per VSnem emiſſo, Hal. 1727. et Med. Rat. Syſtem. T. III. Sect. I. c. 12. p. 289 ſequ.

CAR. A BERGEN Diſſ. de *αἱματοσκοπίᾳ* ſ. Iudicio medico ſanguinis per VSnem emiſſi, Francof. 1740.

THOM. SCHWENCKE Haematologia ſ. ſanguinis hiſtoria, experimentis paſſim ſuper-ſtructa, Hag. Com. 1743.

ELK. BENED. MAYER Diſſ. de ſignis ex ſanguine per VSnem emiſſo petendis, Hal. 1753.

IVNCKER Semiologia, c. 6. p. 505 ſequ.

MACBRIDE Syſtem. Einleit. in die Medic. Hauptſt. VI. p. 359 ſequ.

ANT. DE HAEN Rat. Med. T. I. c. 6. p. 80 ſequ. T. III. c. 3. p. 129 ſequ. T. IV. c. 6. p. 200 ſequ.

REGA

p) *Schwencke* Haematol. c. 15. p. 144.

REGA Methodus Medendi, P. II. c. 7. p. 275 ſequ.

FORDYCE Elements of Practice, P. I. p. 5. et P. II. p. 29 ſequ. Lond. 1770.

WILLIAM HEWSON Experimental Inquiries, part the firſt being a ſecond Edition of an Inquiry into the proporties of the Blood, with remarks on ſome of its morbid appearences cet. Lond. 1772.

§. 748.

Dicitur ergo ſanguis, cuius explorationem multi maximi habent,

1) *Ratione indolis*, vel *ſanus*, vel *vitioſus*.
2) *Ratione conſiſtentiae*, vel *naturalis* i. e. *fluxilis* atque *ſubtenuis*, vel *praeternaturalis* i. e. *pertenuis et reſolutus*, *craſſus*, *lentus*, *coagulo adſimilis*.
3) *Ratione miſturae*, refertus *lympha copioſa*, *ſero mucoſo* et *pituitoſo*, itemque *bile*.
4) *Ratione coloris* eſt *praeruber* et quaſi minium referens, *ex rubro palleſcens*, *albidus*, et haud raro veluti *lacteus*, *flauus* et *ſubflauus*, *ſubuiridis* vel *caeruleus*, *ſubniger* vel *ater*.
5) *Ratione ſaporis* eſt *ſubdulcis*, *ſubſalſus*, *amarus* cet.
6) *Ratione odoris*, aut *inodorus* eſt, aut vere *foetens*, internae humorum corruptionis index.

§. 749.

Dicitur vero *ſanguis miſſus ſanus*, *purus* et *fluxus*, ſi quaeuis eius partes intime miſcentur, inutiles vero ex facili ſecedunt et egeruntur; ſi, dum mittitur q), libere ac aliquo cum impetu profluit, mediocriter calidus eſt et cohaeret, poſt refrigerat, ſerum, ſuperius innatans, facile dimittit, pulcre rubet et pellucet.

q) *Celſ.* de Med. II. 10. p. 82.

lucet. Contrarius *vitioſus* eſt. Hinc etiam *ſanguis cum impetu, calore ac vapore multo* e vena proſiliens, concitationem et rapidiſſimum humorum curſum, ardorem perinſignem et motum inteſtinum nimium denunciat; at *lente dilabens* et quaſi *ſubſtillus* [r]) timorem, foramen venae ſectae anguſtius, vel obturamentum adipoſum, vel eius mutatum locum, tardum debilemque humorum circuitum, et ſpiſſitudinem multam, irritabilitatem deiectam cet. Ex quo intelligitur, cur *ſanguis ſubruber*, in quo coagulato ſerum tenue vix coloratum et craſſamentum reperitur, nullo malo colore deturpatum, integer et acrimoniae expers [s]) perhibeatur.

§. 750.

Sanguis praetenuis [t]), niſi a medicamentis talis eſt, indicat ſeri abundantiam, cruoris defectum, digeſtionis inſtrumenta infirma, attritum debilem, futurum corporis habitum malum, hydropem, ſanguinis reſolutionem, liquationem atque putredinem. Vtplurimum in febribus continuis, variolis, morbillis [u]) reperitur. Malum eſt, ſanguinem *fluxum*, *laxiorem* nimisque *floridum*, in quo ſerum non innatat [v]); peſſimum, vbi iis, qui angina et pulmonum inflammatione laborant, ſuperuenit; ingens enim humorum in putredinem propenſio ſubeſt. Interdum ſanguis *poſt venae ſectionem non coagulat* [w]). Tunc fere lympha aut degener eſt, aut nulla, et ſi *poſt ſugillationes fluxus*

r) *Fien.* Semiot. P. II. c. 1. §. 4.
s) *Macbride* Einleit. p. 359 ſq.
t) *Hewſon* l. c. p. 10. *Rega* l. c. Aph. 631. p. 287.
u) *Hoffmann* Med. Rat. Sect. I. c. 13. §. 13. p. 296.
v) *Huxham* de Aëre 1742. p. 266. I. et Diff. de Pleurit. c. 2. p. 165. II.
w) *Hewſon* l. c. p. 117.

xus permanet, ſcire licet, lymphae vim coagulantem deeſſe. Hinc *ſanguis reſolutus* [x]), et cuticula ſubuiridi, pellucida quaſique oleoſa tectus, in febre peticulari et putrida peſſimus augur eſt. At vbi *ſanguis miſſus* et *pertenuis* eſt, et quaſi *ſpumans*, et *tarde* vel *parce coagulat* [y]), fibras ſanguinis deficientes vel paucas, calorem, alcalinam et putridam humorum indolem, liquationem, reſolutionem ſignificare, et proprium ſcorbuticorum plurimorum, itemque quarundam febrium malignarum vitium eſſe fertur.

§. 751.

Sanguis mediocriter craſſus beneque coloratus, qualis fere eorum eſt, qui ſanguinis redundantes et robuſti ſunt, fibrarum cruoris et gelatinae copiam, ideoque et concoctionis inſtrumenta integra proſperamque valitudinem declarat: Contra vbi *praecraſſus* eſt, et ſero omni pene orbatus, in quo *craſſamen copioſum* ac *nigricans* ad imum defertur, aquearum particularum, fibrarum denſitatem, crebros et fortes arteriarum ictus aeſtumque magnum.

§. 752.

Saepe etiam accidit, vt *ſanguis in ſerum et craſſamentum* quaſi diffluat; (id quod ſub auctore FRID. HOFFMANNO [z]) familiare morbo herculeo, anxietati praecordiorum et pectoris horrendae, itemque palpitationi cordis eſt, et polypum aut praeſentem, aut futurum indicare debet); ſaepius vero vna ſuperius innatat *cruſta* quaedam *tenax*, quaſique *coriacea*, *albida*, *flaua*, *ſubuiridis*, *variegata*, *inflammatoria*, in feruida veluti *fibroſa*, eaque eo denſior atque

x) *Sarcone* Neap. Krankh. Einleit. p. 37. *Haen* Rat. Med. T. II. c. 6. p. 119.
y) *Schaarſchmidt* Semiot. p. 376.
z) Diſſ. cit. §. 17.

atque ſolidior, quo tardius ſanguis coagulat [a]), et quo facilius ſerum ab lympha ſecedit. Haec ex opinione plurimorum medicorum ſignificare dicitur lymphae abundantiam, tenacitatem et ſpiſſitudinem humorum nimiam, pituitam et procliuitatem in malum corporis habitum; Hinc morbis longis, quos febris aliqua comitatur, itemque iis, quos rheumatiſmus, morbus articularius, vel hydrops [b]) tenet, tantum non ſemper ineſt: In febribus vero acutis et inflammatoriis motum humorum tardum, ſecretionem lymphae impeditam et coagulationem [c]), vaſorum et ipſius telae celluloſae obſtructionem et diſtentionem ab humido reſtagnante, indeque oriundam inflammationem denotare ac prae ceteris verus et continuus inflammationis index eſſe debet. Sed illud indicium alii aiunt, alii negant et pernegant, quoniam *cruſta* illa *inflammatoria* ſaepiſſime a vario ſanguinis iactu, vel ipſo ſtillicidio, a venae lumine magno vel paruo, a loco, in quo vaſculum inciſum reſidet, aëris adſpiratione, quiete vel agitatione cruoris cet. repetenda videtur.

v. SCHWENCKE Haematologia, c. 16. p. 155 ſq.

TRILLER de Pleuritide, Frf. 1740. p. 23 ſq.

SAVVAGES Diſſertation ſur la theorie de l' inflammation, ad calc. ETIENNE HALES Haemaſtatique, p. 201 ſq.

SWIETEN Comment. in BOERH. Aph. 384. p. 651 ſq.

THOM. SIMSON de Re Medica Diſſertationes quatuor, p. 108. ed. SCHLEGEL.

ANT. DE HAEN Rat. Med. l. c. p. 101 ſq. et T. IX. c. 2. §. 8. p. 69 ſq.

ALB.

a) *Hewſon* l. c. p. 90.

b) *Bruno* in Not. ad *Ieſſen* p. 182.

c) Sed hoc, bene monente *Hewſon* l. c. p. 15. non facile in venis fit.

ALB. AB HALLER Element. Phyſiol. T. II. p. 127.

FORDYCE Elem. of the Pract. P. I. p. 5. et P. II. p. 29.

HENR. PALMAT. LEVELING Diſquiſitio Cruſtae inflammatoriae eiusque mire variantium phaenomenorum, Aug. Vind. 1772.

ERN. PLATNER Supplementa in I. Z. PLATNERI Inſtitutiones Chirurgiae, P. I. p. 29 ſq. Lipſ. 1773.

KLINKOSCH reſp. KRAVSSE Diſſ. de natura cruſtae inflammatoriae, in ſanguine miſſo apparentis, Prag. 1773.

§. 753.

Sed noſtri non eſt, hanc litem iudicare. Etenim iſta *cruſta inflammatoria*, quae, auctore HEWSONO [d]), a coagulatione lymphae et ſeceſſu globulorum rubrorum naſcitur, non ab inflammatione, fere omnibus inflammationum formis plus minus, ocius ſerius, ineſſe reperitur, interdum prorſus deeſt, interdum etiam ſanorum corpora infeſtat, primum facile ferenda, at, procedente tempore, moleſta et ſola venaeſectione auferenda; In acutis ſaepe nulla [e]) eſt, ſi breui decernunt, in longis ſaepe cum pulſu celeri incidit. Itemque haud raro cum rheumatiſmo acuto [f]) iungitur, iſta *cruſta*, itemque cum *febre carcerum* [g]), praeſertim *ſubflaua* male ominoſa [h]) et inflammationis

d) l. cit. Sect. 2. p. 34. et 39.

e) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. p. 32 ſq.

f) *Sarcone* Neap. Krankh. T. I. §. 105. p. 95 ſq.

g) *Pringle* Feldkrankh. c. 7. Abſ. 2. p. 343.

h) *Morgagni* de Sed. et Cauſſ. Morb. Epiſt. 21. Art. 31. p. 214 ſq. I.

nis putridae [i]) index. An ergo MACBRIDE [k]) recte *grauidas ſanguine pleuriticorum ſimili* affectas dixit? Annon haec a cruditate quadam, vt PLATNERO [l]) videtur? An a lympha, vt HEWSONO? Superſunt hic multa nondum ſatis definita. Poteſt enim hoc ſanguinis coagulum ab aëris adſpiratione [m]) eſſe; Poteſt Heluetorum *ſanguis praecraſſus* [n]), cruſta tenaci tectus, et ſtriis cruentis interſtinctus, et e vena miſſus illico coagulans, febrem putridam denunciare; contra *ſanguis nimis coagulatus*, omnis *ſeri expers*, et cruſta quaſi cinerea obſitus, morbum imminentem et bona ſuſpecta; Poteſt in morbis pectoris *ſanguis pelui exceptus* [o]), *cuius diameter eſt circiter quatuor pollicum, ſi frigeſcens pellem format vaſis orae contiguam vel ei propinquam, non vltra quartam pollicis partem craſſam, albam, ſubcaeruleam, cultro facile ſciſſilem, praeſagire morbum ſatis mitem, oppreſſionem pectoris tolerabilem ſatis, arte facile moderandam, indicare: Contra pellis eadem craſſa valde aut flaua virideſcens, tenuis et tenaciſſima ſimul, pectoris perquam grauati comes eſſe et morbum praegrauem annunciare* cet. Debet praeterea *pulſus* [p]) *celerrimus maximusque* cruſtam craſſiſſimam praenunciare, vnaque *mollior*, craſſam et teneram, i. e. nullo negotio ſciſſilem; at *durior* ſimul, craſſam, tenaci cuticula tegendam; *pulſus* non adeo *celer*, *magnus et mollis*, tenuiorem et teneriorem pellem; *pulſus*

i) *Sarcone* l. c. T. II. §. 501. p. 193 ſq.
k) Einleit. p. 359.
l) l. cit. p. 34.
m) *Hewſon* l. c. p. 15 ſq.
n) *Sarcone* l. c. T. I. p. 97.
o) Sic *Klockhof* l. c. p. 29.
p) Ib. p. 28.

ſus celerrimus, nec magnus, idemque duriſſimus, maceratae chartae pergamenae aemulam portendere: Debet denique ſub auctore SYDENHAMO *ſanguis e ſecta vena non recto flumine* exſiliens, ſed quaſi lentius per cutim repens, et ad perpendiculum dimanans, nec corio ſueto tectus, peſſimi augurii in acuto laterum dolore eſſe. Idem ſentiendum eſt, ſi ſanguis, decreſcente morbo inflammatorio q), miſſus et concretus, *ſanorum adſimilis* eſt: Iudicium enim intutum portendit. At ſi cum *cruſta tenuiori* r) eſt, lentitiam imminutam et criſin imminentem. Haud raro *craſſamentum ſanguinis rubrum* s) ſub corio ſubeſt, effectus et index vniuerſae lymphae coagulatae, non vero reſolutionis putridae; interdum *reſolutum* in febre carcerum t) peſſimo cum omine incidit.

§. 755.

A *ſanguinis rubore* vario varia indicia ſumuntur. At ille adſpirationi aëris vnice debetur, vt bene demonſtrauit HEWSON u), ideoque rei omnium longe mutabiliſſimae ac fallaciſſimae credimus. Placet tamen potiora adferre in medium. Debet ergo *ſanguis pulcre rubens* v) attritum et miſturam bonam, et vbi cum ceteris ſignis bonis iungitur, valitudinem integram denunciare; *praeruber* et quaſi *ſcarlatinus*, nec facile ſerum atque craſſamen depoſiturus, ſalium abundantiam et acrimonias varias, cum maxime podagricam, ſcabiem et eruptiones cutis pruriginoſas. Hinc familiaris eſſe dicitur nonnullis neruorum diſtentionum generibus, rheumaticis, articulariis, ſcorbuticis,

q) Ib. p. 30.
r) Ib. Diſſ. de Criſ. p. 199.
s) Sic *Hewſon* l. c. p. 94.
t) *Pringle* Feldkr. c. 7. Abſ. 2. p. 343.
u) l. c. p. 7 ſq.
v) *Rega* Meth. Med. P. II. c. 7. Aph. 633. p. 289.

buticis, tabidis, et ſi qui victu lautiori, ſalito, vel aromatico vtuntur. Saepe in inflammationibus *ſanguis* dum mittitur, *laete rubet*, *nec ſanorum abſimilis* eſt: Tunc fere nulla cruſta exſpectanda eſt, etſi tandem ſequitur v. c. in variolis [w]). Contra ſi *profunde rubet* [x]), ſcire licet, eam omnino adfuturam.

§. 756.

Sanguis ſubruber et nigricans ſeri tenuioris defectum, terrearum craſſarumque particularum redundantiam, ſpiſſitudinem haud leuem, et in morbis inflammatoriis [y]) cruſtam craſſiſſimam vel tenaciſſimam, haud raro vtramque, denunciat. Commune vitium hypochondriacorum, melancholicorum et quorundam quartana laborantium eſt, certe *craſſus et niger* [z]) ſemper vitioſus. Vt vero *ſanguis nigricans* [a]) in valitudinariis et morbis longis humorum lentitiam et ſpiſſitatem, ſic in acutis feruorem et aeſtum ſummum, et vbi ſimul *ſerum deeſt*, mali magnitudinem, itemque procliuitatem in putredinem denotat; quam etiam *ſanguis et calore alcaleſcens*, *rubicundior* et *nigrior* ſignificare dicitur. Interdum *tenuis*, *laxus et liuidus* [b]) eſt, eique *ſerum turbidum*, *rubicundum* vel *viride*, et tenella quaedam caerulea membrana innatat, ſub qua mollior et ſubuiridis gelatina latet; ex hoc laxior ſanguinis miſtura et acrimonia multa colligitur.

w) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 2. p. 31 ſq.
x) Ibid. p. 28 ſequ.
y) Ibid.
z) *Celſ.* de Medic. II. 10. p. 82.
a) *Fien* Semiot. P. II. Sect. 4. c. 1. §. 5. *Rega* l. c. Aph. 636. p. 289
b) *Huxham* de Febr. c. 2. p. 165. II.

§. 757.

Sanguis ſubpallidus, itemque *albus* et veluti *lacteus*, in quo *ſerum multum* et *limpidum* innatat, ſucci alibilis et humorum tenacium atque pituitoſorum redundantiam et miſturam prauam, cruoris vero penuriam, ideoque vaſa debilitata, concoctionis inſtrumenta laeſa, ſecretiones et egeſtiones inordinatas, malum corporis habitum indeque oriundos morbos, perraro admiſtum pus, quod ab abſceſſu vel vlcere interno dimanat, interdum lepram praeſentem vel ſcabiem c) futuram indicat. Neque non iis ineſt, quos rheumatiſmus, deſtillatio vel grauedo d) exercent.

§. 758.

Vbi vero *ſanguis miſſus colore croceo*, *viridi* vel quouis alio malo contaminatus eſt, ſcire licet, admiſtam ſanguini bilem obeſſe, ideoque vitium in hepate vel liene reſidere, et in inteſtina viam non patere. At ſi in febribus contagioſis malignis epidemicis e) *ſubuiridis* eſt, male cohaeret, et fruſtillatim quaſi diſcerptus diffluit, malo eſt, cum maxime ſi ſimul foetet. Hinc enim *ſanguis cruſta ſubuiridi et pellucida obſitus*, vbi iis ſuperuenit, qui humorum redundantes in febrem putridam f) inciderunt, ſummae reſolutionis index, contra *plumbeus ac viridis* g), ſcorbuti eſſe creditur.

§. 759.

c) *Schwencke* Haemat. c. 18. p. 178.

d) Ibid. c. 17. p. 172 ſequ.

e) *Iuncker* Semiol. l. c. p. 513.

f) *Fordyce* Vnterſ. der faul. u. Entzündungsfieb. Hauptſt. II. Abſ. 17. p. 85.

g) *Eugalen*. ap. *Klein* Int. Clin. p. 263.

§. 759.

Praeter haec *ſanguis bullas* [h]) excitat, dum ſine impetu mittitur: In quo concitatio humorum, aeſtus et motus vehemens, aër elaſticus et a vinculis ſuis liberatus, et haud exigua tenacitas, ſubeſt. Quare ſi *ſpumans* et cuticula variegata tectus [i]) ad febres continuas accedit, non poſſumus non inflammationem aliquam internam, v. c. pulmonum, laterum, renum, congeſtionem et ardorem fortem, at non adeo periculoſum, augurari. In reliquis pectoris morbis, vbi aliqua fluxionis ſuſpicio ſubeſt, *mucilaginem* et *bullas copioſas* refert, in peticulis [k]) vero praeter bullas, obſcurum liuidumque colorem. Perrarum eſt, ſanguinem miſſum *foetere* [l]): Quod vbi accidit, ſcire licet, peſſimam humorum putredinem intus deliteſcere, quae iam ex facili ſequitur, ſi *poſt coagulationem liuidi* vel *obſcuri coloris* eſt.

§. 760.

Sanguis *ſine ſero* [m]) nullus eſt. Quod ſi deeſt, aut non tantum bibitur, quantum ſatis eſt, aut exercitiis corporis nimis vacamus, aut per ſudores ceteraque emiſſaria humidum tenue quaſi diſſipamus, eamque ob cauſſam ſpiſſitudo nimia exoriri debet, vnde et in febre ardente fere nullum eſt, et colorem coccineum ſpumamque multam repraeſentat. Contra vbi *ſerum pellucidum redundat* [n]), in quo craſſamen tarde aut nunquam ad imum defertur, perſpicuum eſt, adeſſe debere functiones ſolidorum laeſas, cruo-

h) *Rega* l. c. Aph. 644. p. 294.
i) *Albert.* Semiot. Sect. IV. c. 2. §. 7.
k) Ibid. §. 12.
l) *Huxham* de Febr. c. 5. p. 49. II.
m) *Hoffmann* Diſſ. cit. §. 13.
n) *Schwencke* Haemat. c. 17. p. 171.

cruorem non ſatis denſatum, ſed reſolutum, ſorbitionem minimorum vaſculorum impeditam, malum corporis habitum, tumores frigidos, leucophlegmatiam, ceterosque exinde proficiſcentes morbos, effuſionem, reſtagnationem et corruptionem humorum intra cauitatem quandam vel telam cellularem, hydropem ſubſecuturum.

§. 761.

Quod ad *colorem* attinet, *ſerum* interdum *flauum* ſ. *croceum* o) eſt, v. c. in ictericis, et bilem ad duodenum deferri non poſſe anteſtatur: interdum *ſubrubrum* vel *caeruleum*, certum humorum reſolutorum vel in putredinem procliuium teſtimonium, v. c. in ſcorbuto, ſcabie, malo corporis habitu, ſuppreſſione menſtruorum, et peſſimo cum omine malignis febribus ſuperuenit: interdum *ſerum turbidum et limoſum* p) eſt, v. c. in lue venerea et ſcorbuto conſummato, et etiamſi ſanguis omnis impurus ac male coloratus eſt, craſſamentum reperitur; hoc ſummopere pertimeſci debet, quippe tetram ſanguinis reſolutionem declarat. Peſſimum eſt, vbi vel ipſa *lintea arrodit* q), vt in iis, qui ex ſcorbuto vel lue venerea aegri ſunt, haud raro accidit. Contra vbi *ſerum*, quod alias *pellucidum non* eſt, in *lacteam* r) naturam transformatum videtur; ſic, vt cremorem ſtriis interſtinctum repraeſentet, indicio eſt, reſorberi pinguitudinis globulos, non vero ſuccum alibilem, ſiquidem ex eo ſerum turbari ſolet, et vtplurimum in iis reperitur, qui paullo habitiores ſunt, inappetentes et ſtomacho imbecillo. At vbi ſangui-

o) Ibid. c. 18. p. 180. *Hoffmann* l. c. §. 10. p. 294.
p) *Macbride* l. et p. cit. *Hoffmann* l. c.
q) *Schwencke* l. cit. c. 18. p. 181.
r) *Hewſon* l. c. Sect. VII. p. 134 ſequ.

ſanguinis boni ſero *cuticula* quaedam *ſubpinguis* innatat, in ſanis atque obeſis nutritionem optimam, in macilentis et aegris colliquationem futuramque tabem denunciat. Denique *ſerum variegatum* [s]) familiare eorum vitium eſt, quos ſcorbutus, malus corporis habitus, ſcabies, menſium ſuppreſſio vrgent.

§. 762.

Serum ſubdulce vel *amarum* admiſtam acrimoniam manifeſtat: *foetens* vero corruptionem humorum aut incipientem, aut iam praeſentem.

§. 763.

Eſt etiam, vt multis videtur, quaedam *ſanguinis vis* in *febribus* ceterisque morbis. Sic ſub auctore HVXHAMO [t]) in *febre putrida peticulari* prorſus reſolutus viſus eſt, colore naturali amiſſo, in ſubflauam et nigricantem ſaniem diffluens ac foetens, qui et per ſe peſſimus eſt, et malo cum omine ſanguinis eruptiones inducit. Similiterque in variis morbis varius eſſe debuit. Sed tanta eſt opinionum et euentorum diuerſitas, vt huc illuc inter legendum feraris, et tandem, quid vere ſentiendum ſtatuendumque ſit, ignores. Spectanda enim hoc in examine atque iudicio ſunt caelum, aeger, cui ſanguis detractus eſt, aetas, temperies, ſexus, victus vitaeque genus, animi motus, tempus morbi et medendi via, medicamenta [u]), modus mittendi ſanguinis eiusque quantitas, cet. Certe ſine his omne augurium,

s) *Hoffmann* Med. Rat. l. c. p. 295.

t) De Febr. c. 5. p. 57. II.

u) Sic ſec. *Sarcone* l. c. p. 99. a *ſale Ebſomenſi* ſanguis fit rubicundior et magis fluxus, nec facile coagulat; ab *decocto Polygalae* p. 108. magis fluxus eſt, minus lardi habet, et facilius cum ſero copulatur.

gurium, quod a ſanguine capitur, lubricum, fallax, incertum, vanum, nec adeo magni habendum, a medico probo maximam partem negligendum eſt, quippe eum non dedecet, doctam ignorantiam confiteri. Etenim praeclare BALLONIVS v): *Pluribus ſanguis impurus detractus eſt, in quibus mortuis et ſectis partes omnes integrae deprehenſae; aliis purus, quibus viſcera et pulmones putres inuenti ſunt. Formoſiſſimis mulieribus ſemper fere impurus detrahitur.*

§. 764.

Praeſtat ergo *haemanticam* i. e. artem e ſanguine vitam necemque praeſagiendi, aut ſolis tonſoribus, balneatoribus et id genus hominibus relinquere, aut iſta deliramenta quouis modo e plebeculae animis excutere, vt dudum ante nos HELMONTIVS x) et HOFFMANNVS monuerunt, aut certe hanc doctrinam, ſi tanti videatur, experimentis nouis certiorem tutioremque reddere, quam crambe repetita tyrones occidere.

§. 765.

Praeter haec *ſucci* poſſunt *multitudine* vel *qualitate* corpus afficere et functiones eius mirifice turbare. Quod cum noſſe plurimum intereſt medici, potiora ſigna ſubiicere animus eſt, ne qua in re officio noſtro defuiſſe videamur.

§. 766.

Eſt igitur, bene monente HIPPOCRATE y), omne nimium valitudini aduerſum, ideoque

v) In Ephem. Obſ. 2. p. 91. et ap. *Schwencke* Haemat c. 14. p. 143. *Sarcone* l. c. T. II. §. 482. p. 169.

x) Humoriſt. Paſſiu. Decept. in Schol. c. 1. Art. 50. p 795. Opp et *Hoffmann* l. c.

y) Aph. II. 51. p. 76. I.

que et *nimia humorum copia.* Hanc ſubeſſe docent appetitus integer, digeſtio et nutritio iuſta, reſpiratus tardus, quem ſenſus aliquis pectoris ingratus ob difficilem ſanguinis per pulmones traiectum inſequitur, itemque difficilis, et a leuiſſima cauſſa acceleratus atque moleſtus; ſubitus calor humorumque concitatio a vino, ſpiritibus, aromatibus et victu lautiori, motio et quaeuis muſculorum actio dolens, taediosa et cum torpore ac ſudore multo copulata, laſſitudo cita, pedum et corporis vniuerſi grauitas, ſomni cupiditas, noctes turbulentae, viſis, ſpectris, furibus, incendiis, ſcelerum turpitudine, periculo vitae cet. interruptae et inſomnioſae.

v. LVDWIG Diſſ. de plethorae differentiis, Lipſ. 1766. et de venaeſectione differentiis plethorae accommodanda, ib. 1767.

§. 767.

Eadem communia indicia et *plethorae verae ſanguineae* inſunt, propria vero putantur bonus corporis habitus et calor ſubitus, facies florida, ſubrubra, roſea, ſplendens, a motione tumidula, reliquum corpus medium inter album et rubrum colorem habens, oculi rubentes, et ophthalmia crebra, capitis grauitas et dolor, cum maxime ſub oſſe frontis, et ſincipite, tinnitus aurium, vertigo, oſcitatio, pandiculatio, tenſio et laſſitudo ſpontanea [z]), irritabilitas ingens, breuique iterum conquieſcens, inſomnia, pulſus fortis, magnus, plenus, tardus, et a leuiſſima cauſſa concitatus, ſpiratio libera, magna, tarda, poſt corporis motum anhelans, ſudor multus et olidus, interdum dulcis ſine vllo ſanguinis vitio, vrina copioſa, craſſa, ſubrubra, ſanguis

 miſſus

z) *Taurell.* Med. Praedict. Method. p. 52. cf. *Lieutaud* Precis de la Medec. T. I. Sect. 1. p. 75 ſq.

miſſus denſior, facile coagulans, infra colore atro, ſupra rubicundo, ſero vero perexiguo, contra vaſa ipſa ſanguinis plena, vnde varia eius profluuia per nares, pulmones, ani venas, et apoplexia ipſa metuenda ſunt.

§. 768.

Plethora vera obeſa cernitur in habitu corporis extumido, quaſique ſpongioſo, pinguitudine copioſa, facie florida, nitidula, elegante, vbi iſta humorum multitudo nondum adoleuit; alias enim faciem tumentem habet, certam mali corporis habitus teſtem: Praeter haec pulſu paruo, debili, et vix detegendo, reſpiratione facili, plena, aequali, poſt motum anhela, ſecretionibus et egeſtionibus variis, aluo et vrina mutabili, ſudore glutinoſo, ſanguine miſſo viſcido et veluti reſoluto, frigoris calorisque impatientia magna, animo valde irritabili, at facile ſedando.

§. 769.

Plethoram ſpuriam ſ. *imbecillorum* ſubeſſe contendunt, ſi qui corporis habitu macilento et pallido ſunt, venis extremorum tumentibus, et vbi inſecantur, ſanguinem ſeroſum, reſolutum verique cruoris expertem reddentibus, facie pallida, poſt motum corporis minimum florida et genis ſubrubris interſtincta, pulſu debili, paruo, facile accelerando, ſpiratione libera et anhela, ſomno tumultuoſo, aluo varia, vrina pallida, aquoſa, tenui, irritabilitate ſtupenda, vnde facilis ſubitaque animi motio, cum membrorum tremore, debilitate ac laſſitudine multa copulata, itemque frigoris et aeſtus intolerantia naſcuntur.

§. 770.

§. 770.

Plethora febrilis in mala humorum natura et denſitate multa, motu inteſtino et progreſſiuo nimio, pulſu celeri, forti, duro et renitente, potiſſimum cernitur.

§. 771.

Contraria humorum multitudini *vaſorum et cellularum vacuitas* eſt. Illam cum morbi antegreſſi, tum pulſus debilis, paruus, inaequalis, intermittens vereque deficiens, crebra animi defectio et ſyncope, tenſio ac conuulſio, dolor capitis, ſpinae dorſi et artuum, prae ceteris manifeſtant; Poſt vero laxus, marcidus et luridus corporis habitus, vnaque pulſus concitatus, paruus et debilis inſequuntur.

v. LVDWIG reſp. ALTENBVRG Diſſ. de oligochymiae differentiis, Lipſ. 1771.

§. 772.

Qualitas humidorum laeſa, quam *cacochymiam* appellant, aut in primis viis latet, ſuis notis facile internoſcenda, aut in ſanguine, vbi iudicium longe difficillimum et vel poſt ſectam venam fallaciſſimum eſt; aut denique ad lympham defertur, et optime ex malo corporis habitu, interdum praeter modum tumido, interdum nimis flacco, colore oris prauo, liuido, lurido, caeruleo, oculis veluti limbo aliquo cinctis, labiis ſubpallidis, flatu et cruditate multa, ſecretis humoribus varie inquinatis, vrina varia, ſanguine miſſo pallidulo, horrore, caloris frigorisque viciſſitudinibus rel. aeſtimatur.

§. 773.

Cacochymia ſeroſa corpus occupare fertur, ſi pallor in ore, macies in corpore toto ſedet, ſi corpus vniuerſum friget et tumet, cum maxime pedes; ſi ſecretiones et egeſtiones ſeroſae modum excedunt, tandemque

demique ceſſant; ſi nec fibrae minimae ſatis nutriuntur, et magna actionum imbecillitas, virium defectio cet. incidunt.

§. 774.

Cacochymia pituitoſa cognoſcitur corporis habitu albidiori, tumidulo, frigido, ſubmolli vel duriuſculo, at colore ſubpallido, ſubliuido, plumbeo, facie pallida et tumente, lingua alba et molli, ſaliua inſipida, dulci, acida, appetitione moderata, concoctione imbecilla et tarda, ſenſu hebetiori, motu corporis tardo, membrorum grauitate, torpore, obliuione, ſomno profundo, itemque pulſu tardo, raro, paruo, debili ac molli, reſpiratu difficili, poſt quemuis motum ſubito concitato. Praeter haec accedunt ſecretiones et egeſtiones viſcidae et glutinoſae, ſudor inſipidus, viſcidus et quaſi vnguinoſus, vrina pallida, alba, et modo tenuis, modo craſſa [a]), aluus ſicca et cum pituita copioſa tenacique copulata, mucus multus in pulmone, aſpera arteria, faucibus, naribus, exindeque oriunda deſtillatio.

§. 775.

Cacochymiam atrabilariam denunciant lentitia piceaque quaſi humorum tenacitas, pulſus paruus et tardus, ſpiratio lenta, calor ſiccus, corporis habitus macilentus et rigidus, facies rugoſa et contracta, oculi limpidi atque lucentes, adſpectus fixus et terribilis [b]), irritabilitas facile concitanda, ſeroſae ſecretiones et egeſtiones parcae vel ſuppreſſae, ideoque et ſputa parca, ſudor parcus, vrina parca, ſubrubra, fuſca, varia, aluus tarda et ſicca, contra bilis copioſa, ſpiſſior, atra, acrior et derepente mota, dolores, conuulſio abdominis et vniuerſi corporis.

Peſſimum

a) *Taurell.* l. c. p. 53.
b) Ibid. p. 55 ſequ.

Peſſimum eſt, corpus male nutriri, et ſenſim pedetentimque hominem in morbos neruorum grauiores incidere, vel phantaſiam mire turbari.

§. 776.

Cacochymiae acidae, donec in primis viis inſidet, praecipua indicia habentur ructus acidi, ſapor acidus et cum roſione ac hebetatione dentium iunctus, ſitis vel nulla, vel perexigua, appetitus ingens, et haud raro illud famis genus, quod *bulimos* dicitur, torſiones ventris, et inteſtinorum murmura, aluus fuſca, viridis vel ſubuiridis, dolor ab acido increſcens, at poſt ea medicamenta, quae acidum reſorbent, et alcalina decreſcens. Sed perarduum eſt, iſtam humorum naturam acidam, vbi vlterius proceſſit, certo definire. Sunt tamen memoratu digniſſimae, nec adeo fallaces notae ſudor copioſus et acidus, cutis valde laxa, et eroſionibus lentis, pallidis, raro vlceratis, vel purpureis deturpata, vrina cum dolore miſſa, lactea, turbida, in qua craſſa ſubſidunt, ſanguis miſſus egregie floridus, obſtructio lenta, v. c. glandularum abdominis, non inflammatoria, lymphae coagulatio cet.

§. 777.

Cacochymia muriatica ſubeſſe dicitur, vbi ſitis vehemens, cutis oriſque ſiccitas magna, ſapor ſalſus, itemque eruptiones cutis rubrae, inflammatoriae, et poſt ſudorem, horrendum, quantum prurientes, vrina craſſa, turbida, acris, tarde putreſcens, quaſi oleoſa et ſplendens aegrum exercent: At *cacochymiam alcalinam volatilem* ſitis magna, ſapor putridus et vrinam redolens, foetor oris nefandus et cadaueroſus, appetitio nulla, aluus fluxa, ſplendida, ſubnigra, foetidiſſima, ſanguis reſolutus, et ſtatim ac miſſus eſt, in putridum tabum diffluens, vrina craſſa,

ſpumans

ſpumans et facillime putreſcens, roſiones cutis cinereae, nigrae, ſerpentes, inflammationes ſubitae, gangraena et ſphacelo finiendae, praeſignificant.

§. 778.

Sin vero *cacochymia rancida et biliosa* hominem tenet, non poſſunt non oriri ſitis vehemens, mala, clamoſa, os ſiccum, lingua exſucca, fiſſa vel muco obſita, ſapor amarus, rancidus et ferruginem mentiens, ructus nidoroſi, ciborum, cum maxime iurium, faſtidium, aluus feruentior, ſplendida foetidiſſima, tranſpiratio nulla, cutis papulis cinereis, fuſcis, nigris foedata, vrina exigua et cum dolore miſſa, ſubrubra, foetens, ſanguis, e vena profluens, ſpiſſior et ater, inflammationes validae, proſerpentes, mortiferae.

§. 779.

Reſtant ſic dictae *cacochymiae ſpecificae*, quarum notae cum non ſatis pateant, non attinet iis enumerandis et ſubtiliter explicandis inhaerere. Perarduum enim, me iudice, ſemper eſt, inuenire ac iudicare, quae humidorum vitia ſint, quae indicia, et medici hac in re vel inuiti falluntur ſaepiſſime.

CAPVT IX.

DE HABITV CORPORIS, VT SIGNO.

§. 780.

Multae ſunt variaeque partes, quibus corpus humanum conſtat, eaeque ita fabricatae, vt altera cum altera perfecte coagmentata conſpirationem aliquam functionum efficiat, et donec ea non tollitur, homo valere dicatur. At incommoda, quae poſt haec ab diſſenſu oriuntur, indeque repetenda ſigna ſuperius commemorauimus. Reliquum eſt, vt

nec

nec membra corporis externa, quatenus oculis vſurpari aeſtimarique poſſunt, negligamus, et, quatenus in morbis aut conſiſtunt, aut immutantur, quod hinc augurium capiendum, quae praeſagienda ſint, paucis videamus: Nam iſta partium externarum conſideratio ad euenta malorum praeuidenda valet plurimum. Haec *habitus externi ſigna* ſunt.

v. PROSP. l. c. V. 1. ſeq. p. 276 ſequ. PEZOLD Prognoſ. Febr. Acut. c. 2. §. 28. p. 21 ſequ.

§. 781.

Huc referri ſolet, *corpus bene valenti ſimile vel diſſimile eſſe*, vel *nimis atque ſubito in longitudinem extendi*, *nimis emacreſcere vel tumefieri*, *calere vel frigere*, *cutim madere vel ſiccam eſſe*, vel *colore vario foedari*, *pruritum exoriri*, et *varias papulas effloreſcere*. Praeter haec *facies eiusque partes* conſiderandae videntur, puta, *tempora*, *auriculae externae et ſordes aurium*, *frons*, *nares*, *genae atque maxillae*, *labia et mentum*, *os*, *dentes atque gingiuae*, *lingua et fauces*, ex quibus omnibus vehementer mutatis efficitur *facies Hippocratica*: poſt *collum et ceruix*, *dorſum*, *thorax eiusque percuſſio*, *praecordia*, tandem *corporis extremitates*. Sed praeſtat, ſingulas partes exindeque profecta indicia perčenſere.

SECTIO I.

CORPVS BENE VALENTI SIMILE VEL DISSIMILE.

§. 782.

Habitus corporis athleticus c) in ſanis ſemper terrere debet, quoniam facile in morbos incidunt. Etenim, auctore CELSO, *ſi plenior aliquis, et ſpecio-*

c) *Hipp.* Aph. I. 3. p. 68. I. et *Celſ.* de Medic. II. 2. p. 48.

ſpecioſior, et coloratior tactus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Quae quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque vltra progredi poſſunt, fere retro, quaſi ruina quadam, reuoluuntur.

§. 783.

In morbis vero, praeſertim *acutis*, bonum ſignum eſt vbi habitus corporis quam minime a ſtatu naturali deflectit, i. e. calore, colore, nutritione, levitate ac agilitate membrorum cet. fere idem eſt; Contrarium vero malum eſt, et certum corporis graviter affecti indicium. Quare ſi qua, febre acuta ineunte, mutatio nimia et ſubita habitus corporis vniuerſi vel partis, v. c. faciei, oritur, ſcire licet, aegrum peſſime ſe habere *d*) atque periclitari, cum maxime ſi plura mala ſymptomata ſimul vrgent.

SECTIO II.

NIMIVM ATQVE SVBITVM STATVRAE INCREMENTVM.

§. 784.

Fieri haud raro ſolet, vt quis puer aut adoleſcens iuſto citius et magis, ac fas et opus erat, in longitudinem vel latitudinem membra porrigat, tantumque *ſtaturae* ſubnaſcatur *incrementum*, vt gigantem coram intueri tibi videaris, non puerum. Ex quo non poteſt non ſubita et inſolita ſolidorum humidorumque mutatio exoriri, et corpus propter nimiam membrorum porrectionem morbis variis patere. Subeſt tamen ea diuerſitas, vt infantum, puerorum et adoleſcentum proprium quaſi ſit, in longitudinem ex-

d) *Proſper* V. 2. p. 277.

excreſcere, iuuenum vero et virorum, in latitudinem, ideoque his magnitudo accedit ratione voluminis, illis ratione molis atque diſtentus.

v. ANDR. EL. BÜCHNER reſp. MALLINKROT Diſſ. de celeri corporis incremento poſt febres, Hal. 1752. et de inſolito corporis augmento, frequente morborum futurorum ſigno, ib. eod. CHRIST. GOTTL. LVDWIG Diſſ. de celeri corporis incremento, cauſſa debilitatis in morbo, Lipſ. 1760.

§. 785.

Etenim ſi cui *ſtatura excelſior* eſt, laxitas corporis nimia, et fibrarum porrectio, diſtentio, ruptio, ſolidorum inertia et imbecillitas, inaequalis ſanguinis reliquorumque humidorum motus, indeque ſecretionum ac egeſtionum augmentum vel diminutio, congeſtio, reſtagnatio et corruptio, malus corporis habitus, et multa praeter haec mala grauiora metuenda videntur. Porro hoc ex fonte dimanant in infantibus crebrae febrium acceſſiones, hydrocephalus, parotides, ceterarumque glandularum tumores, ſeroſae oculorum et aurium fluxiones, mucoſae nares, deſtillatio vel grauedo, ſternutatio, inſuauis gingiuarum pruritus, dentitio et ſpiratio difficilis, tuſſis et ſingultus, catarrhus ſuffocans, ardor ventriculi, vomitus, tormina et crebra ventris profluuia, glandularum meſaraicarum obſtructio, nutritio laeſa veraque rachitis. Tandem hinc peſſimae intertrigines, foedaque cutis vlcuſcula, achores, faui, cruſtra lactea, capitis tinea, impetigo rel. ortae fuiſſe perhibentur.

§. 786.

At ſi *pueri* nimis *in longitudinem* exporriguntur, ſcire licet, eos obnoxios futuros ob ſolidorum

imbecillitatem variis congeſtionum generibus, crudeli aurium dentiumque dolori, oculorum malis, quae ſero vel ſanguini ſtagnanti debentur, vuulae laxationi, raucitati et tuſſi immaniſſimae, deſtillationi diuturnae, faucium tumori ac inflammationi, ſtrumae, buboni, ventris inflationi, torſioni vel fluori, crebrae irritaeque deſidendi cupiditati, veſicae calculo, et vrinae reddendae vitiis, verrucae manuum penſili et ſeſſili, denique ne rite nutriri corpus poſſe. Accedit, quod facile vaſa rumpuntur, vnde pueris ſanguis creberrime e naribus profluit, puellis vero maturius, ac fas eſt, ex vtero, et debilitas naſcitur haud raro per omnem vitam reliquam duratura.

§. 787.

Neque non *adoleſcentes* ſimilia a ſtaturae incremento timere debent. Sed praeter haec iis imminent palpitatio cordis, lateris dolor verus et ſpurius, pulmonum cerebrique inflammatio, variaeque febres acutae, quae eo vehementius et periculoſius aegros exercent, quo magis imbecilla eorum ſolida ſunt. His identidem ſuccedunt rheumatiſmi ceruicis, ſcapularum, thoracis et lumborum, morbus articularius, malum hypochondriacum et haemorrhoides caecae; in feminis vero varia menſtruorum vitia, obſtructiones, et decolorationes, fluor albus, chloroſis, vteri praefocatio, mammae induratae vel inflammatae, at in grauidis abortus. Quid? quod hiſce hominibus propter vniuerſi corporis infirmitatem ſputa ſanguinis, vomicae ac ſcirrhi pulmonum, phthiſis ceteraeque tabis formae praeſagiri poſſunt.

§. 788.

Contra *viris* proprium eſt, mole corporis augeri atque *pingueſcere*, quoniam eorum vaſa vltra porrigi non poſſunt, ideoque ſtaturae incrementum cauent,

cauent, at ſuccos in telam celluloſam effuſos et reſtagnando corruptos nullo modo. Quare illis moleſta potiſſimum eſſe debent ſenſus vacuitas, torpor et motio difficilis, deliquia animae, vertigo, ſopor, ſpiratio impedita et anxietas ab motu leuiſſimo, humidorum rancor et acritudo, quae vel ipſa oſſa exedunt. Hinc febres ardentes, inflammationes ventris viſcerum varias, dolorem colicum, dyſenteriam et haemorrhoides, itemque hydropem, apoplexiam et mortem e) ſubitam metuere debent, et feminae praeter haec fluoris menſtrui cum rubri, tum albi vitia, abortum, furorem, et ſanguinis profuſiones nimias atque crebras, cum maxime vteri, abſceſſus, vlcera, cancrum, ſphacelum, varia tumorum ſuppurantium genera, v. c. ſteatomata, meliceridcs, atheromata, rel.

cf. IO. HENR. BACHIENE Diſſ. de adipe humano, Trai. ad Rhen. 1774.

§. 789.

Quare valitudo hominis praecocis ac obeſi non poteſt non omnium maxime ſuſpecta eſſe, partim quia quod cito fit, cito perit, et illud corporis excelſioris praecox genus non temere vnquam peruenit ad frugem, partim quod habitus ſpecioſior ac plenior diu conſiſtere non poteſt, ſed, bene monente CELSO f), *retro, quaſi ruina quadam*, homo *reuoluitur*, neque male diuinus HIPPOCRATES g) iis, qui procero corpore ſunt, malam ſenectutem ominatus eſt. Nimia vero pinguitudo perſonatus morbus eſt, eamque ob cauſſam eos, qui paullo habitiores ſunt, *ταχυθανάτους* h) dixerat.

e) *Lieutand* Precis de Medec. T. II. Sect. I. p. 1. ſeq.
f) de Medic. II. 2. p. 48.
g) Aph. II. 54. p. 77. I.
h) Ib. 44.

SECTIO III.

NIMIA MACRITVDO VEL TVMOR.

§. 790.

Frequens morborum ſignum eſt, corpus aegri *extenuari vel in tumorem attolli.* Prius dum fit, neque alimentis tollitur, verendum eſt, ne corpus male nutriatur, et vera *macies* ſ. pinguedinis et lymphae bonae penuria, atrophia et tabes inſequantur. Qua de re ſemper mali augurii in febribus acutis eſt, ſi quis, morbo ineunte *i*), derepente atque adeo emacuit, vt quaſi per multum temporis ſpatium decubuiſſe videatur; nam in his quae deſunt, non eſt, quod ipſum morbum ferat. Terrere etiam debet, vbi morbis longis iam decreſcentibus ſuperuenit; Nam ſolidarum corporis partium imbecillitatem, ſuccorum penuriam et acrimoniam depaſcentem, nec non reverſionem mali denunciat.

Schol. Atrophiam variasque eius formas huc referendas exiſtimamus, quatenus, tanquam ſymptomata, aut, futuros morbos praecurrit, aut inſequitur. cf. PROSP. V. 3. p. 278. ſequ. LIEVTAVD Precis de la Medec. Prat. T. II. Sect. I. p. 3. ſequ. FARR Aph. de Maraſmo, Altenb. 1774.

§. 791.

Neque raro incidit, corpus nimis poſt febres acutas, largas humorum qualiumcunque profuſiones, longam inediam, vigilias et graues curas rel. extenuari: id quod, niſi alia grauiora accedunt, terribile non eſt. At peſſimum, vbi *facies* in acuta febre

emacuit

i) Aph. II. 28. et 31. p. 74. *Celſ.* l. cit.

emacuit et *immutata* fuit. Ex his enim colligitur virium vitae iactura, infirmitas aegri, morbique malignitas, et haud raro mors imminens, v. c. in tabidis et phthiſicis [k]). In his ſuſpectum eſt, corporis habitum contabeſcere.

§. 792.

Praeter haec vbi eos occupat, quos febris ardens diu afflixerat, ſcire licet, maraſmum incipere, et morbum fere inſanabilem futurum. At vbi iſta tabes poſt inflammationem laterum vel pulmonum [l]), ſputis non rite iudicatam, oritur, vitium inemendabile, ac in phthiſin et exitium finiendum ſubeſt.

§. 793.

Contra *corpus vniuerſum* vel *membra* nimis *tumefieri*, ſemper malum eſt, etſi crapulenti, pinguiores, debiles atque ſenes minus periclitantur; magis, ſi talis tumor ab internis cauſſis proficiſcatur, ideoque eae febres, quae *glandulis tumentibus* [m]) debentur, excepta diaria, malae ſunt, et grauis morbi periculum eſt, vbi in febre putida omne aegri corpus turget, quippe ſumma fibrarum infirmitas humidorumque reſolutio putrida fere ſubeſt.

§. 794.

Saepius pars aliqua corporis inflatur et tumet. Sic *cutis arida*, *circumtenta*, et *dura* [n]), niſi ſudor ſucceſſerit, in acutis peſſima eſt; *anſerina* [o]) vero i. e. tuberculis minutulis interſtincta, princeps ſcorbuti

k) *Benedict.* Theatr. Tabid. p. 111. ſequ.
l) *Proſp.* l. c. p. 278.
m) *Hipp.* Aph. IV. 55. p. 87.
n) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 6. p. 813.
o) *Rouppe* vom Scorbut, §. 11. n. 7. p. 50.

buti ſignum. At ſi *facies* in tumorem attollitur, magnam humorum ad caput congeſtionem, et reſtagnationem, vaſorum diſtentionem, ſolidorum debilitatem, humidorum copiam ac malam indolem denunciat, et febri ſynochae, parotidibus, leucophlegmatiae atque hydropi, quem anaſarca nominant, frequentius ſuperuenit, nec malum leuat, vereque lethargicos ſubtumidos et genas inflatas habentes exitio addixit HIPPOCRATES p). Interdum et facies, dum apoplexia imminet ſanguinea q), rubet ac tumet; at ſi a pituita oriatur, male colorata eſt et cum maxime oculis pallidis ac turgidis cognoſcitur. Interdum *palpebrarum ſupernarum tumor* poſt morbos acutos remanet, ceteris partibus circumcirca deſidentibus r); Tunc fere morbus reuertitur.

§. 795.

Et *praecordia*, *venter*, *coxae*, *pedes inflantur*, dum febris acuta vrget, peſſimo cum omine ac magno vitae diſcrimine. Certiſſimum vero febris autumnalis intermittentis breui abiturae s) ſignum eſſe aiunt, vbi abdominis regio tumefit et duratur, ac ſi quis viſceribus ſcirrhus contineatur, aut a flatibus illa diſtendatur. At peſſima febris eſt, poſt quam aqua intercus t) oritur: *Non enim ſedat febrem, ſed dolorem infert ac mortem, fereque incipit ex parte inani, lumbis et iecore.* Praeter haec periculum et mortem propinquam tumida *ſuppuratorum*, *tabidorum et phthiſicorum* u) facies, manus, crura pedesque oſtendunt.

§. 796.

p) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 532.
q) *Swieten* Comm. Aph. 1020. p. 293. III.
r) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 8. p. 821.
s) *Sydenh.* Febr. Interm. 1661. p. 60. T. I.
t) Sic *Hipp.* Progn. §. 8. p. 458.
u) *Proſp.* l. c. p. 283.

§. 796.

Sed inter haec talis membrorum tumor ſpem ſupereſſe docet, vbi eo tempore, quo morbus acutus decernitur, incidit: nam iudicium per abſceſſus fere futurum eſt: At vbi poſt grauem morbum, ſiue acutus ſit, ſiue longus, *pedes intumeſcunt*, debilitatem ſolidorum indicat, quae, reſumtis viribus, tollitur, niſi quod vitium intus latet. Tunc enim hydropem praeſignificat. Etiam bono eſt, febres intermittentes ſponte ſua tali pedum inflatione ſolui; at peſſimo, vbi ab adſtringenti medicamento dimanat. Quare in his prudentis eſt medici, prouidere, ne quod ſignum reliquum ſit, vnde certior fiat.

§. 797.

Haud raro *tibiae vel malleoli inflantur;* quae ſi interdiu et inter ſtragula deſidunt, periculoſum per ſe non eſt; magis, ſi a praua ſuccorum natura vel viſcere obſtructo vitium naſcitur. At ſaluti eſt, vbi poſt egeſtionem aliquam temere ſuppreſſam aut eruptiones cutis intus reuertentes inferiora corporis membra intumeſcunt. Neque terrere debet, vbi graviditati, magno ſanguinis profluuio, vel faſciae adſtrictiori debetur, vel conualeſcentibus, quorum viſcera integra ſunt, ſed debilitata, ſuperuenit. Vt vero *oedema pulmonum*, laterum, mediaſtini, cet. tandem hydropem pectoris inducit, et dyſpnoea fere tollitur, ſi pedum vel naturalium tumor [v]) accedit; ſic ad vltimum iam ventum eſſe teſtatur, vbi phthiſicis [w]) conclamatis incidit.

§. 798.

Huc etiam *emphyſema* pertinet, quod cum quadam pelluciditate, interdum rubore ac inflam-

 matione

v) *Bagliu.* ap. *Klein.* p. 201.
w) *Benedict.* Theatr. Tabid. p. 111.

matione eſt, interdum in tela celluloſa inſidet, interdum ſub perioſteo atque membranis, muſculos vel viſcera ambientibus. Eſt igitur talis tumor non adeo malus, ſi membro relaxato et ſano incidit, vel poſt vulnus capitis incuruatum, aut quod in cauitatem thoracis et aſperam arteriam penetrauit, exortum eſt. Magis periculoſus eſt, ſi qua pulmonum vel laterum vlceratio ſubeſt: anceps vero, ſi variolas inſequitur; denique mortiferum, quod ad coſtas contuſas ac fractas x) accedit. Subitaria inflatio ex ſingulari corporis conditione ac materiae morboſae indole definienda eſſe videtur.

SECTIO IIII.

CALOR ET FRIGVS CORPORIS, MADOR ET SICCITAS CVTIS.

§. 799.

Familiare morborum cum acutorum, tum longorum, ſymptoma *calor* vel *frigus* eſt, eamque ob cauſſam, ſi ſubito inter ſe alternent, morbum imminentem praedixit diuinus HIPPOCRATES y). Poteſt vero *calor mitis* eſſe ac *tepidus*, *vehemens* et *acutus*, isque iterum aut *vniuerſum corpus* occupare, aut *membrum*. Porro *calor a ſenſu*, qui ex attactu oritur, aut *inflammatorius* ſ. *ardens* eſt, vbi cum pulſu forti ac celeri, ſiccitate cutis magna ac ſiti inexplebili, dolore variarum corporis partium iungitur, aut *acer* ſ. *mordax* eſt, et proprius febrium putridarum atque malignarum index, cum maxime ſi vna pulſus

x) *Boerhaaue* Aph. 323. et *Swieten* Comm. ad h. l. p. 536. ſequ. T. I. cf. *Klein*. Int. Clin. p. 74.
y) Aph. IV. 39. p. 86. I.

pulſus nec fortis, nec plenus eſt, ac aeger nauſeam continuam et praecordiorum anxietatem conqueritur; aut *localis* ſ. *hecticus*, v. c. in tabidorum volis manuum ac plantis pedum continuus inſidet et corruptionem lentam denunciat; aut denique *volaticus* [z]) eſt, communis morborum, qui neruos tenent, hypochondriacorum, hyſtericarum rel. comes. Qua de re ex eo non poſſunt non varia ſigna proficiſci.

v. PROSPER II. 13. p. 116. ſequ. et PEZOLD Prognoſ. Febr. Acut. c. 2. §. 32. p. 24.

§. 800.

Eſt igitur *calor corporis*, cuius vim crebriores ac vehementiores cordis arteriarumque ictus definiunt, certiſſimus motus maioris index, haud raro in perniciem aegri finiendi. Qui ſicubi immaniter vrit, ibi ſedem mali eſſe putato. *Bonus* eſt, qui *mitis ac placidus* eſt, et poſt modicum frigus oritur, itemque ſi corpus aequaliter *molle* [a]) eſt, nec nimis praeter conſuetudinem calidum. Etenim moderatos ſolidorum motus et vaſorum anguſtias apertas; at ſi *inaequaliter* incaluit, membrum aliquod affectum vel vires proſtratas docet. Neque terrere calor debet, ſi ſub ipſa febris acceſſione [b]) temperatus, ſuauis, aequaliter et cum madore quodam per omne corpus [c]) diffunditur, etiamſi in febre ardenti vehementior atque intenſior eſſe videatur, quoniam ex eo colligimus, viſcera inflam-

z) *Macbride* Einleit. P. I. B. II. Hauptſt. 4. p. 70. ſeq. *Gorter* Prax. L. III. Tr. 2. 158. p. 146.

a) *Hipp.* Progn. §. 8. p. 454. et Coac. §. 3. p. 559. *Celſ.* II. 3. p. 49.

b) *Swieten* Comm. in §. 579. p. 25. T. II.

c) *Hipp.* l. c. et *Gal.* in Progn. Comm. II. 5. p. 761. ſequ. IV.

flammatione non teneri [d]); ſi cutis prae ceteris, vnaque extremae corporis partes incaleſcunt; ſi, morbo decreſcente, calor potiſſimum pedes [e]) occupat, et extrema corporis [f]) rubent vel inflammantur.

§. 801.

Contra grauis periculoſique morbi teſtimonium eſt, vbi membrum aliquod, non vniuerſum corpus tenet, diu conſiſtit quaſique conficit, quippe ex eo virium defectio, ſiccitas, colliquatio, et poſt convulſiones [g]) exitium certum oritur: vbi cum marcore ac tabe totius corporis continuat, v. c. in tabidis, in quibus calor aequalis et aſſiduus ſuſpectus atque perniciosus eſt; vbi in febribus acutis nimius et intolerandus incidit, cum ſiti oris multa copulatus, et corpus quaſi adurit, vel vbi magnitudini mali [h]) non reſpondet; vbi acer, mordax quaſique pungens [i]) ex digitorum iudicio deprehenditur, isque ſenſus diu remanet. Peſſimum etiam ſignum eſt, ſi vehemens calor febricitantis caput exercet: metuenda enim ſunt deliria, conuulſiones, phrenitis et haud raro ſubita mors: ſi faciem, pectus, praecordia [k]) infeſtat, quippe inflammatio fere ſubeſt: ſi calor aeſtuoſus circa ventriculum [l]) et dolor oris eius, vel aeſtus laterum cum dolore ac rigore [m]) perſentiſcitur; ſi interna viſcera vri videntur, externa aut modice

d) *Gal.* in Aph. *Hipp.* VII. 1. p. 200. VII.
e) *Hipp.* Vict. Acut. §. 10. p. 276. II.
f) Id. Progn. §. 15. p. 460.
g) *Hipp.* Aph. VII. 13. p. 103.
h) *Gal.* in L. Vict. Acut. Comm. II. 1. p. 615. ſeq. VI.
i) *Sarcone* Neap. Geſchicht. T. II. §. 400. p. 109.
k) *Swieten* Comm. Aph. 609. p. 151. II.
l) *Hipp.* Aph. IV. 65. p. 88. I.
m) Praedict. I. 8. p. 476.

modice calere, aut prorſum frigere [n]); id quod, atteſtante THVCYDIDE [o]), in peſtilentia Athenienſi et etiamnum in febribus peſſimis [p]) accidit; ſi poſt egeſtionem [q]) aeger magis magisque recaleſcit, vel poſt refrigerationem nullus calor exoritur, certe non niſi extrema et ſumma corporis cacumina [r]) peruadit, ſi aeger de interno frigore vehementer conqueritur, vel calor et frigus inter ſe alternant; tandem ſi vires naturae ſubito frangit.

§. 802.

Ex quo perſpicuum eſt, non nimis fidendum *calori blando* eſſe, ſi qui *morbis malignis* ſuperueniat, quippe calor intimis corporis compagibus incluſus eo vehementior eſt, et perniciem clanculum accelerat: *calorem tabidorum*, cum inaequalis ac ſqualidus ſit, et a quouis cibo quaſi accendatur, ſemper eſſe terribilem, adeoque HIPPOCRATEM [s]) non immerito calorem acrimoniae teſtem ac indicem appellaſſe: *calorem* in febre ardente ac inflammatoria *vehementiſſimum* [t]), ſub quo ne ſumma quidem corporis incaleſcunt, aut omnia membra aequaliter vruntur, peſſima quaeuis denunciare, et imminentem gangraenam, certam morbi clauſulam; *praecordiorum ardorem* [u]), febre remittente, ſemper malum eſſe, cum maxime ſi corpus inſudat; denique *hydro-*

n) Aph. IV. 48. p. 87. et VII. 72. p. 109.
o) Ap. *Gal.* Comm. I. in VI. Epid. t. 29. p. 612. III.
p) *Swieten* Com. ad Aph. 579. p. 25. II.
q) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 525.
r) Epid. I. Sect. 1. p. 655.
s) Epid. VI. Sect. 6. p. 812.
t) *Gal.* in I. Praed. III. 69. p. 724. IV. et in Aph. VII. l. cit.
u) *Hipp.* Praed. I. 1. p. 472. I.

hydropicorum crura v), quae ante fuerant inſtar marmoris frigida, iam vero recaleſcunt, ſtagnantem et putreſcere incipientem lympham atque fatum portendere.

§. 803.

Similiter magna *frigoris* ſ. *algoris* vis et ſignificatio in febribus acutis, cum maxime incipientibus, eſt. Nam per ſe ſemper ſuſpectum ſignum eſt, indeque praeſagimus neruorum diſtentionem, et retardatum humorum circuitum, vel perfectam quietem, eamque eo periculoſiorem, quo magis frigus vrget et tactu perſentiſcitur, vires vitae fractas, ac morbi cauſſam haud leuem, inflammationem horrendam atque gangraenam. Hinc aegri ſalus ſemper anceps et deſperanda eſt, ſi cetera ſigna peſſima ſimul aegrum affligunt, et tandem poſt anxietatem incredibilem mors ſequitur.

§. 804.

Spectandae ergo in hac frigoris aeſtimatione variae cauſſae variaque morborum genera ſunt. Nam *moderatum* vel *aequale frigus* w) periculoſum non eſt; magis, ſi *magnum* vel *inaequale* eſt, vel *continuat* aut *cum calore* viciſſim intenditur, vel *inordinate* redit. Quare *bonum frigus* eſſe contendunt, vbi poſt coctionem et egeſtionem copioſam, v. c. per aluum, vrinam, ſputa, incidit, quoniam hoc ſigno morbum iudicatum exiſtimamus; at *malum*, et haud raro *pernicioſum*, ſi febribus continuis ſupervenit, quippe hic aut mors ſubeſt, vt in debilitatis, phrenitide vera, febribus malignis, nec exanthematicis, ceterisque acutis, quae non rite iudicantur, lethargo, caro, apoplexia, conuulſionibus, cum primis maxil-

v) *Swieten* Com. in Aph. 85. p. 122. I.
w) *Gorter* Prax. L. III. Tit. II. 166. p. 155. T. I.

maxillae inferioris diſtentione x) cet. aut certe, ſi vires ſuperant, longa valitudo y) metuenda eſt. *Malum* etiam eſt, vbi ab rigore z) prouenit, vnaque dolor capitis ac colli, vocis defectio, leuis ſudor accedunt, neque calore inſequente frigus tollitur; vbi die decretorio a) poſt ſanguinis egeſtum increſcit, vel vrinae b) ſimul intercipiuntur. *Minus* tamen *periculoſum frigus* eſt, ſi ſine febre, hieme vel ſenibus incidit, niſi plura mala indicia aegrum exercent.

§. 805.

Praeter haec frigus, quod *ſtato tempore reuertitur* c), latentem febrem intermittentem denunciat; in *hyſtericis* d), quas haud raro columna marmorea frigidiores reperias, pulſu ceteroquin bono, nec egeſtione aliqua larga praegreſſa, acceſſionem nouam; *poſticarum corporis partium*, v. c. ceruicis, colli, dorſi, vel vniuerſi corporis e), praeſertim ſi cum animi deliquio, oculorum hebetatione, vrina ſpumante iungitur, conuulſionem; in *dyſenteria* f) fere mortem: at *ſenſus refrigerati abdominis* g) poſt antegreſſos dolores intolerabiles, funeſtam gangraenam, cum maxime in puerperis, portendit. Idem de frigore eo ſentiendum ſtatuendumque eſt, quod, eruptionibus adhuc florentibus, vel introrſum reuerſis,

x) *Brendel* in Coac. Praeſag. Penſ. I. n. 3. p. 173 ſq. Opuſc. T. I.

y) *Proſp.* l. cit. c. 14. p. 121.

z) *Hipp.* Praed. I. 8. p. 476.

a) Coac. §. 3. p. 552.

b) Ibid. §. 1. p. 522.

c) *Gorter.* l. et p. cit.

d) *Sydenham* Diſſ. Epiſt. ad *Cole*, p. 259. I.

e) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 523. et p. 528. et Praedict. I. 15. p. 480. I.

f) *Sydenh.* Conſtit. Epid. Sect. IV. c. 3. p. 109. I.

g) *Pezold* Progn. Febr. c. 4. Sect. 2. §. 107. p. 66.

uerſis, oritur, vel inflammationes, ſuppuratione bona non iudicatas, et cum pulſu debili ac inaequali, virium defectione, oculorum acie hebetiori cet. copulatas inſequitur. Quare et in moribundis, dum frigent et inſudant, vires vero deſunt, ac corpus quaſi induratur, mors ante portas eſt.

§. 806.

Sed aegri prae ceteris de *extremorum frigore* conqueruntur, i. e. capite, manu ac pede [h]), itemque naribus, atque auribus [i]). Hinc ſi in febre acuta incidit extremorum algor, ſcire licet, aut mortem [k]) inſtare, aut morbum malignum [l]) ſubeſſe. At vbi largam egeſtionem, arte facta ſit, an ſpontanea, vel ſyncopen, itemque viſcerum inflammationem [m]) inſequitur, periculoſum et fere mortiferum eſt. Minus terribile eſt, ſi ſub iudicio imminente oritur: Etenim aut vere illud ſuccedit, aut febris continua in intermittentem [n]) transformatur. Porro peſſimum ſignum eſt, vbi, morbo ineunte [o]), iam vſu euenit; ſi malis cum indiciis, et die decretorio intenditur atque conſiſtit; ſi membra non amplius recaleſcunt [p]), et periculoſa ſymptomata aut anteceſſerunt [q]), citra alleuamentum, aut adiuncta ſunt, v. c. deliria, vigiliae, coma, obliuio, ſingultus, tremor, conuulſio, dolores continui et vehementiſ-

h) Sic ſecundum *Hipp.* Progn. §. 8. p. 454.
i) Sic *Galen.* in VII. Aph. 1. p. 200. VII.
k) *Hipp.* Aph. VII. 60. p. 117.
l) Praedict. I. 6. p. 474.
m) *Gal.* in VII. Aph. l. cit.
n) *Proſp.* l. c. p. 124.
o) Ibid.
p) *Hipp.* Epid. I. Sect. 2. p. 659. et Epid. III. Sect. 3. Aeg. 3. p. 732.
q) Praed. I. 8. p. 476. et Epid. I. Sect. 3. Aeg. 2. p. 674.

mentiſſimi [r]) cet. aut denique ſuccesſerunt; ſi vna aeſtus vehemens interiora exurit et ſitis inexplebilis [s]) fatigat; ſi tabidis [t]) exitio addictis ſuperuenit, itemque ſi moribundorum membra marmoris frigidi ſenſum digitis imprimunt, vnaque dura ac liuida [u]) deprehenduntur.

§. 807.

Neque negligendae videntur *ſubitae caloris frigoriſque viciſſitudines*, quas prae ceteris medici reformidant, ſi derepente et extra acceſſionem incidunt, vel continuant [v]). Hinc *bonum* ſignum eſt, vbi refrigerationi calor ſenſim pedetentimque ſuccedit: Ex eo enim colligitur, abeſſe omnem materiae acrimoniam vel malignitatem, obſtructionem, inflammationem, contra meatus vaſculorum minimorum apertos eſſe ac vires vitae ad coctionem iuſtam ſufficere. At *malum* eſt, ſi membra refrigerata inaequaliter calefiunt, vel ſubito frigus et calor [w]) inter ſe permutantur. Ex his aut mors naſcitur, aut morbus diuturnus et periculoſus praeſagiri debet. Poſſunt etiam iſtae viciſſitudines, ſi ſub coctionis ſignis appareant, decretoriam humorum perturbationem [x]) praeſignificare, et ſpes aliqua vel in febre maligna

r) Epid. I. Sect. 3. Aeg. 5. p. 676. et III. Sect. 3. Aeg. 3. p. 732.

s) *Gal.* in VII. Aph. l. cit.

t) *Hipp.* Praed. I. 8. p. 476.

u) Praed. I. 10. p. 477. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 1. 2. 8. p. 673 ſequ. Epid. III. Sect. 2. Aeg. 6. 7. 8. p. 717 ſequ.

v) *Proſp.* II. 16. p. 128 ſequ.

w) *Hipp.* Aph. IV. 40. p. 86. et VII. 60. p. 107. L. Iudic. §. 8. p. 445. Praed. I. 14. p. 479.

x) Coac. §. 1. p. 531.

ligna ſupereſt, modo aeger ſe melius habuiſſe y) videatur.

§. 808.

Reſtant pauca de *madore* ac *ſiccitate corporis*. Colligimus vero ex corporis vniuerſi humiditate, vaſcula minima eſſe reſerata, et morbum acutum breui iudicatum iri, cum maxime per *ſudorem*, modo iuſto tempore accedat. At *malus mador* eſt, qui ſub morbi principio euenit: Nam aegri debilitatem, morbi malignitatem et periculum denunciat; *Peſſimus*, qui continuus et copioſus eſt. At vbi tabidis et phthiſicis incidit, ſiue omne corpus teneat, ſiue aliquod membrum, mortem et perniciem certam indicat. Ad *ſiccitatem* quod attinet, malo eſt, ſi, morbo increſcente, perdurat: ideoque partes ſingulas ſiccatas in moribundis damnandas cenſuit HIPPOCRATES z). At corpus ſicceſcere, gracile fieri et marcere, tabidorum eſt.

v. PROSPER II. 17. p. 131 ſequ.

SECTIO V.

COLOR CORPORIS VNIVERSI VEL PARTIVM VITIATVS.

§. 809.

Color in morbis interdum naturalis eſſe videtur, interdum morboſus eſt, et varie immutari ſolet, quippe, bene monente CELSO a), *ſi plenior aliquis, et ſpecioſior, et coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet. Quae quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque vltra progredi poſſunt, fere retro,*

y) Epid. V. 22. p. 785.
z) Epid. III. Sect. 3. Aeg. 16. p. 742.
a) De Medic. II. 2. p. 48.

retro, *quaſi ruina quadam*, *reuoluuntur*. Qui color cum in ſano et bene valenti non ſatis tutus eſt, tum nullo modo in morbis acutis ac longis negligi debet.

v. PROSPER de Praeſag. Vit. et Mort. V. 4. p. 283 ſequ. PEZOLD Prognoſ. Febr. Acut. c. 2. §. 29. p. 22.

§. 810.

Boni morbi teſtimonium eſt, colorem naturalem ſubſiſtere, vel ſi is crebro permutatur, ex ratione talem eſſe, i. e. propter aliud morbi tempus, diem decretorium, neque cetera ſigna abhorrere; id quod ex iis, quae anteceſſerunt, facile elucet: itemque colorem malum in bonum transformari. Contra peſſimum eſt, ſi citra rationem incidit. Nam ſi color alius alium [b]) inſequitur, ſcire licet, conuulſioni corpus patere, ſub qua egeſtio decretoria ſperanda non eſt, exindeque aut mortem orituram, aut morbum longum futurum.

§. 811.

Color cutis albus, ſi ſine febre eſt, haud raro pituitam redundantem, vaſa laxa et debilitatem, reſtagnationem ſeri et tumorem aquoſum denunciat. Interdum *pallidior* eſt, et in ſanis ſanguinis rubri penuriam et temperiem phlegmaticam, in aegris malum corporis habitum, in femina nubili et vidua chloroſin ſ. febrem albam, amatoriam, icterum album virgineum [c]); denique in febribus acutis, vbi cum malis ſignis iungitur, exitium [d]) et mortem propinquam indicat.

§. 812.

b) *Hipp.* Aph. V. 40. p. 86.
c) *Lieutaud* Precis, T. II. S. 1. p. 249.
d) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 540.

§. 812.

Color ruber ſanguinis multitudinem maioremque ad iſta membra, in quibus apparet, congeſtionem, reſtagnationem, inflammationem indeque oriunda incommoda, itemque irritamentum a materia quacunque acri, ſiue externa, ſiue interna ſit, v. c. pinguedine, bile, tranſpiratione ſuppreſſa, pure, in empyis, tabidis, phthiſicis, praeterea calidas fomentationes et fricationem multam denunciat. Si *rubor cum tumore ac dolore* e) incidit, haud leuem ſanguinis intra vaſculorum anguſtias moram et cauſſam perpetuam; at ſi *tumor modicus* ſubſiſtit, tenuem acrimoniam ibidem haerentem; denique ſi *ſubitus* eſt, facileque fugit, animi motiones deſignat, et fere proprius phthiſicorum tabidorumque eſſe ſolet.

§. 813.

Prae ceteris *facies rubore* ſuffunditur, dum aegri morbis impliciti decumbunt. Tunc vero aut inflammatio ſubeſt, ceteris ſignis facile internoſcenda, aut iudicatio per ſanguinem e naribus f), ſi aetas et coctio antegreſſa conſentiant, itemque per parotides g). Contra vbi, morbo crudo, facies nimis rubet, inflammatio eius, phrenitis h), conuulſio, cum maxime in pueris i), itemque angina k) pertimeſcenda eſt: In qua ſi rubor ad externas partes defertur, bonus plerumque, haud raro malus, obſeruatur. Neque in febre acuta terrere debet, ſi *brachia* vel *crura* eryſipelate correpta rubent; at malum eſt, ſi febri ardenti

e) *Gorter* Prax. L. II. Tit. 3. 106. p. 86. T. I.
f) *Galen.* Praeſag. ad Poſtum. c. 13.
g) *Hipp.* Praed. I. 23. p. 486. Coac. §. 2. p. 539.
h) Praed. I. 6. p. 475. Coac. §. 3. p. 567.
i) Coac. §. 1. p. 530.
k) Aph. VII. 49. p. 106. et Epid. III. Sect. 2. Aeg. 7. p. 718.

denti et ſynocho malignae rubores ac maculae rubrae ſ. peticulae [l]) ſuperueniunt, eaeque eo peiores, quo copioſius erumpunt. Vide tamen, ne ſoli *macularum febrilium rubori* [m]) fidas: Iſta enim ſigna non ſatis certa ſunt, quippe papulae ſubrubrae haud raro malignitatem indicant, at rubidae ſaepe minus periculoſae ſunt.

§. 814.

Color cutis flauus vtplurimum bilis in ſanguinem reditum indeque oriundum morbum regium, qui ſaepiſſime ab duodeni [n]) vitio naſcitur, interdum conuulſionem aliquam, humores vitioſos et malum corporis habitum [o]) deſignat. Eſt vero talis icterus in febre acuta bonus, ſi non ante diem ſeptimum, ſed potius eodem die, vel nono, vndecimo, decimo et quarto vel ſeptimo, primo et viceſimo [p]), poſt coctionem antegreſſam, perfecte iudicatur [q]), et adiunctum habet rigorem et ſalubrem deiectionem, neque praecordia dura [r]) relinquuntur; Praecipua icteri decretorii indicia, auctore PROSPERO [s]), ſunt coctio, quae anteceſſit, dies decretorius, vrina nec crocea, nec tingens, feces non albidae, quae certe reliquis morbi regii formis ſemper inſunt; praecordia [t]) dextra nec dura vel tumida, nec calida, morbi iudicatio

 vel

l) *Proſp.* l. c. p. 286. et *Klein* Int. Clin. p. 78 ſq.
m) *Kloekhof* Hiſt. Febr. Epid. c. 4. p. 100.
n) *Ludwig* Progr. Monit. Semiot. in diuid. inf. ventr. dolor. Lipſ. 1759.
o) *Gorter* Prax. l. c. 108. p. 87.
p) *Hipp.* Coac §. 1. p. 531 I. et L. Vict Acut. §. 54. p. 313. II. *Galen.* Loc. Affect. V. 7. p. 137. IV. *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 438. p. 134.
q) *Gal.* in IV. Aph. 62 et 64. et *Hipp.* ad h. l. p. 88.
r) *Bagliu.* Prax. l. p. 82.
s) l. cit. c. 5. p. 290.
t) *Hipp.* Aph. IV. 64. p. 88.

vel alleuamentum aegri. Sed talis icterus decretorius perrarus eſt, eamque ob caussam colorem luteum, ſi qui ad febres acutas accedit, in peſſimis ac funeſtis ſignis collocandum ARETAEVS [u]) cenſuit. Interdum icterus dolorem colicum [v]) reſoluit, cum maxime in hypochondriacis et hyſtericis, interdum ad finem febris intermittentis oritur.

v. BRVENING de ictero ſpaſmodico infantum Eſſendiae 1772. epidemico, Veſal. et Lipſ. 1773.

§. 815.

Malus vero *icterus* habetur, ſi in febre acuta maturius, i. e. ſub principio morbi, egeſtu largo [w]) et malis cum ſignis incidit, v. c. praecordii dextri duritia [x]), ſingultu [y]), citra rigorem [z]) cet. Qua de re ſi icterus febri acutiſſimae ſuperuenit, quam *flauam* nominant, incolis zonae torridae quaſi propriam, etſi apud nos haud raro cum febre putrida [a]) iungitur, ſcire licet, putridam humidorum, cum maxime bilis, reſolutionem ſubeſſe et adiunctam concauae partis hepatis vel ductus communis inflammationem, et vitae diſcrimen ſummum.

v. HILLARYS Obſervat. on the changes of the air and the concom. epidem. diſeaſes in Island of Barbados, p. 149 ſq. ed. ſec.

IO. MOVLTRIE Diſſ. Med. de febre maligna bilioſa Americae, anglice the yellow fever, ed. BALDINGER, Ien. 1768.

§. 816.

u) De Sign. Morb. Diut. I. 15. p. 33. Coll. *Steph.*
v) *Klein* Int. Clin. p. 53.
w) *Hipp.* Iudic. §. 7. p. 442.
x) Aph. IV. 64. p. 88. et VI. 52. p. 106.
y) L. Iudic. §. 8. p. 444.
z) L. Vict. Acut. §. 54. p. 313.
a) *Bucholz* in Act. N. C. T. V. ni fallor.

§. 816.

Color cutis viridis, i. e. ex pallido in nigrum vel liuidum inclinatus [b]), ſemper malus eſt, praeſertim in acutis. Interdum male affectum iecur [c]), interdum vero poſt venenum, v. c. ab ictu viperae, ſummum humorum infectum et corruptionem [d]) denunciat. At ſi *color liuidus* ad febres acutas accedit, ſiue vniuerſum corpus deturpet, ſiue partes, v. c. palpebras, genas, naſum, labia, pectus, dorſum, lumbos, naturalia [e]) cet. peſtifer eſt, ac certus putredinis mortisque [f]) praenuncius. Hinc iis, qui veneno hauſto vel peſtilentia obierunt, fere incidit, et vbi poſt acutum laterum dolorem thoracem foedaſſe viſus eſt, gangraena ſubeſt. Perrara enim, me iudice, morbi acuti per liuidas cutis maculas iudicatio eſſe debet. Idem periculum *niger color* [g]) oſtendit; qui quo foedior eſt, eo maius diſcrimen et mortem ipſam portendit. Saepe ſpleneticos occupat, itemque ex eo colliges, muſculorum abdominis abſceſſum [h]) latere. Aiunt etiam, eum bonis cum ſignis decretorium [i]) fuiſſe.

§. 817.

Etiam ex STAHLII doctrina bonum eſt, *naeuos maternos*, in quo demum cunque membro inſideant, neque figuram, neque *colorem mutare*: at peſſimum, eos decolorari, flacceſcere, emarceſcere, vna-

b) Sic *Galen.* in Progn. Comm. I. 10. p. 735. IV.
c) *Gal.* Diff. Reſp. III. 12. p. 299. III.
d) Id. Loc. Affect. V. 7. p. 131. IV.
e) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 527.
f) Ib. p. 527. et §. 3. p. 571. *Thucydid.* de Bell. Pelop. II. 49.
g) *Gal.* in Progn. l. et p. cit.
h) Id. Loc. Affect. l. et p. cit.
i) Id. in Progn. Com. I. 10. p. 735. IV.

vnaque grauia mala aegrum exercere. Quare in laeuitate inteſtinorum [k]) ephelides verſicolores, cum multo faciei rubore copulatas, HIPPOCRATES non immerito annotauit.

SECTIO VI.

PRVRITVS ET CVTIS VLCVSCVLA LONGA.

§. 818.

Pruritus ſ. vehemens et inuitum ſcalpendi deſiderium, ſi quod a ſcabie, poſt opium vel ſudores copioſos oritur, metuendum non eſt; etſi ex eo colligas, materiam acrem ad cutim delatam ibidem inhaerere, atque fibras neruorum ſenſiles afficere. Hinc familiare vitium macilentorum, bilioſorum, melancholicorum atque ſenum eſt. At in febribus acutis fere macularum, papularum vel puſtularum eruptionem antecedit vel inſequitur, et *decretorius* cenſetur, ſi coctionis ſigna in excrementis apparuerunt, et aeger quodammodo releuatus eſt. Id tamen certum eſt, vim morbi eo maiorem et perículoſiorem eſſe, quo vehementius aegrum vrgeat, et haud raro icterum mortiferum praenunciare. Itemque grauis morbi teſtimonium eſt, pruriginem totum corpus, vel membra, vel linguam ſummam tenere, vnaque torporem ac frigus [l]) vrgere; Contra vbi poſt pruritum magnum illico inferiores corporis partes [m]) laeduntur, metus eſt, ne vrina ſabuloſa inſequatur vel ſupprimatur. Si quis autem hyſtericis quaſi internus incidit, vel

k) *Hipp*. Praed. II. 31. p. 510.
l) *Klein*. Int. Clin. p. 46.
m) *Hipp*. Coac. §. 3. p. 570.

vel omne corpus cum quodam inſuauitatis ſenſu peruadit, terrere non debet.

v. IO. LVD. SEEBER Diſſ. de pruritu, Lipſ. 1756.

§. 819.

Achores infantum retrogradi vel temere intra repulſi, oculis auribusque infenſi ſunt, niſi deiectio longa, ſeroſa et acris accedat: At peſſimi, qui parentibus articulariis [n]) inde a naſcentia debentur. *Tinea inueterata*, contumax, ad frontem et faciem proſerpens, et defluuia capillorum inducens, itemque quae excreſcentia habet, grauis morbi teſtimonium eſt; Contra vt *recens* ac *mitior* haud raro futurae valitudinis bonae auctor eſt, et mala grauiora auerruncat, ſic *temere ſiccatam* ſurditas vel caecitas, itemque deliria, ſopor, mors, fere inſequuntur. Denique *eruptiones infantum volaticae*, ſi aures, oculos, fauces, os, ſcrotum [o]) occupant, fatales vtplurimum ad interitum ſunt.

§. 820.

In *cutis eruptionibus longis* ſemper et aetas et pertinacia ſpectanda ſunt: Saepius enim aut lues venerea, aut vermes ſubſunt; et ſi ex interna viſcerum labe proficiſcuntur, quae auferri nullo modo poteſt, in tabem et hydropem deſinunt. Praeter haec variae id genus papulae, maculae, vel vibices lati, caerulei, fuſci, nigri [p]) feminis incidunt, in quibus contuſionem et nimia menſtrua, interdum et grauiditatem denunciant; in viris vero haud leuem ad ſanguinem fundendum propenſionem, et in phthiſicis [q]) vbi puſtulae exoriantur, ſcire licet, inſanabile eſſe vitium. At

n) *Klein* p. 157.
o) *Sennert* ap. *Klein* p. 169.
p) *Huxham* de Febr. c. 5. p. 49. II.
q) *Benedict*. Theatr. Tabid. p. 105.

At *bonae ſcorbuticorum* r) *maculae* habentur, ſi laete rubent, et in magnitudinem aliquam ſe attollunt; *malae*, ſi liuent vel nigreſcunt magis, ac in melancholicis moris eſt, vel in vlcera foeda tranſeunt, vel per omnem tibiam diffunduntur ac tument. Euaneſcere vero, iterumque erumpere, hoc fere morientium eſt.

§. 821.

Reſtat *ſcabies*, omnium longarum cutis eruptionum ingratiſſima et opinione hominum foediſſima. Grauior eſt, quae cutim vehementer exaſperat, et prurit, pluraque membra aut ſenes occupat; rebellis, quae ſcorbuticis ineſt, inueterauit, et ferinam refert; peſſima denique, quae ex labe viſcerum prouenit. Ferunt, eam decretoriam s) in febre acuta intermittente atque ſcorbuto fuiſſe. Neque raro accidit, vt poſt variolas, morbillos, febrem quartanam grauem et imperfecte iudicatam, tetra ſcabies caput tenuiſſe bono cum euento videretur. At peſſimum ſignum eſt, illam et formam et locum ſubito mutare, atque intra dilabi. Exinde enim periculoſiſſima mala t) ſuboriri ſolent, febris inordinata, acuta, maligna, lenta, et tabes, ophthalmia, et epiphora peſſima, ψωϱοφθαλμία, caecitas, ſurditas, dolor capitis et viſcerum vrgens, aures manantes, tumores glandularum colli, diſtentio neruorum, morbus comitialis, ſopor peſtiferus, apoplexia, mors; in pectore palpitatio cordis et angores horrendi, aſthma conuulſiuum, phthiſis et catarrhus ſuffocans, tuſſis ferina, ſingultus, ſternutamenta inſueta et nimia; in abdomine, ardor ventriculi et dolor colicus, grauia meſenterii vitia, veſicae conuulſio, vrina cruenta, tumor membrorum inferiorum, malus corporis habitus, et hydrops aſcites.

§. 822.

r) *Klein* l. c. p. 267.
s) *Kramer* ap. *Klein* p. 257.
t) *Hoffmann* ap. *Klein* p. 158. et p. 257 ſq.

§. 822.

Vlcera in morbis acutis u) ſicca, pallida, viridia vel liuida fieri, mortiferum ſignum eſt. At terrere non debent, ſi recentia v) ſunt, et iuuenes vel ſuccis bonis redundantes exercent; magis, ſi ſenes; omnium maxime, ſi poſt eryſipelam vel ſcirrhum oriuntur, vel iis ſuperueniunt, quos malus corporis habitus, ſcorbutus, morbus gallicus, ſcrophulae occupant. Itemque vlcera aut nunquam, aut difficulter ſaneſcunt, quae in naribus, mammis vel naturalibus naſcuntur; quae putrida ſunt et vermibus plena; quae pus foetidum, glutinoſum, cruentum, ſubuiride, nigrum, et quouis alio modo decoloratum, vel ſaniem oleoſam ac nigricantem fundunt; quae oras diductas et hiantes, carnem mollem, fungoſam, ſubuiridem, liuidam, nigram habent, hinc inde proſerpunt, fiſtuloſa fiunt et in cariem peſſimam deſinunt. Vbi vero e locis affectis ſanguis erumpit, aut pus ſorptum ſputa, deiectiones, vrinam inficit, ſcire licet, aegrum periclitari. In ſenibus vlcera inueterata tolerare, quam repellere praeſtat, etſi negari non poteſt, ea maraſmum et febrem lentam haud raro induxiſſe.

SECTIO VII.

CAPVT EXTERNVM.

§. 823.

Malum in morbis ſignum eſt, *caput* eſſe *frigidum* x), cum maxime vbi pectus et venter calent: Melius eſt, omne caput reliquumque corpus aequabiliter molle ac calidum eſſe. Nonnunquam longo morbo decumben-

u) *Hipp.* Progn. §. 4. p. 450. et Coac. §. 3. p. 571.
v) *Lieutaud* Precis, T. II. Sect. 2. p. 15 ſq.
x) *Hipp.* Progn. §. 8. p. 454. et Coac. §. 3. p. 570.

bentes *caput* identidem *fricant* y) et difficulter ſpirant: In his periculum ſubeſt: interdum phthiſicis *capilli defluunt* z), ex quo colligitur, breui mortem adfuturam.

SECTIO VIII.

FACIES, EIVSQVE PARTES.

§. 824.

Mira eſt *faciei* vis et ſignificatio, cum imaginem quaſi corporis animique exprimat, eamque *tempora*, *auriculae externae*, *frons*, *nares*, *genae atque maxillae*, *labia*, *mentum*, *os*, *dentes*, *gingiuae*, *lingua*, *fauces* efficiunt. Congeries vero horum omnium quaſi *facies Hippocratica* eſt. Quae oris partes ſingulae multifariam affici poſſunt, et medico varia ſigna ad praeſagia certa et indubitata exhibere. Dicitur ergo *facies*

1) *Ratione morbi*, *naturalis*, valde *immutata*, et *Hippocratica* ſ. *mortifera*.
2) *Ratione coloris*, *florida* ſ. *rubicunda*, *pallida*, *plumbea*, *liuida*, *ſubnigra*.
3) *Ratione habitus*, *turgida* et *plena*, vel *contracta*, *rugoſa*, *flacca*.
4) Ratione *animi* ſ. *vultus*, qui proprie ad mores ſpectat, *facies ſerena*, *tranquilla*, *manſueta*, *laeta*, *ſeria*, *meditabunda*, *meticuloſa*, *triſtis*, *iracunda*, *furibunda*, *deſperata*.

v. PROSPER de Praeſag. Vit. et Mort. V. 6. p. 295 ſq.
IVNCKER Semiol. c. 13. n. 116. p. 680 ſq.

STAHL

y) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 9. p. 5.
z) *Hipp.* Aph. V. 11. 12. 14. p. 91.

STAHL Diſſ. de facie, morborum indice, ſ. Morborum aeſtimatione ex facie, Hal. 1700.

QVELLMALZ Diſſ. Proſopoſcopia Medica, Lipſ. 1748.

DELIVS de vultu ſereno morientium, Erl. 1769.

Sinenſium vero ſigna ex facie v. ap. CLEYERVM Fragm. p. 52.

A) FACIES VNIVERSE DICTA.

§. 825.

Ordiamur igitur a *facie generatim ſpectata*, quam, qualis in homine ſano fuerit, cognitam habere debet medicus. Eſt vero ſemper bonum ſignum, faciem in morbis, etiamſi magnis, quam minimum a naturali [a]) abhorrere, quippe ex eo colligimus, morbum nec grauem, nec periculoſum eſſe; Contra vbi vultus ſubito permutatur, modo in triſtem, modo in hilarem, citra manifeſtam cauſſam, malo eſt. Nam vt facies bona magnis in malis metum et periculum minuit, ſic mala in paruis auget, ſic naturalis et bene colorata [b]) in longis obſtructionem nullam ſubeſſe docet. Interdum *in febribus facies ſana* eſſe videtur, et cum pulſu arteriae, quae ad tempora pertinet, concitatiori, itemque praecordiis duris ac intentis iungitur: Tunc ſcire licet, morbum longum futurum, nec rite iudicandum [c]), niſi largiter e naribus ſanguis profluat, aut ſingultus et conuulſio, aut coxendicis dolor accedat.

§. 826.

a) *Hipp.* Progn. §. 2. p. 448. et *Gal.* ad h. l. Comm. I. 3. p. 733. IV. Epid. VI. Sect. 2. p. 802. Coac. §. 2. p. 540. *Linds* Papers on fevers, p. 89.

b) *Bagliu.* Prax. I. p. 78.

c) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 531.

§. 826.

Peſſimum ſignum et mortis imminentis indicium eſt, vbi *facies* mire *contorquetur*, vel vehementia morbi immutatur ſic, vt longe alia eſſe, et iuuenis ſenis decrepiti formam amicis offerre videatur. Hinc in laeuitate inteſtinorum ſemper mali ominis eſt. De fabuloſa parentum et cognatorum ſimilitudine paullo ante mortem v. BORELI. Cent. II. Obſ. 89. PETR. A CASTRO Tr. de febre maligna petech. c. 4. §. 34. ROLFINCK Diſſ. de Cauſo, Ien. 1665.

§. 827.

Facies florida et roſea [d]) ſanitatem, at intutam denunciat; in morbis acutis vero aeſtus magnitudinem, congeſtionem ſanguinis ad caput, febrem, periculum [e]), delirium imminens [f]), praeſertim ſi cum aſperitate in reſpondendo, pulſu vehementi earum arteriarum, quae ad tempora pertinent, adſpectu toruo et fixo, oculis rubris ac fulgentibus eſt; ſaepe etiam decretoriam ſanguinis per nares [g]) egeſtionem, ſi ad has notas, quas modo commemoraui, dolor capitis grauis, ſpiratio difficilis, praecordiorum tenſio et id genus alia accedunt; itemque abſceſſum pone aures [h]). Plerumque in acceſſione febris ſynochi vel ardentis, pulmonum inflammatione [i]), in qua vna difficilis ſpiratio vrget cet. incidit, et ex reliquis ſignis, talis rubra facies terrere debeat, nec ne, definien-

d) Id. Aph. I. 3. p. 68. *Celſ.* II. 2. p. 48.
e) Coac. §. 2. p. 540.
f) Praed. I. 6. p. 475.
g) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 533. *Lieutaud* Precis, T. I. Sect. I. p. 7.
h) *Hipp.* Praed. I. 23. p. 486. et *Gal.* ad h. l. Epid. VI. Sect. 2. p. 800.
i) *Aëtius* Tetrabl. II. Serm. I. 3. p. 190.

niendum videtur. Neque raro de *faciei rubore fugaci* [k]) ii conqueruntur, qui ſcorbuto, mala humorum natura, neruorum diſtentione, longo morbo laborant, et ſaepius id primarum viarum ſordes [l]) indicat, praeſertim ſi aeger ſtomachi regionem identidem manu quaſi palpat atque contrectat; in purulentis vero et phthiſicis febrem lentam ac perniciem certam.

§. 828.

Mala vero *facies* eſt, quae in ardente febre *rubet* vnaque *ſudore* [m]) *calido* vel *frigido* ſuffunditur: Nam iſta indicio ſunt, ſanguinem ſpiſſum et inflammatum alieno loco haerere, exiguam humidi copiam expelli, vaſcula exhalantia reſolui, ac fata inſtare. Mala etiam eſt, quae ſub morbi principio, nulla cauſſa euidenti antegreſſa, a naturali, incredibile, quantum recedit, et cadaueroſa fit, ideoque cum malis ſignis copulata interdum praeſagit phrenitidem, eamque pernicialem, ſi in conuulſiones [n]) deſiit, ſi calet, ruborem quaſi flammeum repraeſentat, inſudat, at citra rigorem [o]), ſiquidem ſudor ex ſignis decretoriis eſt, et, niſi decernit, malignitatem morbi atque periculum denunciat, et dolores capitis graues, conuulſionem, inflammationem pulmonum cet. inducit.

§. 829.

Ex his intelligitur, cur *rubor faciei vagus* et cum pulſu inaequali iunctus, motus animi, verecundiam, pudorem et amorem, at *facies praerubra*, quae cum voce ſubrauca et oculo fulgente eſt, iram ſignificare

k) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 290. p. 7.
l) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 569. p. 258.
m) *Swieten* Comm. in Aph. 741. p. 485. II.
n) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 535.
o) Praed. I. 8. p. 476. et *Gal.* ad h. l. Comm. I. 33. p. 667. IV.

ficare dicatur; cur *facies rubra* cum oculis prominulis et inflatione, congeſtionem, dolorem capitis, et partium huc pertinentium inflammationem indicet, cum maxime ſi ſpiritus ore hiante ducatur; cur *rubor in grauidis* p) tabeſcentibus malus, niſi deſtillatio narium ſubſequatur; cur *rubor conſiſtens et longus* q), in liuorem inclinatus, viſcerum, in primis hepatis, portendat; cur *facies florida* derepente *in luridam et plumbeam* transformata, iis, qui hydrope pectoris vel abdominis laborant, propinquam mortem denunciet; denique cur *facies bene colorata* et *ſubrubra* moeſtorum et afflictorum mali augurii eſſe putetur.

§. 830.

Facie ſubpallida eſſe, ſanis praeſtat, quam praerubra r); At ſi diutius ſubſiſtit, ſcire licet, humorum indolem ac miſturam prauam ſubeſſe, indeque naſciturum malum corporis habitum, praeſertim vbi iam intumeſcit. Hinc in infantibus vermes, in feminis menſtruum fluorem inordinatum aut ſuppreſſum ſignificat, eumque fere in virginibus, viduis, mulieribus, quae frigidae in deſerto lecto iacent, *chloroſis* ſ. *febris alba amatoria* ſequitur. Hanc vero ſubeſſe docent facies ante florida, paullatim in pallidam, ſubalbidam, ſubuiridem et flauam, liuidam, luridam et plumbeam foede permutata, extumidus, mollis, laxus et flaccus corporis habitus, torpor, laſſitudo, pedum inflatio et tumor, deambulatio tarda et vacillans, et vbi per accliuia et ſcalas adſcenditur, ſpiratio difficilis et anxia, ſubitus aeſtus et genarum lacteolarum rubor, irritabilitas incredibilis, ſenſuum hebetudo, pulſus debilis, inaequalis, intermittens, ſanguis reſo-

p) Coac. §. 3. p. 575.
q) *Fien.* Semiot. p. 158.
r) *Bagliu.* Prax. I. p. 73.

reſolutus ac pallidus, appetentia ciborum aut nulla, aut vitioſa, egeſtiones parcae ac tardae, rel. Quare medici non temere *faciem pallidam* veneris occultae flammaeque abſumentis teſtem ac indicem eſſe contendunt.

v. IO. CASP. KORTE Diſſ. de pallore virginum venerem indicante, Hal. 1759.

§. 831.

Praeter haec *facies pallida*, *contracta*, *tenuata*, aut neruorum diſtentionem denunciat, aut humorum penuriam. Prius fit in febrium acceſſione, conuulſionibus, dolore oris ſtomachi, nauſea et defectione animi; poſterius vero poſt exantlatos grauiores morbos et egeſtiones largas oritur. Ad quam colorem naturalem accedere, bonum eſt. Ex quo etiam perſpicuum eſt, cur, auctore STAHLIO, facies talis et colore ſubfuſco deturpata, ſanguinis ſpiſſitudinem et vitiatam miſturam, et ſi *labia* ſimul pallor occupat, oculorum vero vigor ſupereſt, diuturnum et vrgens malum ſuperatum indicare, debet; *pallida et tumida*, ſub qua pedes tument, hydropicorum eſſe. Neque raro *pallor cum vultu toruo* [s]) in peripneumoniae deceſſione obſeruatur; at *pallor cum foeditate* [t]) inflammationis ſphacelo finiendae praenuncius eſt.

§. 832.

Facies pallida et ſubflaua in feminis chloroſin denunciat, at ſi ſimul *tenuata* eſt, cum oculis concavis, labiis pallidis, naſo mentoque acuminatis, magnam vaſorum exinanitionem, et in hydropicis [u]) mortem aliquot ante menſibus exinde praeſagire licet. Si vere *flaua* ſ. *crocea* eſt, et cum maxime album oculi

s) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 402.
t) *Hoffmann* Med. Rat. T. III. S. I. c. 15. §. 19. p. 347.
u) *Hoffmann* l. c. p. 349.

oculi tenet, malam humorum indolem, obſtructionem hepatis et icterum flauum; at ſi *ſubnigra* vel *ſubliuida* eſt, icterum nigrum v) denunciat. Porro *facies liuida*, ſi ab ſanguinis w) reditu denegato oritur, ſtagnationem, corruptionem et extremum periculum oſtendit, et in febribus acutis gangraenam ac mortem propinquam x), praeſertim ſi ſub inflammatione vehementi nares acuminantur, et labia liueſcunt y). Vt vero *pallida*, *ſubliuida* quaſique *tabida* in ſanguinis ſputatoribus nouam mali acceſſionem portendit, auctore STAHLIO, ſic *lurida* et quae cum oculis concauis et circulo liuido quaſi obſignatis, nec non labiis pallidis eſt, ſaepe malam humidorum miſturam malumque corporis habitum, gonorrhoeam et fluorem album, cum maxime ſuppreſſum, denotat. Tandem et *facies plumbea* identidem obſeruatur, ex qua magna humorum corruptio, viſcera affecta, ſcorbutus z) et peſſima quaeuis colliguntur, et ſi malum corporis habitum, vel hydropem pectoris vel abdominis a) derepente talis facies ſequitur, mors fere ante portas eſt. Haec coloris vitia ſaepe inter ſe iunguntur, et grauiorem morbum declarant: Omnium tamen peſſima *facies nigra* eſt.

§. 833.

Facies turgida b) tantum non ſemper capitis vel viſceris dolorem, humores vitioſos et malum corporis habitum, in longis morbis pituitam, hydropem, incrementum mali, in tuſſiente ac vomente periculum,

v) *Wepfer* Obſ. p. 420. et *Iuncker* l. c. p. 702.
w) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 290. p. 7.
x) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 527.
y) *Zimmerm.* l. cit.
z) *Eugalen.* ap. *Klein* p. 263.
a) *Bagliu.* Prax. I. p. 78. et c. 13. §. 5. p. 139.
b) *Hipp.* Praed. II. 39. p. 517.

lum, in acutis vero maiorem humorum ad caput impetum, delirium, phrenitidem, conuulſionem, haemorrhagiam et parotides c), praeſertim ſi cum rubore oculorumque caligatione eſt; in variolis paullum inflata laeteque rubens felicem puſtularum prouentum, at nimis tumida et rubida, puſtulas copioſas et confluentes d) denunciat. Porro *facies tumidior*, in primis *circa palpebram* vtriusque oculi inferiorem, ſplenicorum et lethargicorum eſſe ſolet, *tumida et rubra* apoplecticorum, itemque poſt nimias vigilias oritur. Contra vbi *detumeſcit*, et cum voce laeuiori ac debili e), et reſpiratione rara eſt, remiſſionem portendit, ſic' vt, vbi hoc die impari f) accidat, ſequenti iudicium futurum ſit, et ſi die impari non remittat, recidiua febris pertimeſci debeat.

§. 834.

Contraria *facies flacca* et *tenuata* eſt. Quae, ſi in febrium acutarum initio, citra vigilias vel deiectiones copioſas, vel poſt haec ſubito incidit, ſcire licet, robur fibrarum deiectum, vim vitae proſtratam, morbum malignum g), et haud raro exitium; at ſi *ſenſim pedetentimque* talis eſt, atrophiam et tabem ſubeſſe. Hinc vbi in acutis *facies derepente contabeſcit*, et colorem decoremque amittit, ſemper ſuſpecta et mala eſt, ex meditatione nimia h) peſſima et quouis modo fugienda.

§. 835.

c) *Galen*. Comm. ad Praed. III. 73. p. 274. *Lieutaud* Precis, T. I. Sect. I. p. 8. *Gorter* Prax. T. II. L. I. 290. p. 8.
d) *Roſenſtein* Kinderkr. XII. p. 124 ſq.
e) *Hipp*. Coac. §. 2. p. 540.
f) Epid. II. Sect. 5. p. 707.
g) *Tiſſot* Nachr. ans Landv. §. 245.
h) *Galen*. Criſ. II. 13. p. 532. IV.

§. 835.

Facies moroſa et auſtera [i]), quae cum taciturnitate eſt, delirium et inſaniam futuram praeſignificat; at *vultu auſtero, moroſo*, tetrico, decolore eſſe, commune valitudinariorum ſignum eſt. Itemque ex *facie anxia* ſuique valde diſſimili, morbi iudicatio difficilis, haud raro mors colligitur; at ex *anxia et pallida*, ſub qua tenuis et copioſa ſaliua effluit, dolor oris ſtomachi, crebra vomendi cupiditas et vomitus ipſe. Grauis etiam morbi teſtimonium eſt, vbi quis faciem triſtem ac meditabundam, vnaque vocem debilem ac ſubmiſſam habet, niſi haec inediae, alui profluuio vel vigiliis debeantur. Saepe infantes dormientes, dum dentiunt, *ſubridere* videntur, vnde neruorum diſtentio et conuulſiones praeſagiri poſſunt.

B) TEMPORA.

§. 836.

Temporum grauitas, quae cum dolore capitis et caligine oculis offuſa eſt, haemorrhagiam narium [k]) indicat; *vehemens* vero *arteriarum*, quae huc pertinent, *ſuccuſſus* [l]) cum colore bono et praecordiis intentis atque elatis, longum morbum, ſanguine e naribus fundendo, ſingultu, neruorum diſtentione abigendum, in genere narium haemorrhagiam [m]), deliria, conuulſiones, et ea omnino mala, quae a copioſo ſanguinis ad cerebrum aditu proficiſcuntur. Interdum *tem-*

i) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 527.
k) Progn. §. 3. p. 449. et *Gal.* in I. Epid. Comm. II. 55. p. 442. IV. *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 21. p. 6.
l) L. Iudic. §. 8. p. 445. Coac. §. 1. p. 531.
m) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 98. II.

tempora adſtricta n) ſunt, membra inhorreſcunt, et ſpiritus grauior eſt: Tunc fere morbus imminet.

§. 837.

Vt vero a *temporum ſectione* o) conuulſio in contraria parte oritur, ſic etiam a *muſculis* hiſce vehementer *percuſſis* p) carus, in quo ſecundum GALENVM *aeger tum motu, tum ſenſu tempore aliquo priuatur, etiamſi vel ſtimules, vel ferias, vel inclamites*.

C) AVRICVLAE EXTERNAE ATQVE SORDES AVRIVM.

§. 838.

Auriculae, poſt dolorem ac febrem *rubentes* q), faciei eryſipelam, vocis viriumque defectionem, conuulſiones, et ipſos abſceſſus pone aures r) praeſignificant. Qui ſi, febre acuta vrgente, ac praecordiis duris, poſt deiectiones foetidas oriuntur, nec attolluntur, mortem accerſunt. Contra vbi *auriculae pellucidae*, *frigidae*, languidae, pendulae, contractae, et imis partibus leniter inuerſae s) ſunt, robur fibrarum ſublatum et mortem in propinquo eſſe teſtantur.

§. 839.

Neque negligendae *aurium ſordes* ſunt, quae natura ſubflauae ac amarae eſſe ſolent. Vbi vero dulceſcunt, aut colorem amittunt et mutant t), malum

n) *Celſ.* II. 2. p. 48.
o) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 572.
p) *Gal.* in I. Praed. I. 30. p. 666. IV.
q) Coac. §. 2. p. 539.
r) Ibid.
s) Aph. VIII. 14. p. 111. Coac. §. 2. p. 538.
t) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 5. p. 811. *Klein.* Int. Clin. p. 35.

lum ſignum eſt. Nonnunquam *aures vlceratae et manantes* ſalubriter incidunt, et grauem capitis dolorem u) excutiunt. Quae ſi temere ſupprimuntur, ſcire licet, infantes ſaepenumero carie ac tabie periiſſe, niſi achor vel fauus decreuit, ceteros cum morbo herculeo, auditu graui et peſſimis cerebri vitiis v) fuiſſe conflictatos.

D) FRONS.

§. 840.

Frontis vis vt in ſanis tanta eſt, quanta eſt maxima ad intelligenda ſenſa et commotiones animi, ſic in aegris non poteſt non optima eorum, quae intus aguntur, index atque interpres haberi, quippe his perraro licet ſenſum mali diſſimulare.

v. BVECHNER reſp. IOACH. LVD. WILLMANS Diſſ. de fronte morborum interprete, Hal. 1755.

§. 841.

Eſt igitur *frons contracta et collapſa*, neque inſudans w), vel frigido ſudore diffluens, communis morientium nota; interdum, vbi cum malis ſignis iungitur, imminentis phrenitidis x), niſi decretoria haemorrhagia accedat. At ſi hypochondriacorum et hyſtericarum frontem ſudor frigidus occupat, aut frons contracta a neruorum diſtentione, ſplenis, iecoris, haemorrhoidumque vitio eſt, terrere non debet.

§. 842.

Frontis color pallidus aut conuulſionem denunciat, indeque oriundum tardiorem ſanguinis circuitum,

u) *Hipp.* L. Iudic. §. 12. p. 446.
v) *Klein* Int. Clin. p. 156.
w) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 7. p. 1817. Progn. §. 2. p. 448.
x) Coac. §. 2. p. 540.

tum, aut vaſorum exinanitionem. Hinc in febre intermittente acceſſionis inſtantis praenuncius eſt, et in febribus acutis, praeſertim ſi vna decolor et frigida frons eſt, peſſimus augur. Hinc fere poſt nimias ſanguinis egeſtiones et morbos longos, vbi aliqua viſcerum et humorum labes ſubeſt, deprehenditur. Contra vbi *frons rubet ac calet*, ſcire licet, adeſſe ſanguinis multitudinem et congeſtionem, et metuenda hac de re eſſe grauiſſima capitis mala, niſi largiter ſanguis e naribus profluat, vel deiectio et parotides oriantur, v. c. dolorem acerbum capitis, oculorum, aurium, dentium et faciei eryſipelam, grauedinem, vertiginem, apoplexiam; in acutis vero febribus, ſi vna ſpiratio difficilis, praecordiorum anxietas, continuae vigiliae, deliria et conuulſiones vrgent, internam inflammationem, cum maxime cerebri, et mortem ipſam praeſagiri poſſe. Etiam *rubor fugax* vel *liuor* iis accidit, qui cum morbis longis conflictantur; In his vtplurimum vitium aliquod viſcerum, quae ad pectus vel abdomen pertinent, cum primis iecinoris, ſubeſſe ſolet.

§. 843.

Frons puſtulis deturpata modo bona, modo mala eſt. Nam vt in febre intermittente haud raro decretoria eſſe videtur, ita in acuta, praeſertim ſic dicta catarrhali, exiguae papulae ſerpentes vehementerque prurientes *y*) humorum copiam et aditum, breuique adfuturum ſanguinis vel ſeri ac muci egeſtum denunciat. Qui vbi aut non incidit, aut parcius, ac fas eſt, materiam expellit, horrendum et letale delirium imminet. In iis, qui morbo longo aegri ſunt, viſcera abdominis fere affecta ſunt; et ſi vlcera maligna,

y) *Fien.* Semiot. p. 103.

ligna, ſerpentia et ſanioſa facile ſicca cruſta obducuntur, ſcorbutum; at ſi furunculos vel puſtulas exedentes referunt, luem veneream portendunt.

§. 844.

Neque raro accidit, vt aegri *frontem et ſupercilia* identidem *palpent* z) atque contrectent: Hi aut deliri ſunt et raro euadunt, aut inteſtinorum ſordibus laborant. Interdum de *dolore* conqueruntur, qui in multis rheumatiſmum denunciat; At qui in antica frontis parte, quae ad naſum pertinet, dum febris acuta exanthematica vel inflammatoria tenet, grauis, obſcurior aut pungens eſt, decretoriam narium haemorrhagiam, et, iis viis intercluſis, peſſima mala, puta, delirium, phrenitidem et apoplexiam ſanguineam, in febre catarrhali egeſtionem ſeroſam vel pituitoſam e naribus, aut certe parotides, abſceſſus, grauedinem, dolorem oculorum, aurium, dentium grauem, et in ſenibus apoplexiam ſeroſam. Reſtat *frons dolens continuo nocluque vrgens*, certiſſima luis venereae, interiora exedentis, index.

E) NARES.

§. 845.

Narium pallor et frigus ſanguinis penuriam, neruorum diſtentionem, et ſi cum malis ſignis eſt, extremum periculum; iis, qui febre intermittente laborant, acceſſionem nouam, et feminis, quibus menſtrua inordinate redeunt, chloroſin denunciat. Neque raro hypochondriacis, hyſtericis, amantibus, ad litterarum ſtudia ſtrenue incumbentibus incidit. Contra vbi *naſus rubet*, ex eo ſanguinis multitudinem, et concitatiorem motum, facilem aditum, et, indica-

z) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 569. p. 258. et *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 432.

iudicatione imminente, narium haemorrhagiam, deiectiones a), delirium b), v. c. in furioſis, colligas.

v. PROSPER de Praeſag. Vit. et Mort. V. 8. p. 314. BVECHNER reſp. ROLLE Diſſ. de morborum ſignis, quae a naribus deſumuntur, Hal. 1754.

§. 846.

Narium pruritus, ſi qui febribus acutis ſuperuenit, delirium et haemorrhagiam cum futuram, tum praeſentem, deſtillationem c), et ſynochum ſimplicem d), in longis vero, ſi alia cauſſa nulla ſubeſt, vermes e) praeſagias. Itemque *larga deſtillatio* f), per vim *ſuppreſſa*, quandoque conuulſiones induxit.

§. 847.

Narium foetor interdum mucum ſtagnantem et corruptum manifeſtat, interdum ozaenam, cum maxime veneream, eamque medicabilem, carnes excreſcentes, polypum, vel cariem oſſium; at in acuta febre peſſimum augurium exinde capiendum eſt. Id tamen annotandum videtur, *vlcera narium*, quo magis recentia ſunt et boni moris, eo facilius, at quo magis inueterata, ſordida, putrida, eo difficilius ſaneſcere, et in cancrum ſaepius degenerare: Itemque *polypum* g) mollem, album vel rubrum curari facilius poſſe, quam durum, liuidum, dolentem,

a) Prius *Galenus*, poſterius *Hipp.* Coac. §. 2. p. 541. hoc negat *Foëſius* ad h. l. cf. *Fien.* Semiot. p. 103.
b) *Büchner* Diſſ. cit.
c) *Quellmalz* Proſopoſc. §. 8. p. 37.
d) Sic *Waldſchmidt* ap. *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 6. p. 141.
e) *Avicenna* L. IV. Fen. II. Tr. I. c. 35. p. 823.
f) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 553.
g) *Heiſter* ap. *Klein* p. 190.

tem, et cancrum mentientem, craſſiori radice inſidentem, a ſpina ventoſa proficiſcentem, ſcorbuticos et venereos occupantem, ad fauces vſque deſcendentem et vtramque narem obſidentem.

v. HVNDERTMARK Progr. de ozaena venerea, Lipſ. 1758.

§. 848.

Nares ſi *peruertuntur* [h]) et cum malis ſignis copulantur, mortem ſignificant. Idem iudicato, vbi *ſpiritus creber et multus* [i]) effertur. Certe conuulſio grauis et periculum extremum ſubeſt. At ſi in febribus acutis *alae* [k]) *narium* ſub quauis aëris reciprocatione mouentur, diducuntur, viciſſimque contrahuntur, fatum ineuitabile eſt, in dyſpnoea impedimenta grauia portendit. Haud raro *narium pinnae graciles* et *tenuatae* [l]) apparent, v. c. in iis, quos longus morbus paene confecit, qui labore vel inedia franguntur, vel animo linquuntur, vel moriuntur; Sunt etiam *compreſſae* [m]), et incipientem muſculorum, quorum miniſterio nares diducuntur, reſolutionem ac futuram apoplexiam praeſignificant; *contractae*, ſub quibus et pectus anguſtum quaſique collapſum derepente incidit, in phthiſicis [n]) mortem proximam; denique *acutae* ſ. *acuminatae*, *arcuatae* quaſique *elatae*, cum naſo ſimo et facie mala, itemque *pallidae*, *nigricantes*, *liuidae*, *frigidae*, *distortae*,

h) *Hipp.* Aph. IV. 49. p. 87. I.
i) Ibid. Vict. Acut. §. 48. p. 307. II. *Gal.* Loc. Affect. IV. 8. p. 102. IV.
k) *Gal.* l. cit. *Dethharding* Fund. Semiol. Med. Aph. 238. p. 106. ed. Hafn. 1740.
l) *Galen.* in Progn. I. 9. p. 733. IV.
m) *Swieten* Comm. in Aph. 1020. p. 293. III.
n) *Bened.* Theatr. Tabid. p. 111 ſequ.

tortae [o]), in morbis acutis peſſimae. Nam funeſtam fibrarum reſolutionem et exitium in propinquo eſſe denunciant.

F) GENAE ATQVE MAXILLAE.

§. 849.

Praeſagia, quae a *genis* repetuntur, non ſatis certa ſunt: Placet tamen, potiora commemorare. *Genae rubentes* vel in ipſis ſanis ſuſpectae ſunt. Qui rubor, ſi ſubito poſt coenam oritur, occultam viſcerum labem vel conuulſionem, in tabidis exacerbationem, in feminis cancrum vteri [p]) denotat, et praeter haec familiaris hypochondriacorum, hyſtericarum vel haemorrhoidibus laborantium eſt. At in acutis inflammatio cerebri [q]), laterum, pulmonum [r]), cum maxime ſi tuſſis et ſpiratio difficilis vrget, decretoria narium haemorrhagia [s]) vel ſuppuratio pectoris fere ſubeſt, et prae ceteris timeri debet, ſi iuuenes, qui delicatiori pectore [t]) ſunt, occupat. Porro peſſimum ſignum eſt, vbi in morbis longis et *lentis rubor* et *febricula continua* [u]) quouis veſperi inſurgit, reſpiratus difficilis, tuſſis crebra, ſputa exigua, pallida, viridia, liuida, ſpumantia, oculi concaui, vngues manuum incurui, digiti ſummi vehementer calidi, pedes tumidi, et ciborum faſtidium

 oriun-

o) *Hipp.* Aph. IV. 49. p. 87. *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 9. p. 146.

p) *Bagliu.* l. c. §. 2. p. 136.

q) *Hipp.* Epid. VII. 19. 20. p. 844 ſequ.

r) Ibid. p. 834.

s) *Hipp.* Epid. VII. 26. p. 851. *Gal.* Praef. ad Poſtum. c. 13.

t) *Lieutaud* Precis de la Med. Prat. T. I. Sect. 1. p. 8.

u) *Hipp.* Progn. §. 16. p. 461.

oriuntur, et phlyctaenae hinc inde effloreſcunt. Tunc empyema et tabes adſunt. Similiter *maculae genarum liuidae* vel *nigricantes* in acutis febribus mortem; at *ſubflauae* in feminis haud raro grauiditatem denunciant. Etiam *buccarum furunculus* v) quartanam abegiſſe dicitur.

§. 850.

Dentem euellere, ad *maxillae dolorem* w) auferendum ſaepe valet plurimum: at eam in tetano vel opiſthotono laxari x), fere mortiferum eſt. Neque minus *maxillae inferioris diſtentio* y) in infantibus terrere debet, quae iram et conuulſiones, vermes, vulnera, luxationes et fracturas extremorum conſequitur, et in febre maligna, itemque in intermittente ſopora, peſſimi euentus, et vtplurimum mortis ipſius praenuncia eſt. Saepe et *maxilla inferior et labium* eo pertinens cum ſenſu horroris *contremiſcit*; ſaepiſſime primarum viarum ſordes z), et, auctore GALENO, vomitum decretorium imminentem annunciat.

G) LABIA ET MENTVM.

§. 851.

Elegans *labiorum forma* in ſanis decorem, in morbis leuiorem vim et mentis conſtantiam adeſſe teſtatur: At ſi talis eſt, qualis *ſubridentium*, in hyſtericis et epilepticis neruorum diſtentio non continuo periculoſa ſubeſt, etſi in febre acuta magis terrere debet. Vt vero in hac *labia tremula* vomitum decre-

v) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 15. p. 6.
w) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 543.
x) Ibid. §. 3. p. 555.
y) *Brendel* Progr. 32. p. 189. T. I. Opuſc.
z) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 569. p. 258.

decretorium [a]), *exalbida* [b]) magnam debilitatem et periculum, *arida*, *fiſſa*, in ſquamas vel puſtulas diffluentia, aeſtum magnum et res aegri deſperatas, perraro iudicium bonum, praenunciant; ſic mors in propinquo [c]) eſt, ſi *ſubuertuntur* atque *diſtorquentur*, et malis cum ſignis ſunt, aut ſi *ſubalbida*, *liuida*, *frigida*, *dependentia*, *reſoluta* [d]) apparent, interdum horrenda conuulſio [e]) ſequitur. At ſi *contrahuntur* [f]), aluus bilioſa fere ſubeſt.

v. PROSPER de Praeſ. Vit. et Mort. V. 8. p. 314.

§. 852.

Saepe *labia vlcerantur* [g]), dum febres intermittentes, et cum maxime acutae, decreſcunt, bono cum augurio: Nam ſalutarem exitum pollicentur. Idem praeſagium locum habet, ſi *labia intumeſcunt* [h]), et quaſi ſcabie quadam atque puſtulis ardentibus ac vehementer prurientibus foedantur: id quod in pulmonum inflammatione [i]) fere quarto die incidit. Etiam *mentum* [k]) ſua ſigna in morbis habet, ſi cum peſſimis reliquis, v. c. facie tenuata, iungitur et *acuminatum* eſt.

v. Ill. DELII Diſſ. de efflorescentia labiorum.

H) O S,

a) *Hipp*. Epid. III. Sect. 2. Aeg. 5. p. 716. *Galen*. Criſ. III. 2. p. 535 ſequ.
b) Epid. VI. Sect. 8. p. 821.
c) Aph. IV. 49. p. 87. Coac. §. 1. p. 527.
d) Aph. VIII. 13. p. 111. Progn. §. 3. p. 449. *Rhaſ.* ad *Manſ.* X. 21.
e) Coac. §. 2. p. 543.
f) Epid. VI. Sect. 8. p. 4. Coac. l. cit.
g) Ibid. *Avicenna* L. IV. Fen. II. Tr. I. c. 38. p. 823. et Cantic. P. I. Cont. 477. p. 1072. *Lieutaud* Precis, T. I. S. 1. p. 8.
h) *Huxham* de Aëre, 1740. p. 245. I. et de Febr. c. 8. p. 98. II.
i) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 24. p. 6.
k) *Iuncker* Semiol. l. c. p. 707.

H) OS, DENTES, ATQVE GINGIVAE.

§. 853.

Oris amaritudo [l]), cum aeſtu copulata, bilem corruptam inteſtina occupare teſtatur; at ſi *graueolet*, vt plurimum dentes carioſos, abſceſſus, vlcera oris, v. c. in iis, quos lues venerea vrget, et pulmonum, primas vias ſordibus variis inquinatas, vermes intus latentes, ſi in infantibus cibus coacuit, in adultis cruditatem putridam [m]), foedam ſuccorum omnium corruptionem, ſcorbutum cet. nonnunquam et menſtrua futura, in morbis acutis mortem proximam [n]) augurari licet.

v. BVCHNER reſp. ZIMMERMANN Diſſ. de ore, vt ſigno, Hal. 1752.

§. 854.

Ore hiante aegrum dormire [o]), ſupinum, pedibus contortis atque inflexis, letale eſt. Indicat enim in acutis morbis maſſeterum et pterygoideorum muſculorum reſolutionem, debilitatem extremam, inſaniam et mortem. At vbi os *arctius clauſum* eſt, iſtorum muſculorum contractionem violentam et ſubſecuturas conuulſiones denunciat. Saepius accedit ad variolas ante, quam erumpunt, et poſt haec ſponte ſua deſinit. Etiam *os foede diſtortum* [p]) ſpaſmum cynicum et neruorum reſolutionem ſequitur, interdum haec alterum oris angulum occupat, et apoplexiam praeſignificat. Praeter haec *os conuellitur*, et aut epilepſia, aut quaeuis alia neruorum diſtentio

l) *Hipp.* Aph. IV. 17. p. 83.
m) *Lieutaud* Precis, T. II. Sect. 2. p. 133.
n) *Lemoſius* Opt. Praedic. Rat. III. 8. p. 138. a.
o) *Pezold* Progn. Febr. c. 2. §. 45. p. 31. et *Rhaſ.* ad *Manſ.* X. 21.
p) *Lieutaud* Precis, T. II. Sect. 2. p. 119.

ſtentio ſubeſt, ita tamen, vt in priori morbo aegri angulum oris quaſi ab aure refugientem mouere nequeant, in poſteriori vero admouere queant. Hinc in melancholicis et furioſis ab his oris mutationibus imminentem acceſſionem et valitudinem dubiam auguramur. Denique ſi *os tumidum*, *pallidum*, *ſplendens* et quaſi pinguedine inunctum, vel in angina q) corpus et collum omne inflatum et cadaueroſum eſſe videtur, ſcire licet, ſanguinem in vaſorum capillarium anguſtiis haerere, fibras vim elaſticam perdidiſſe, et aegrum de vita periclitari. Itemque *oris ſpuma* r) in apoplexia mortiferum ſignum eſt, in epilepticis malum graue deſignat.

§. 855.

Varie *os exulcerari* ſolet. Illud vt plurimum humores vitioſos indeque oriundos morbos, v. c. malum corporis habitum, fluorem album et turpe ſeminis profluuium, in acuta et intermittente febre ſaepenumero iudicationem propinquam, in leuitate inteſtinorum et hydrope vitae diſcrimen et mortem appropinquantem, denunciat. At elephantiaſis ſ) proprium fere ſignum eſt, *os intumere*, labiaque quaſi retrahi et inuerti.

§. 856.

Neque raro *os infantum* aphthae t) tenent, easque inquies magna, vigilia, ſpirandi, ſugendi, deglutiendique difficultas, ſaliua tenax et ſpiſſior, leuis linguae tumor, oris calor vel ipſis mammis nutricis inſenſus, itemque aeſtus pectoris ſaepe reuertens, febris

q) *Huxham.* Diſſ. de Angin. mal. p. 107. II.
r) *Hipp.* Aph. II. 43. p. 76. *Tulp.* Obſ. I. 6. p. 10. ſequ. ed. ſext. *Foreſt.* X. Obſ. 74. in Schol.
ſ) *Lomm.* Obſeru. Med. I. p. 65 ſequ.
t) *Klein* Int. Clin. p. 155. *Roſenſt.* Kinderkr. Abſchn. 9. p. 35 ſequ.

bris aphthoſa popularis cet. fere praeſignificant. Communis morbus infantum verminantium, feminarum grauidarum, eorum, qui loca humida accolunt, atque ſenum eſt, et peſſimus habetur, ſi aphthae liuent vel nigreſcunt, minus vero terribilis, ſi albae et pallidae ſunt, ideoque et quaedam decretoriae [u]) referuntur. Si quae vero phthiſicis incidunt, mors ante portas eſt.

§. 857.

Dentes fortes, denſi, numeroſi [v]), bonam valitudinem et longaeuitatem pollicentur. Qui ſi in febre acuta *lento glutinoſoque humore* [w]) inficiuntur, indicio eſt, vaſcula minima ſeroſa obſerata, loquelam atque deglutitionem difficilem eſſe, morbum grauem, et res aegri periculoſas: Contra vbi quis non febricitans [x]) ſordidos viſcidosque dentes habet, etiamſi os quotidie eluatur, tunc fere dolor capitis a prandio, ſtomachus infirmus, concoctio tarda, anima foetens, dura dormiendi neceſſitas et moeſtitia ſubſunt. Ex quo perſpicuum eſt, cur ex obſeruatione CONCILIATORIS [y]) febrem vehementiſſimam et mortem ipſam *dentium ariditas* portendere dicitur.

§. 858.

Dentium conuulſio vel ſtridor [z]), qualis inter manducandum auditur, ſaepe naturalis et nullo modo

u) *Lieutaud* Precis, l. c. p. 124.
v) *Hipp.* Epid. II. Sect. 6. p. 708. et *Ariſtotel.* Probl. Sect. 10. Probl. 47.
w) Aph. IV. 53. p. 87.
x) Coac. §. 2. p. 543. *Bagliu.* Prax. I. p. 64. *Klein* p. 301.
y) Ap. *Lemoſ.* Opt. Praedic. Rat. III. 7. p. 137. a.
z) *Avicenna* L. IV. Fen. II. Tr. 1. c. 37. p. 823. ed. Baſil. 1556.

do terribilis eſt; ſaepius vero in morbis motum maxillae non voluntarium, neruorum diſtentionem, periculum, febris intermittentis acceſſionem, delirium [a]), et poſt inſaniam fatum propinquum [b]) denunciat, praeſertim ſi cum ſignis exitialibus eſt. Minus tamen terrere debet, ſi in infante lactente [c]) accidit: Nam haec acidae bilis acrimoniam indeque oriundam neruorum diſtentionem, in pueris vero et vermes praeſagiunt. Qua de re *dentitio difficilis* [d]) ſemper periculoſa eſt, eamque inſequuntur ſaliuae fluor, tumor gingiuarum, inflammatio, gangraena, dyſpnoea, eiulatus, ſingultus, tuſſis, neruorum diſtentio, epilepſia, inquies, vigilia et timor in ſomno, vomitus, aluus viridis et cruenta, febris, rel.

§. 859.

Dentis corruptio e), ſi qua incidit, gingiuarum abſceſſum tollit; at peſſimum eſt, ſi vehemens febris atque delirium inſequuntur, neque ſuppuratio oritur. Sed prae ceteris grauis morbus *dentium dolor* f) eſt, isque pertinax in iis, quos ſcorbutus vel lues venerea tenet; peſſimus, qui in articulariis et rheumaticis fere nullus eſt, atque febrim, vigilias, delirium et conuulſiones inducit; tandem immedicabilis, qui in intima nerui medulla inſidet. Etiam *maxillam inflammari*, bono eſt: nam dolorem reſoluit.

§. 860.

a) *Hipp.* Coac. l. cit. *Lemoſ.* l. c. p. 135 ſequ. *Bagliu.* l. c. p. 70.

b) Praed. I. 6. p. 475. Progn. §. 4. p. 450. et *Gal.* ad h. l. p. 746. IV. it. Epid. VII. 20. p. 845 ſq. *Proſper* V. 8. p. 318.

c) *Paullus* de Medic. IV. 57. p. 531. Coll. *Steph.*

d) *Klein.* Int. Clin. p. 161.

e) *Hipp.* Coac. l. cit.

f) *Sennert.* ap. *Klein* p. 100.

§. 860.

Gingiuae laxae, tumidae, oneroſae, rubidae [g]), ſi cum dentium ſqualore ſunt, ſaliuam et lympham vitiatam indicant: At *prurientes* [h]) infantibus, dum dentiunt, quaſi propriae ſunt, *cruentae* ſcorbuticis [i]), lienoſis et haemorrhoicis. Quibus ſi accedit aluus liquida, putrida ſanguinis et vaſorum ipſorum reſolutio [k]) fere ſubeſt, et mors in propinquo [l]). Etiam decretoriae [m]) fuiſſe perhibentur. Vt vero *gingiuae craſſae, firmae* et dentes erupturos cohibentes ſaepenumero conuulſiones ac mortem inducunt, et *arroſae*, ſi ſubſiſtunt, ſaliuae ſanguinisque corruptionem, nonnunquam vermes inteſtinorum [n]), denotant; ſic *excreſcentes* atque *dolentes* [o]) ob cancrum fungoſum periculoſae putantur.

l) LINGVA ET FAVCES.

§. 861.

Linguae cura et inſpectio, quam Cous Senex γλωσσομαντείαν dixit, in morbis acutis ac longis a medico negligenda non eſt, quippe illi magna vis ad ſolidarum corporis partium conditionem, ſuccorum prauorum indolem et copiam, morbi vehementiam,

g) *Babliu.* Diſſ. II. de Saliuae Nat. p. 426.
h) *Hipp.* Aph. III. 25. p. 81.
i) Praed. II. 42. p. 518. Coac. §. 2. p. 545.
k) *Hillary* Obſ. on the changes of the air, p. 151. et *Bruce* ap. *Lind* Krankheit der Europ. in heiſſen Laendern, p. 236. vbi teſtantur in regionibus calidis et ſub zona torrida ſitis ſanguinem atrum per vomitum, aluum, itemque ore, naribus, oculis, ipſisque cutis emiſſariis reiici.
l) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 543.
m) Sic *Dodonaeus* et *Luſitan.* ap. *Klein* p. 201.
n) *Hildan.* ap. *Klein* p. 200.
o) *Lieutaud* Precis, T. II. Sect. 2. p. 120.

tiam, primarum viarum, cum maxime ventriculi et pulmonum mala, intelligenda et diiudicanda ineſt, vt bene GALENVS p): Etenim *lingua ſani hominis* ſubrubra, pura, aequalis, mollis, humida, calida, mediocris, mobilis ad guſtatum et tactum aptiſſima, eſſe debet. Quare et huc potiora praeſagia adtuliſſe iuuat.

v. PROSPER de Vit. et Mort. Praeſag. V. 9. p. 319 ſequ.

PROTH. CASVLANVS de lingua, qua maximum eſt morborum acutorum ſignum, Florent. 1621. 4. Colon. 1626. 8.

IO. MAVR. HOFFMANN reſp. GREG. HORSTIO Diſſ. Γλωσσογραφία τριμερὴς, Linguae ſtatum naturalem, praeternaturalem, et ſigna exinde petenda exponens, Altorf. 1677. 4.

FRID. HOFFMANN Diſſ. de neceſſaria ſaliuae inſpectione ad conſeruandam ac reſtaurandam ſanitatem, Hal. 1698. 4.

IO. REINH. KVSTNER Diſſ. de lingua ſana et aegra, Altorf. 1716.

IO. IAC. FICK Diſſ. de lingua morborum praeſaga, Ien. 1725.

ANDR. EL. BVCHNER reſp. PAVLI Diſſ. de Prognoſi ex lingua in quibusdam morbis formanda, Hal. 1748.

REGA Method. Medend. P. II. c. 5. Aph. 519. p. 200 ſequ.

SWIETEN Comm. in BOERH. Aph. 739. p. 448 ſequ. T. II. ed. Hildb.

Sinen-

p) Comm. V. in VI. Epid. 14. p. 733. III. et *Hipp.* Epid. VI. Sect. 5. p. 810 ſequ.

Sinenſium vero doctrinam de ſignis ex lingua v. ap. CLEYER de Indic. Morb. ex linguae color. et affect. p. 1 ſequ.

§. 862.

Poteſt ergo *lingua*

1) *Ratione coloris* eſſe *rubra* vel *ſubrubra*, *pallida* vel *alba*, *flaua*, *viridis*, *liuida*, *nigra*.

2) *Ratione molis* vel *nimis aucta*, vel *imminuta* ſ. *gracilis*.

3) *Ratione habitus mollis* vel *dura*, *denſa*, *ſicca*, *aduſta*, *caenoſa* ſ. *ſordida*, *viſcida*, *glutinoſa*, *inaequalis*, *aſpera*, *dimidiata* ſ. *biſulca*, *fiſſa*, *vlcerata*, *bullans*, *puſtulata*.

4) *Ratione virium tremula*, *contracta*, *conuulſa*, *reſoluta*.

5) *Ratione ſenſus dolens* vel *indolens*, *calida* vel *frigida*.

6) *Ratione ſaporis*, dum *acidum*, *acerbum*, *auſterum*, *amarum*, *ſordidum* cet. refert, de quo iam alio loco pluribus.

v. PROSPER l. cit.

§. 863.

Lingua rubra, i. e. naturali longe floridior, quae certe ſemper modice rubet et madet, maiorem ſanguinis aditum, reſtagnationem, incipientem inflammationem, fere denunciat; at in angina et pulmonum inflammatione q) peſſima quaeuis, praeſertim ſi nec cetera ſigna exitioſa deſunt. Hinc in febre putrida quodammodo ſplendet et praerubra eſt, et fere *cruenta* r) in peſtilentia et eryſipelate: quae ſi

q) *Hipp.* Epid. III. Sect. 2. Aeg. 7. p. 718.

r) Sic *Thucyd.* de Bell. Pelop. II. 49. et *Gorter.* Prax. T. II. L. I. 298. p. 15.

ſi vna *arida*, *impura* et ad radicem *puſtulis liuidis* [s]) obſita deprehenditur, in febre acuta, cum maxime lateris dolore, periculoſi morbi teſtis eſt. Contra *lingua ſubrubra* ſecuritatem [t]) pollicetur: Nam exinde abſentiam humoris vitioſi, tingentis, exuſti, putridi, et aperta vaſculorum minimorum oſcula, certoque ſubſecuturam membri huius humiditatem auguramur.

§. 864.

Lingua pallida et *alba* contraria omnia portendunt, quippe, auctore CASVLANO, in acutis morbis albida principium, pallida augmentum, flaua ſ. nigra ſtatum manifeſtat. Ex *alba* vero ſaliua viſcida et glutinoſa, pituita primarum viarum [u]) copioſa, morbus diu conſiſtens, inflammatio et febris vehemens, eaque continua colligitur, ſi vna *ſordida lingua* eſt. Ineſt fere febri continuae [v]), pulmonum inflammationi [w]), ceterisque pectoris morbis, quae a lympha affecta oriuntur, febri putridae in aphthas deſinenti, vel neruoſae, itemque rheumatiſmo et iis valitudinis aduerſae generibus, quae irritationi vel glutino [x]) debentur. Saepe *linguae dorſum cruſta alba et craſſa* [y]) obducitur, vnde vaſcula membranae externae imperuia, ſiccata et rigida, ſaliua vero nulla vel valde immutata colliguntur: Saepe *album* deprehenditur, quaſi *farina inſperſa* vel

s) *Huxham* Diff. de Pleurit. c. 2. p. 194. II.
t) *Proſper* l. c. p. 320.
u) *Hipp.* Praed. I. 3. p. 473. Epid. VI. Sect. 5. p. 810. *Sennert* Inſtit. III. P. I. Sect. 4. p. 583.
v) *Fien.* Semiot. l. c. p. 168.
w) Coac. §. 3. p. 560. Epid. VII. 5. p. 830. *Cael. Aurel.* Acut. Morb. II. 27. p. 138. ed. *Amm.*
x) *Sarcone* Neap. Krankh. T. II. §. 463. p. 154.
y) *Kloekhof* Hiſt. Epid. Febr. c. 4. p. 86.

caſeo lardoque z) obductum eſſet: Tunc fere nauſea, vomitus et alui fluxiones continuae inſequuntur, et morbi augmentum vitaeque periculum ſummum haec denunciant.

§. 865.

Lingua flaua ſ. *viridis* HIPPOCRATIS, eadem fere, quae praerubra, indicat, ſed maiora et vehementiora, prae ceteris vero bilem copioſam et primas vias obſidentem, humorum corruptionem et morbum putridum. Quare quo foedior et inquinatior colore croceo eſt, eo maior febris bilioſae impetus, aeſtus, et ſitis ob vaſcula incommeabilia erit, eoque difficilior morbi iudicatio a). Si ergo *lingua bilioſa* b) in principio acuti laterum doloris incidit, die ſeptimo decernetur; at ſi die tertio vel quarto, tunc dies nonus decretorius futurus eſt.

§. 866.

Lingua fuſca, punicea, perarida c), vaſcula papillarum peregrina materia referta, et halitu bilioſo infecta docet, et familiaris febrium ardentium comes eſt. At ſi *plumbea* d) in hydrope incidit, ſcire licet, mortem in propinquo eſſe. Itemque *liuida* e), quae ſaepiſſime febres continuas et inflammatorias ſequitur, peſſimam corruptionem, gangraenam et ſphacelum incipientem, et ipſam mortem praeſignificare dicitur, et ſi *liuida, frigida, aphthis* f) caeruleis

z) *Sarcone* l. c. §. 424. p. 127. *Swieten* Comm. ad Aph. 642. n. 2. p. 220. T. II.
a) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 5. p. 810.
b) Coac. §. 3. p. 587.
c) *Kloekhof* l. et p. cit.
d) *Bagliu.* Prax. I. p. 64.
e) *Proſper* l. c. p. 322.
f) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 96. II. *Ketelaer* de Aphth. p. 25-39.

ruleis vel nigricantibus obſita apparet, fatum ineuitabile inſtat.

§. 867.

De *lingua nigra* idem fere ſentiendum eſt. Ex ea enim motum humorum inteſtinum aeque concitatum, ardorem ſummum, exſpirationes humidorum aut nullas, aut acerrimas, inflammationem g) et gangraenam praeſagire licet. Communis ergo nota febrium ardentium h), peſtilentialium et inflammatoriarum eſt, nec, niſi cum peſſimis ſymptomatis iuncta et ſub nigrore humectata, terrere debet. Interdum et iudicationem die quarto et decimo i) futuram denunciat, eamque eo celeriorem, quo citius lingua nigreſcit. Attamen in acuta febre delirium k), in putrida, ſi vna ſicca eſt, nec facile exporrigitur, ſummam ſuccorum putredinem, et tantum non ſemper exitium futurum portendit. Neque raro poſt pulmonum morbos in iis, quos malus corporis habitus tenet, in extrema lingua materia quaedam nigra et ſpongioſa remanet.

§. 868.

Ex his perſpicuum eſt, cur *lingua nigra et pallida* ſ. ex pallida nigricans, itemque *nigra et viridis* vel *ex viridi palleſcens* l) omnium periculoſiſſima habeatur: etenim febrem ardentiſſimam m) et fere ipſam

g) *Hoffmann* Med. Rat. T. IV. P. I. p. 369. ed. Hal.
h) *Gal.* Loc. Affect. I. 5. p. 22. IV.
i) *Hipp.* Aph. VIII. 9. p. 110. L. Dier. Iud. §. 5. p. 435. et §. 8. p. 437. Coac. §. 2. p. 542. I.
k) *Gal.* in L. Vict. Acut. Comm. IV. 4. p. 686 ſeq. VI. et *Bagliu.* Prax. I. p. 102.
l) *Hipp.* Coac. l. cit.
m) *Gal.* Loc. Affect. I. 5. p. 22. IV.

ipſam mortem [n]) praeſignificat; cur eandem et extremam debilitatem *nigra et tremula* [o]) praeſagiat, et foedus ille color in deliris [p]) peſſimus augur dicatur; cur denique *nigra*, *ſicca*, *ſcabra*, ſciſſuris et veluti vſtione quadam notata ab RIVERIO letalis perhibeatur.

§. 869.

Praeter haec *lingua* in ingentem *molem extendi* atque *tumefieri* poteſt, ſed ſemper peſſimo cum omine, niſi per decretoriam ſuppurationem [q]) finiatur. Hinc *lingua extumida* in angina periculoſa eſt, et plurimos aegros ſuffocatos dimittit; at longe periculoſior eſt, ſi, quae paullo ante vehementer intumuit, derepente concidit [r]) atque imminuitur: tandem periculoſiſſima et mortiſera, quae *magna et nigra* [s]) eſt. Minus timeri debet, niſi alia ſigna peiora ſuperueniant, vbi lingua inde a naſcentia exſtantior fuit, vel a pituita aut carne excreſcente talis eſt, vel in variolis et aphthis [t]) incidit, itemque vbi poſt reſolutionem linguae et grauiora ventriculi vel pulmonum mala, et in hyſtericis oritur. Etiam *lingua tumidior*, *ſicca* et *balbutiens* [u]) delirium in propinquo eſſe docet. Quae ſi in pulmonum inflammatione *exſerta* [v]) eſt, ſcire licet, vehementiorem aeſtum et graue

n) *Hipp.* Epid. I. Sect. 3. Aeg. 11. 12. p. 682. et III. Sect. 1. Aeg. 2. p. 712. *Hoffmann* Diſſ. cit. Membr. III. Art. 43. p. 25.
o) Coac. l. cit. p. 543.
p) *Avicenn.* L. IV. Fen. 2. Tr. 1. c. 38. p. 823.
q) *Klein* Int. Clin. p. 174.
r) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 556.
s) Epid. VII. 37. p. 860.
t) *Klein* l. c. p. 165. et 174.
u) *Bagliu.* Fibr. Motric. II. p. 256.
v) *Hipp.* Epid. V. 22. p. 785.

graue malum ſubeſſe, cum maxime vbi praeter voluntatem per os manducantium more fertur. Contra *lingua nimis imminuta* et *contracta* haud raro febris vehementiam, aeſtum et humidi defectum propter oſcula minima cluſa denunciat, atque ex ceteris ſignis aeſtimari diiudicarique debet.

§. 870.

Bonum in acutis morbis ſignum eſt, *linguam humidam et mollem* eſſe: Nam haec tranſpirationem idoneam, aeſtum mediocrem et inflammationem nullam aut longe minimam ſubeſſe docent, ideoque proſperrima quaeuis augurari licet, vbi poſt grauem acceſſionem et ſiccitatem lingua humectari et cruſta ſordida defluere incipit. At malum eſt, eam citra rationem *molleſcere* [w]) cum nauſea, aluo fuſa et ſudore frigido; Niger vomitus exſpectandus eſt. Neque male HIPPOCRATES [x]) linguam madidam in hydropis ſanabilis ſignis collocandam cenſuit.

§. 871.

Lingua dura [y]) fere inflammationem, *dura et horrida* [z]) phrenitidem, et haud raro mortem [a]), ſiccitatem magnam [b]) et prae ceteris febrem ardentem denunciat. Vt vero *aſpera et ſcabra* [c]) ſtomachum, ventriculum et inteſtina non rite humectari ob denegatum aquoſarum molecularum aditum docet; ita

 lingua

w) Coac. §. 2. p. 543.
x) Praed. II. 11. p. 496.
y) *Gorter*. l. cit. p. 15. T. II.
z) *Hipp*. Praed. I. 3. p. 473. Epid. VI. Sect. 5. p. 810. Coac. l. cit.
a) Praed. I. 1. p. 471. et *Foëſ*. ad h. l. *Caſulan*. de Lingu. III. 12.
b) *Galen*. in Praed. I. Comm. I. 3. p. 622. IV.
c) *Aretaeus* de Curat. Acut. II. 3. p. 71 ſequ. Coll. *Steph*.

lingua ſub principio morbi *horrida* et coloris ſubſiſtentis, poſt *aſpera, liuida*, et *ſciſſa* d), mortifera eſt.

§. 872.

Familiaris febrium, cum maxime ardentium e), et phrenitidis, comes *lingua ſicca* eſt, et ex eo colligitur, ſaliuam ac ſerum deficere, papillas neruoſas quaſi ſubcriſpas, atque rigidas, ſanguinem vero ſpiſſiorem eſſe, ideoque ſubeſſe inflammationem internam viſcerum, praeſertim cerebri, pulmonum f), ventriculi. Quae lingua ſi madeſcere incipit, indicio eſt, conuulſione ſublata, vaſcula minima reſerari, et ſi reliqua conſentiant, valitudinem tutam futuram. At vbi aegri *linguam aduſtam* habent, neque *ſitim* conqueruntur, delirium, phrenitis, et ſi cum ſignis malis eſt, mors ff) ipſa imminet. Peſſima *lingua ſicca* eſt, quae, ore clauſo g), talis eſt, vel ſimul *inaequalis, horrida, aſpera vel glabra, fiſſa, vlcerata, nigricans* h) deprehenditur. Porro *ſicca, exuſta* et *ſubnigra cruſta* obtecta i) morbum grauem, et in peticulis k) euentum funeſtum, in acuto laterum dolore l) *ſordida et nigricans* incipientem

d) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 542.
e) *Gal.* l. cit.
f) *Hipp.* Epid. VII. 12. et 14. p. 837 ſequ.
ff) *Gal.* Comm. I. in III. Epid. 5. p. 504. III. *Hipp.* Coac. §. 2. p. 542. Epid. I. Sect. 3. Aeg. 12. p. 682. et Epid. III. Sect. 1. Aeg. 2. p. 712. *Avicenn.* L. IV. Fen. 2. Tr. 1. c. 38. p. 823. *Proſper* l. c. p. 344. *Rega* Meth. Med. P. II. c. 5. Aph. 523. p. 206.
g) *Gorter* l. c. p. 15.
h) *Proſper* l. c. p. 323.
i) *Lieutaud* Precis, T. I. Sect. 1. p. 8.
k) *Hoffmann* Med. Rat. T. IV. P. I. Sect. 1. c. 11. §. 5. p. 259.
l) *Swieten* Comm. in *Boerh.* Aph. 901. p. 66. T. III.

tem gangraenam, *ſicca et frigida* in inflammatione quacunque exitium, at *ſicca, calida et aſpera* m) in principio periculum vitae magnum, in ſtatu minus; denique *praeſicca lingua* in iis, quos febris ardens et angina n) exercet, inflammationem extremam et ſuffocationem propinquam denunciat. Etiam *ſicca et glabra*, et vernice quaſi obducta in febre putrida increſcente incidit; *Glabra* vero *et exuſta* o) vt humidi defectum, ſic *aſpera* et *exulcerata*, quae veluti fruſtulum carnis bubulae crudae repraeſentat, febrem aphthoſam annunciat. Tabidorum p) propria *ſicca et dura* eſt.

§. 873.

Lingua mucoſa, *coenoſa* ſ. *ſordida* q) et pellicula tecta, in morbis acutis ſuſpecta eſt, etſi non ſemper mala r), quippe multis ſanis s) familiaris eſt. In hac tamen ſaliua viſcida, pituita multa, ſolidorum laxitas, ventriculi inertia, et cruditates pituitoſae t), aeſtus, febris, inflammatio u), fere ſubeſſe putantur. Quae ſi vna *ſaporem malum* v) efficit, ſcire licet, digeſtionem laeſam et lymphae naturam vitiatam eſſe, indeque haud raro febres ſtomachicas praeſagiri poſſe. Grauis etiam morbi teſtimonium eſt, vbi aeger citra vllam euidentem cauſſam omnia *foetere* putat; ſpes tamen aliqua ſupereſt, vbi *foeda et*

 aſpera

m) *Hipp.* Epid. III. Sect. 1. Aeg. 2. p. 712.
n) Ibid. Sect. 3. Aeg. 7. p. 734.
o) *Gorter* Prax. T. II. L. I. 298. p. 15.
p) *Hoffmann* l. c. p. 554.
q) *Bagliu.* Prax. I. 13. §. 5. p. 149.
r) *Ballon.* Epid. II. p. 116.
s) *Hipp.* Epid. VII. 2. p. 826.
t) *Rega* Method. Med. l. c. Aph. 526. p. 210.
u) *Proſper* l. c. p. 321.
v) *Bagliu.* Prax. l. cit. et Diff. II. Exper. circa ſaliu.

aſpera in *ſubalbidam* [w]) transformatur: Nam haec febris remiſſionem praeſignificat.

§. 874.

Lingua fiſſa et vlcerata [x]) peſtiferae inflammationis atque febris vehementiſſimae index eſt. Hinc in iis, qui maligna febre [y]) decumbunt, *ſqualida, ſciſſa, vlcerata* et *puſtulis obſita*, peſſima eſt, at *horrida* inde a febre ineunte, *aſpera, fiſſa, ſubliuida* [z]), letalis. Hinc *ſciſſa et nigra* [a]) febri ardenti fere ineſt. Neque raro *lingua biſulca* ſ. *dimidiata* incidit, eaque et inflammationem, et febris remiſſionem breui adfuturam denunciat, in primis vbi ſimul *muco albo* et *craſſo* [b]) media vel extrema lingua obducitur. Qui quo craſſior eſt, eo propinquior iudicatio, etſi non ſemper ſatis tuta. Contra vbi *lingua bullans et puſtuloſa* [c]) eſt, quaſi ab ferro candente, aut ferro in oleum intincto, ex eo laticem ſaliualem acriorem, humidorum ad linguam aditum interclusum, exſpirationes pulmonis vel ventriculi rodentes, et iudicium morbi difficile [d]), certe die decimo et quarto demum per ſanguinis ſputa auguramur, interdum, praeſertim ſi *vna liuet* [e]), et peſſima ſigna adſunt, mortem proximam. Vnde perſpicuum eſt, cur apud *Mo-*

w) *Duret.* in Coac. p. 135.
x) *Hipp.* Dieb. Iudic. §. 5. p. 435.
y) *Proſper* l. c. p. 323.
z) *Hipp.* Coac. §. 2. p. 542.
a) *Hoffmann* Med. Rat. T. IV. P. I. Sect. 1. c. 11. §. 5. p. 391.
b) *Hipp.* Dieb. Iud. §. 2. p. 433. Coac. §. 2. p. 542.
c) *Rega* Meth. Med. P. II. c. 5. Aph. 528. p. 213.
d) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 557.
e) *Rhaſ.* ad *Manſ.* X. 21. *Alſahar.* Theor. Tr. VI. c. 18. *Conſtantin.* Afric. X. 10.

Moſen f) *bullae in lingua turgentes* magnitudine pentedactyli hominem breui obiturum praeſignificare dicantur.

§. 875.

Lingua tremula, *impotens*, *contracta*, ſi in morbis accidit, neruorum diſtentionem aut inſtantem, aut iam praeſentem, reſolutionem, deliria g), ſoporem, pulmonum affectus, deiectiones h), et poſt ſummum febris impetum, aeſtum atque ſiccitatem fatum ineuitabile denunciat. Hinc deliris et phreneticis i) vox ſtridula et tremula linguae conuulſio incidit. Interdum *contremiſcit* ac cum *narium rubore* eſt, et iudicationem ſalutarem per haemorrhagiam vel vomitum praenunciat, interdum cum deiectione multa et ſymptomatica k) iungitur, vbi verendum eſt, ne purgationes citatae ac perniciosae vitae clauſulam imponant. Certe *inſolitus linguae tremor* l) in ſignis malignitatis collocatur. Peſſima *lingua tremula et conuulſa* eſt: Nam nimiam ſanguinis ad caput congeſtionem, ſiccitatem, debilitatem, cerebrum grauiter affectum, deliria m), conuulſiones, phrenitidem, mortem, perraro iudicationem inſtantem, quae ſignis adiunctis aeſtimari debet, praeſignificat. Vnde intelligitur, cur veteres ea linguae ſymptomata, quae a ſiccitate dimanant, valde, ab plenitate vero non adeo reformidant, quoniam illa vehementiam morbi conſequuntur, haec aut ſub principio apparent, aut in ſignorum decretoriorum

f) Aphoriſm. Sect. V. 18. p. 102.
g) *Bagliu.* Prax. I. p. 102.
h) Coac. l. c. p. 543. et §. 6. p. 589.
i) *Hipp.* Praed. I. 3. p. 473. Coac. l. cit.
k) Coac. §. 2. p. 542.
l) *Boerh.* Inſtit. Med. §. 919.
m) *Galen.* in I. Praed. I. 20. p. 637. IV.

rum [n]) ſocietate. Tandem *lingua reſoluta* [o]) poſt apoplexiam oritur, eaque perraro ſanabilis, cum maxime in prouecta aetate hominibus. Facilius tamen manducandi et deglutiendi vis, quam ſermo reſtituitur.

§. 876.

Contra vbi *lingua ſenſus ac guſtus* expers eſt, ſic, vt aegris omnia fatua et veluti lignoſa eſſe videantur, ſcire licet, ſaliuam deficere et papillarum neruoſarum ſenſum obliteratum, certe paullo hebetiorem eſſe. Sin vero *ardens* eſt, valida in inflammationem propenſio aut vera inflammatio ſubeſt. At omnium longe periculoſiſſima *frigida* [p]) habetur, quippe in morbis acutis et peſtiferis mortem in propinquo eſſe docet.

§. 877.

Ex his perſpicitur, medico, niſi falli velit, attendendum eſſe morbi tempus, in quo accidant, et qua ratione alia aliam excipiat. Praeſtat enim, linguam a mala ſpecie ſenſim ad bonam deflectere, quam contra. Hinc bene DVRETVS [q]): *Si ex hiulca aſpera fiat, ex aſpera rigidiuſcula, ac tandem priſtinam laeuitatem et mollitiem amiſſam recipiat, eademque ſi progreſſus, vel potius, vt ita dicam, retrogreſſus faciat ex nigra in flauam, indeque in pallidam, mox in ſuaue rubentem, ſane ex ea mutatione ac veluti retrogreſſu in ſuum decorem coloris natiui, pro metu ſiniſtri iudicii conſolabitur medicum ſpe ſumma ſecundi.* Porro nec illud negligendum videtur, vt in iſto

n) *Hipp.* Epid. III. Sect. 1. Aeg. 1. p. 712. *Proſper* l. c. p. 326.

o) *Klein* Int. Clin. p. 211.

p) *Gorter.* Prax. T. II. L. I. p. 15. et *Riuer.* ap. *Rega* Meth. Med. P. II. c. 5. Aph. 530. p. 215.

q) In Coac. p. 105.

iſto iudicio linguam cibis aliis nec coloratam, nec detergendo vel abluendo repurgatam inſpicias, neque loco obſcuro, crepuſculo vel diluculo, ſed ſolis candelaeue radiis lucido examines.

§. 878.

Fauces graciles, *dolentes* et ſuffocandi metum incutientes r) vt plurimum neruorum diſtentionem ſignificant, praeſertim ſi poſt capitis dolorem oriantur; *liuidae* vero in ſcorbuto s) mortem. At ſi in febre continua ſerum ad fauces t) confluit, inflammatio ventriculi fere ſubeſt; ſi *pituita vitrea* u), aluus vitiata. Praeter haec in morbis acutis *fauces dolentes*, *graciles*, *paruae* velutique *conſtrictae* cum hiatu oris, delirium, et phrenitidem perniciosam, *exulceratae* vero, quae *cum febre* v) ſunt, itemque *leuiter aſperatae* et cum ſignis malis w) iunctae, v. c. torſione ventris, crebra deſidendi cupiditate, dolore faciei, flocculorum venatu cet. periculum ſummum; et ſi ad has ex improuiſo accedit *ſuffocatio* x), nullo in faucibus tumore conſpicuo, funeſtum exitum denunciant. Ex illis enim mala ſuccorum corruptio et gangraena ipſa colligitur, ex his peſtiferi morbi ad interiora gutturis et pulmones demigratio. Prae ceteris attendendae fauces in *angina* ſunt, in quibus *tumidae* et *inflammatae* et *foras conuerſae* plerumque ſaluta-

r) *Hipp.* Praed. I. 14. p. 479. Coac. §. 2. p. 545.
s) *Klein* Int. Clin. p. 268.
t) Ibid. p. 301.
u) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 36. p. 7.
v) *Hipp.* Progn. §. 22. p. 466. Praed. I. 11. p. 477. Coac. §. 2. p. 546.
w) Coac. l. cit.
x) Aph. IV. 34. p. 85. Coac. §. 2. p. 546. *Galen.* in Progn. Comm. III. 18. p. 803. IV. *Pezold* Progn. Febr. c. 2. §. 49. p. 34.

ſalutares ſunt; optimae vero, ſi ſimul ceruix, collum et pectus tali rubore ſuffunduntur [y]). Sed de variis anginae formis et ſignis v. Semiotices ſpecialis auctores.

K) FACIES HIPPOCRATICA.

§. 879.

Omnia omnino ſigna, quae adhuc commemoranda duximus, mala et peſtifera per ſe eſſe poſſunt, et faciem vultumque mutare incredibiliter. Sed eo magis aeger periclitari debet, quo vehementius vrgent, et quo magis inter ſe conſentiunt, et ſub hac peſſimorum ſymptomatum congerie ac conſpiratione facies, horrendum, quantum a naturali forma deflectere, veramque mortis proximae imaginem repraeſentare ſolet. Haec celebratiſſima priſcis abhinc temporibus *facies Hippocratica* eſt.

v. CHRIST. LANGE Facies Hippocratica leui penicillo adumbrata, Lipſ. 1651.

§. 880.

Inſunt vero in *facie Hippocratica* [z]) cutis circa frontem dura, intenta, ſicca, at frons ipſa contracta et ſudore frigido diffluens, ſupercilia et palpebrae ſubuerſae, pallidae, nec per ſomnum commiſſae, inter quas ex albo oculorum aliquid apparet, cornea tunica ſplendens et quaſi argentea [a]), humoris vitrei obſcuratio et viſus acies hebetata, oculi lumen refugientes, illacrumantes, peruerſi, imminuti vel ſublimes, tumidiores vel concaui [b]), ſordidi, liuidi,

y) *Hipp.* Progn. §. 23. p. 467. *Proſp.* V. 10. p. 327.
z) Hanc optime deſcripſit HIPP. Praenot. §. 2. p. 448. et Coac. §. 2. p. 540. I.
a) *Pezold* l. c. §. 41. p. 29.
b) *Galen.* in Progn. Comm. I. 13. p. 741.

di, nigricantes, nares acutae, earumque imae partes veluti inuerſae, ſubpallidae, decolores, labia lurida, mentum acuminatum, color totius faciei perpallidus, ſubuiridis, plumbeus, liuidus, niger planeque corruptus, tempora collapſa, aures contractae, languidae, et imis partibus leuiter verſae, pellucidae, frigidae, itemque frigus faciei intolerandum. Quae ſpecies dum ſtatim ab morbi principio citra euidentem cauſſam oritur, exitium futurum, et ſi in morbo vetere talis eſt, in propinquo mors [c]) eſt. Minus vero iſta facies terrere debet, quae a malignitate morbi non proficiſcitur, ſed a vigilia, ventris reſolutione, inedia, egeſtione quauis alia copioſa, moeſtitia [d]) cet. In his eam extenuari et collabi, periculoſum non eſt, niſi vna peſſima ſymptomata aegrum exercent.

L) COLLVM ET CERVIX.

§. 881.

Procliuiores ad ſputa ſanguinis et phthiſin creduntur, qui *collo procero et tenui* [e]) ſunt; at vero ad apoplexiam et morbos ſoporos, qui *collum craſſum et breuius* habent. Vehemens *arteriarum*, quae ad *collum* et tempora pertinent, ſuccuſſus vbi in febre acuta incidit, dolorem capitis grauem, delirium, phrenitidem, conuulſiones [f]), in angina ceterisque faucium morbis, impeditum ſanguinis traiectum, in longis tenacitatem humorum ſignificat: contra *dolor* *et*

c) Id. l. cit. p. 735. et *Celſ.* de Medic. II. 6. p. 54. *Lieutaud* Precis de la Med. Prat. T. I. Sect. 1. p. 7.

d) *Hipp.* Praen. et Coac. l. cit.

e) *Gorter* Prax. T. II. L. II. 366. p. 22.

f) *Gorter.* l. cit.

et tenſio g), ſi cetera ſigna non deſunt, narium haemorrhagiam, et *inuerſura* ex conuulſione vel reſolutione neruorum, grauiſſima cerebri mala, in acutis vero *ſubita h*), ſub qua deglutitio laeditur, nec tumor apparet, periculum ſummum, et ſi *ceruix* vna *dura* eſt, et *dolet*, maxillae vehementer conſtringuntur, arteriae temporum perniciſſime ſe dilatant et contrahunt, atque tetanus *i*) accedit, perniciem certam; Sin vero *inſudat k*) et peſſimis cum indiciis copulatur, vomicam portendit.

§. 882.

In *angina l*) bonum eſt, aegrum melius reſpirare, loqui, deglutire, febrem remittere, et collum rubere atque leuiter intumeſcere: Nam ex eo colligimus, malum foras efferri: Contra vbi, ſubſiſtentibus illis ſignis, vel in peius tranſituris, et praerubrum collum eſt, et inflatur, ſcire licet, vtrasque faucium partes cum externas, tum internas, peſſime ſe habere, et deſperandum aegrum videri. Peſſimum ſignum eſt, ſi colli externi inflammatio derepente et citra vllam euidentem cauſſam deſinit, ad interiora deſcendit, et grauitatem pectoris, delirium, duram dormiendi neceſſitatem inducit: Spes tamen aliqua ſupereſt, vbi denuo eo, vnde abierat, rediit, id quod dolor, rubor, tumor, ſatis ſuperque docent.

M) DOR-

g) *Hipp.* Praed. I. 19. p. 483. Coac. §. 1. p. 530. Epid. I. Sect. 2. p. 662. I.

h) Aph. IV. 35. p. 85. et VII. 58. p. 196.

i) Coac. §. 2. p. 545.

k) Ibid. §. 3. p. 560.

l) Coac. §. 3. p. 555. *Pezold* Progn. Febr. Acut. c. 2. §. 50. p. 35.

M) DORSVM.

§. 883.

Neque *dorſum* in morbis acutis ac longis negligi debet, quippe eius inſpectio plurimum valet ad naturam malignarum febrium intelligendam et praeſagiendum exitum.

v. PROSPER de Praeſ. Vit. et Mort. V. 10. p. 326 ſeq.

§. 884.

Erumpunt vero prae ceteris hoc in loco *puſtulae milio* vel *pulicum morſibus adſimiles*, quas vulgo *peticulas* nominant, interdum *maculae magnae et latae*. Dicuntur ergo *bonae*, quae decretoriae ſunt, i. e. poſt coctionis ſigna et cum aegri alleuamento apparent, rubent, numero et magnitudine m) augentur; id quod raro accidit. Contra *malae* cenſentur, et tantum non ſemper *exitiales*, ſi morbum malignum conſequuntur, et nimia multitudine n) efflorescunt; ſi colore liuido vel nigro ſunt, certae putredinis humorum indices; ſi exiguae o) ſubſiſtunt, nec attolluntur; ſi ſubito intra p) reuertunt, vel peſſimis cum ſignis q) incidunt. In *longis* vero *cutis dorſi* facile *detegitur*, et niſi colorem foedum refert, terrere non debet.

N) THORAX EIVSQVE PERCVSSIO.

§. 885.

Qui *thorace anguſto* ſunt, aſthma et phthiſin timere debent; *gibberoſi* vero et *anheli* haud raro vitae bre-

m) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 530.
n) *Thucyd.* de Bell. Pelop. II. 49.
o) *Hipp.* Epid. I. Sect. III. Aeg. 2. p. 674.
p) Ib. Sect. II. p. 660.
q) Ib. Sect. III. Aeg. 9. p. 680.

breuioris ſunt. Hinc, auctore HIPPOCRATE r), *pectus quadratum et hiſpidum* cum cartilagine modica et carne iuſta in ſanis bonum eſt, et *papillae pallidae* s) in feminis labem vteri ſubeſſe teſtantur. Neque deſunt obſeruationes, vbi ex *cartilaginis enſiformis prolapſione* t) marcor, ab *cartilaginum coſtarum oſſeſcentia* u) aſthma, a *depreſſione oſſis pectoris* v) aſthma et orthopnoea orta fuiſſe perhibentur.

§. 886.

Inter bona indicia *pectus* eſt, quod in febribus *nec tumeſcit, nec dolet* w), neque a ſano diſcrepat. At ſi *praecalidum* x) eſt, et extremae partes membrorum inalgeſcunt, indicio eſt, ſanguinis curſum per minimorum vaſculorum anguſtias non fieri, per maiora ferri perniciſſime, ideoque fere fata inſtare. Si in pulmonum inflammatione *pectus rubet ac tumet*, et ſpiratio facilior y) incidit, bonum ſignum eſt, quippe mali materia ad exteriores partes efferri et ſpes ſupereſſe videtur. Contra periculoſiſſimum et funeſtum eſt, ſi atro vel liuido colore quaſi inficitur, et maculis diſcoloribus interſtinctum apparet, dolor vero, ſpirandi difficultas ceteraque non remittunt, ſed exacerbantur. Tunc enim communis inflammatio et gangraena in propinquo eſſe ſolet.

§. 887.

r) Praed. II. 12. p. 497.
s) Epid. VI. Sect. 5. p. 811.
t) *Tulp.* Monit. Med. n. 35. ad calc. Obſ. Med. p. 387. ed. ſext.
u) *Vogel* Progr. Obſ. binae de aſthmate ſingul. ex cartil. coſt. oſſeſcentia, Gott. 1773.
v) *Vater* Caſ. Singul. Aſthmatis a depreſſ. ſterni, Viteb. 1730. rec. in *Haller.* Diſp. Pract. T. II. n. 48. p. 127 ſq.
w) *Hipp.* Praed. I. 7. p. 475.
x) *Pezold* l. cit. c. 2. §. 51. p. 35.
y) *Hipp.* Aph. VII. 49. p. 106.

§. 887.

His ſignis, quae a pectore ſumuntur, *percuſſionem thoracis* nuperrime LEOPOLDVS AVENBRVGGER addidit, et *ex eius ſonituum reſonantia varia de interna conſtitutione caui huius iudicium ferri poſſe* contendit. De huius inuenti praeſtantia pluribus anquirere non attinet, cum, ſi ſatis vera et certa iſta exploratio fuerit, ad morborum abſtruſiorum cognitionem et curationem plurimum conferre debeat. Eſt certe inuentori tam certum, quam quod certiſſimum, vtilitatem haud ſpernendam hoc ex ſigno in artem medicinalem redundaturam, quippe illud *primum locum poſt explorationem pulſus et reſpirationem promereatur.* Sed noſtri eſt, potiora attuliſſe.

v. AVENBRVGGER Inuentum nouum ex percuſſione thoracis humani, vt ſigno, abſtruſos interni pectoris morbos detegendi, Vindob. 1761.

CAR. LVD. NEVHOF, Praeſ. Ill. ISENFLAMM, de difficili in obſ. anat. epicriſi, Comment. IV. Erl. 1773. vbi ſimilia ſe in morbis pectoris obſeruaſſe profitetur.

§. 888.

Eſt igitur ſonitus thoracis, qualis tympani inuoluti vel tecti, et varie impellitur, ſic, vt in ſiniſtro latere, vbi ad cordis regionem ventum eſt, quandam plenitatem, fortemque reſonantiam reddat, os pectoris et ſpina dorſi clare reſonent, ſalua macilentorum et toroſorum differentia. Inueſtigatio vero digitis ſummis adductis ad ſe artius et in rectum porrectis lente ac leniter fiat, induſio ſuper pectus extento, manu munita manica, aëre varie ducto et reddito, antica thoracis pars, latera, dorſum pulſentur, et tunc temporis, niſi aequaliter reſonent, vel alibi fortius,

alibi remiſſius, alibi denique carnis mollis ſonum referat cet. vitium aliquod in pectore inſidere dicitur.

§. 889.

Eſt vero *ſonus non ſatis reſpondens, manifeſtus et inaequalis*, ſub auctore AVENBRVGGERO[z]), index *magnae extrauaſationis liquidorum in vaſis huius caui* certiſſimus. Qua de re nec infrequenter in febribus acutis, in pectoris inflammationibus[a]), etiam in exanthematicis, incidit; *ſub termino decurſus* autem, *ſi excretiones materiae peccantis non reſpondent morborum magnitudini.* Itemque hoc inflammationis ſignum apparere debet *die indice*, i. e. quarto vel ſerius, in latere affecto, ſi membranam laterum ſuccingentem, vel pulmones, vel vtraque ſimul humida tuſſis exercet, contra abeſſe in pleuritide ſicca, inflammatione mediaſtini, pericardii, cordis; debet etiam inde ab hoc die pro morbi natura creſcere vel decreſcere[b]), tandem die decretorio vel morte finiri, vel veram iudicationem per egeſtum conſequi, vel in morbum alium transformari. Hinc eo periculoſior inflammatio putanda eſt, quo minus ſonus diſtinctus eſt, et eo magis diffunditur, ſi ſiniſtrum latus, pars thoracis inferior, et omnium maxime poſterior affecta ſunt. Mortiferum eſt, vniuerſum thoracis latus et os pectoris ſonitum non reddere, vel in cordis regione talem eſſe, qualis a carne percuſſa[c]) naſcitur.

§. 890.

Sonus thoracis praeternaturalis in diuturnis morbis[d]) a multis et longe diuerſiſſimis cauſſis provenit.

z) l. cit. Obſ. 4. p. 27.
a) Ib. p. 30.
b) Ib. p. 35 ſq.
c) Ib. p. 38 ſq.
d) Ib. Obſ. 6. §. 26. p. 40 ſq.

venit. Sic *ſartores* e) et *molitores*, quorum pulmones ſunt debiliſſimi, ſonitum quaſi ſuffocatum reddunt, et procliuitatem ad phthiſin denunciant; *ſutores et textores* certo anheli fiunt, et ſemper peſſimum ſignum eſt, vbi quis ſub tali vitio emacuit, vel vires marcuerunt f). Tunc enim colligitur, *pulmonem aut a vicinis heterogeneis preſſum, aut a morboſa materie infarctum, aut ab acrimonia intus genita exeſum eſſe.*

§. 891.

Tali ſono obſcurato etiam *magna humidorum extrauaſatio* g), v. c. ſucci alibilis, ſanguinis, ſeri, lymphae, detegitur. Quod dum accidit, ſonitus ad illum vſque locum, quo humor reſtagnans h) pertinet, et altitudinem, quam habet, quaſi obſcuratur. Attamen *percuſſioni non parent* i) tuſſes ſtomachicae et conuulſiuae infantum, grauidarum, pituita redundantium, tuſſis, qua durata materia reiicitur, difficilis ſpirationis varia genera, aſthma hyſtericum et hypochondriacum, aſthma ſenum neruoſum, phthiſis, exiguus pulmonum callus et ſcirrhus, vomica exigua et reſtagnatio humidi leuis cet. At paullo poſt k) hoc ſigno vomica operta vel in aſperam arteriam effuſa, itemque alia vitia manifeſtari auctor eſt.

§. 892.

Hydrops pectoris l) in quo demum cunque latere haereat, iſta percuſſione ſola facillime cognoſcitur. Debet enim *affectum latus et ex integro aqua plenum*,

e) Ib. p. 46.
f) Ib. p. 51.
g) Ib. Obſ. 7. §. 30. p. 52.
h) Ib. p. 55.
i) Ib. Obſ. 8. §. 33. p. 56 ſq.
k) Ibid. p. 56. vbi de ceteris ſignis multa praeclara.
l) Ib. Obſ. 12. §. 45. p. 81 ſq.

ſi percuſſeris, nusquam reſonare; magis in loco vacuo. Similis fere ratio eſt, ſi in vtroque latere aqua haeret. At ſi *hydrops pericardii* m) ſubeſt, ſonitus eo loco, quo cor ſitum eſt, veluti ſuffocatus, obtuſior, et talis, qualis ex fruſtulo carnis percuſſa eſt, obſeruatur. A *ſanguine reſtagnante* n) ſonus in eo loco, in quem humidum arteriae proſiliit, nullus eſt; at in *aneuryſmate* locus is, quo cor collocatur, percuſſus circumquaque reſonat, quaſi ex carne impulſa. Reliqua ſigna ſi cuius ſcire curate intereſt, apud AVENBRVGGERVM legi relegique poſſunt.

Schol. HIPPOCRATES Coac. §. 3. p. 565. I. perhibet, in ſuppuratis humeros motos, ſi multum ſtrepant, minorem puris copiam, quam ſi qui modice ſtrepant, et colorem ſpirationemque bonam habeant, indicare: Contra ſi ſtrepitus nullus ſubſequatur, dyspnoea valida vrgeat, et vngues liueant, pus abundare, et perniciem certam eſſe.

o) PRAECORDIA.

§. 893.

Magna in morbis acutis ac longis vis *praecordiorum* eſt ad euenta praeſagienda, eamque ob cauſſam diuinus HIPPOCRATES o) et arterias et praecordia tangi a medico voluit. Hoc nomine vulgo comprehendunt, quicquid coſtis ſpuriis et iliis in vtroque latere ſubiacet, ideoque et ipſa viſcera intra ſita. De diuerſo praecordiorum ſignificatu videatur PROSPER ALPINVS p).

v. LV-

m) Ib. p. 88.
n) Obſ. 13. §. 47. p. 91.
o) *Hipp.* Praedict. II. 5. p. 491. I.
p) De Praeſ. Vit. et Mort. V. 11. p. 319.

v. LVTHER Diſſ. de peritonaeo integrae ſanitatis et ambig. morb. indice, Erford. 1734.

ACKERMANN Diſſ. Praeſagia Medica ex praecordiis, Gott. 1752.

SCHMIEDEL Diſſ. de praecordiis, Erlang. 1753.

ANDR. EL. BVECHNER reſp. BOEHME Diſſ. de inflatione hypochondriorum frequentius ſiniſtrum, quam dextrum infeſtante, Hal. 1758.

§. 894.

Inter *bona* indicia ſunt *praecordia*, ſi in morbis ſanorum et recte valentium adſimilia apparent, i. e. modica naturalique craſſitudine [q]), ſi nec dolent, et in vtroque latere mollia ac aequalia [r]) reperiuntur; ſi decretorie tenſa, inaequalia, tumida, modice dolentia [s]): haec enim narium haemorrhagiam ſignificant, cum maxime ſi ſine dolore intenduntur; at ſi cum dolore [t]), inflammationem, praeſertim ſepti transverſi, itemque abſceſſus decretorios et parotides [u]), vbi anxietas, aeſtus et dolor capitis accedunt.

§. 895.

Ex his perſpicuum eſt, *praecordia paullo tumidiora*, *mollia*, digitis cedentia, nec dolentia [v]), minus timenda eſſe, et longum morbum, certe ſeram, at tutam iudicationem denunciare; *tenſa citra dolorem prae-*

q) *Hipp.* Aph. II. 35. p. 75.
r) *Hipp.* Progn. §. 5. p. 452. Coac. §. 2. p. 546.
s) Praedict. I. 20. p. 484. et *Gal.* Praeſ. ad Poſt. c. 13. *Swieten* Comm. in Aph. 741. p. 462. II.
t) Coac. §. 2. p. 547. *Gal.* Loc. Affect. V. 3. p. 122. IV. et Criſ. III. 12. p. 552. ſq.
u) Coac. ib. p. 548.
v) L. Iudic. §. 5. p. 441. Coac. §. 2. p 547. Progn. §. 6. p. 452. *Celſ.* II. 3. p. 49.

praecordia haud raro eſſe decretoria, eaque praecedere febrem acutam, capitis grauitatem, ſurditatem, aciem oculorum hebetem, ruborem oris rel. vnde intelligitur, conuulſiones abdominis ſanguinem ad caput vrgere, eumque per nares erupturum; contra ſi *ſubito attolluntur praecordia*, vnaque murmura ventris et lumborum dolor incidunt, deiectiones [w]) adfuturas, niſi flatus vel vrina multa ſubſequantur: *praecordia diſtenta* cum laterum dolore ac ſplenis tumore [x]) in febre acuta haemorrhagiam narium portendere, poſt iudicium vero recidiuam; *praecordiorum grauitatem* [y]), ſi qua inter reſpirandum citra febrim perſentiſcitur, obſtructionem aut quamuis aliam hepatis affectionem; *dolorem* [z]), poſt quem febris oritur, terribilem non eſſe; itemque bonum eſſe, vbi *partes circa vmbilicum et pubem* [a]) naturaliter craſſa planaque cute ſunt; at malum, emarcidas et liquatas; tandem peſſimum, ſi intra rumpuntur [b]).

§. 896.

Mala vero et haud raro *exitioſa* ſunt *praecordia*, quae in morbis acutis intenta, dura, dolentia, inaequalia [c]) apparent; vel tenuata et tabida [d]), inflammata, dextra ſiniſtraque parte inaequaliter affecta [e]), tumidiora [f]), cum maxime ſi vniuerſa compages ta-

lis

w) Aph. IV. 73. p. 89. Coac. §. 2. p. 548.
x) Epid. II. Sect. 3. p. 700.
y) *Gal.* Loc. Aff. II. 8. p. 48. IV.
z) *Hipp.* Aph. VI. 40. p. 52. Coac. §. 2. p. 484.
a) Aph. II. 35. p. 75. et *Lomm.* Obſ. Med. III. p. 337.
b) Coac. §. 2. p. 547.
c) Ibid. et Progn. §. 5. p. 452.
d) Aph. II. 35. p. 75.
e) *Avicenn.* L. IV. Fen. II. Tr. 1. c. 44. p. 824.
f) *Hipp.* Coac. l. cit.

lis eſt; minus, ſi ſiniſtrum [g]). Haec enim ſub principio mortem citam, et poſt viceſimum diem ſuppurationem denotant, niſi ſanguis e naribus profluat. *Mala* etiam *praecordia* ſunt, quae ex aluo ſuppreſſa [h]) tument, praeſertim in morbis longis tabidis vel deiectione; quae cum ſuppuratione [i]), copioſa alui proluuie, faſtidio multo et vomitu, ſyncope, febre continua, nec, aegro integro, ſunt; quae *pulſant digitos* [k]) extra tempus iudicationis, et ſub quibus ſiccitas multa oris et vniuerſae cutis aegrum exercet, quippe haec in acutis inflammationem grauem indeque oriundum ſingultum, perturbationem rerum, delirium, vehemens, quocum creberrime oculi mouentur [l]), et cum ceteris ſignis malis exitium annunciant.

§. 897.

Praeter haec *praecordia ſublimia* vel *introrſum reuulſa* [m]) inflammationem ſepti transuerſi vel alius viſceris opertam et periculum magnum teſtantur; *exſtantiora*, *dura*, *calida* [n]), inflammationem non penitus iugulatam, eamque mortiferam, ſi larga puris egeſtio non confert, aeger defetiſcitur, vires languent, et plura mala ſigna vrgent. Hinc recte HIPPOCRATES [o]) praecordia tenſa, dolentia, et poſt copioſum

g) Progn. §. 6. p. 452.
h) Coac. §. 2. p. 548. et §. 3. p. 565.
i) Progn. I. 4. p. 474. Coac. §. 2. p. 547.
k) Progn. §. 5. p. 452. Coac. §. 2. p. 548. *Gal.* in Progn. Comm. I. 32. p. 752. *Bagliu.* Prax. I. p. 63. *Fien.* Semiot. p. 171.
l) Progn. l. cit.
m) Epid. III. Sect. 1. Aeg. 3. p. 714. et *Gal.* in Progn. l. cit.
n) *Bagliu.* l. cit. et prae ceteris *Hipp.* Progn. §. 6. p. 453. *Proſp.* l. cit. p. 338.
o) Coac. §. 2. p. 548. Epid. I. Sect. III. Aeg. 11. 12. p 681 ſq.

egeſtum ſubſiſtentia letalia pronunciauit, cum maxime in febribus putridis, ſiquidem haec ab humorum putredine, reſolutione ventriculi atque inteſtinorum proficiſcuntur, et in moribundis p) frequenter apparent.

§. 898.

Quare nec *ventris meteoriſmus* negligendus eſt, ſub quo aegrorum venter, praecordia, inteſtina, ad finem acceſſionis conuulſiuae vel morbi acuti, incredibile, quantum ſine dolore atque cum grauitatis ſenſu inflantur atque attolluntur. Quae inflatio ſi in acutis ſubſiſtit et cum malis ſignis q) eſt, ſcire licet, mortem in propinquo eſſe, certe morbum intutum, cum viſcerum vis exinde labefactari debeat: In putridis r) vero putredinem peſtiferam ab aëre fixo in elaſticum transformato et ipſam mortem denunciat. In acuto laterum dolore s) ſi a flatibus oritur, et venter ſe attollit viciſſimque ſubmittit, ſecuritatem, et die decimo iudicationem bonam pollicetur. Vt vero in morbis longis t) venter praeter rationem et derepente extumidus, itemque ſub quo neceſſaria egeſtio non cohibetur, conuulſionem aliquam ſubeſſe atteſtatur, ſic *tumor* is, qui *poſt partum* naſcitur, vbi inueterauit, inſanabilis eſt: recens nonnunquam largo ſanguinis vel alui proluuie reſoluitur.

v. MORGAGNI de Sedib. et Cauſſ. Morb. Epiſt. 38. n. 23. p. 98. T. II.

SAR-

p) *Huxham* de Febr. c. 8. p. 97. II.
q) *Hipp.* Aph. VIII. 17. p. 111. *Bagliu.* Prax. I. p. 63.
r) *Ballon.* Defin. Med. p. 198. *Huxham* l. c. *Sarcone* l. c. §. 717. p. 123 ſq.
s) *Bagliu.* Prax. I. 9. §. 1. p. 37.
t) *Hipp.* Praed. I. 13. p. 479. Coac. §. 1. p. 528.

SARCONE Geſch. Neap. Krankheit. T. III. §. 710. p. 117 ſq.

COMBALVSIER Trait. des Maladies venteuſes, chap. 1. n. 6. p. 8 ſq.

§. 899.

Neque raro accidit, vt, dum crebrae deiectiones *u*) aegrum fatigant, manu in ventrem impoſita, *motus nullus* perſentiſcatur, etſi copioſi flatus mittuntur: Tunc ſpes proxime finiendi morbi eſt. At vbi *abdomen frigidum* in iis apparet, quos inteſtinorum tenuit inflammatio aut puerperium, gangraena in propinquo eſt, vel ſi tardius oritur, hydrops aſcites et febris erratica tandem iugulans pertimeſci debet.

P) EXTREMITATES CORPORIS.

§. 900.

Latiori ſenſu GALENVS *v*) iſto nomine etiam aures et nares complexus eſt; quae quid in morbis acutis ac longis ſignificent, ſuperius multis explicatum eſt. Hinc nos ſolos recentiores medicos ſecuti per extremas partes *manus et pedes* intelligimus.

v. PROSPER de Praeſag. Vit. et Mort. V. 14. p. 341.

BVECHNER Diſſ. de varia manuum geſticulatione in morbis ominoſa, Hal. 1754.

§. 901.

Signum ergo in morbis acutis ſemper *bonum* eſt, vbi *extrema* quam minime a naturali lege abhorrent, vbi nec nimis incaleſcunt, nec inhorreſcunt, certe ſubito calor moderatus redit; vbi color membrorum eſt, qualis, ſanitate integra, fuit, et non, niſi ſangui-

u) Praed. II. 32. p. 511.
v) In Progn. Comm. II. 21. p. 661. IV.

ſanguine decretorie huc delato, ſubruber ac inflammatus; vbi quis manus pedesque lectulo continet, neque nudat, vel inaequabiliter diſpergit, cet. *Mali* vero et tantum non ſemper *pernicialis* morbi teſtimonium eſt, ſi in acuta febre brachia et crura frigent *w*), ſi externa refrigerantur, interna vruntur *x*), neque illa recaleſcunt, ſed ſitis vehemens *y*) vrget; ſi palleſcunt, vel colore liuido ac nigro *z*) deturpantur; ſi ipſi muſculi, per volas manuum pedumque plantas diſperſi *a*), contabeſcunt, et lineae quaſi abolitae videntur; ſi proterue huc illuc iactantur, vel frigida et nuda dependent, etſi nullus calor *b*) ſubeſt; ſi ſubito et praeter ſpem permutantur *c*); ſi aegri, abiecta verecundia, pudenda identidem reuelant *d*): id quod aut delirium, aut imbecillitatem vniuerſi corporis manifeſtat; ſi manus ſaepius naribus admouent, quaſi aliquid abſterſuri; ſi in veſte floccos et feſtucas legunt, fimbrias diducunt, vel in adiuncto pariete, ſi qua minuta eminent, ſtudioſius carpunt *e*). Sed de his alio loco pluribus.

§. 902.

Porro et periculoſi morbi teſtimonium eſt, ſi poſt grauem ventris dolorem *f*) extremorum frigus oritur, aut aegri manum tangenti medico ſubtrahunt.

w) *Hipp.* Aph. VII. 1. p. 103.
x) Coac. §. 1. p. 530. Epid. I. Sect. III. Aeg. 1. p. 673. *Celſ.* II. 4. p. 51.
y) Aph. IV. 48. p. 87. et VII. 72. p. 199.
z) Epid. I. Sect. III. Aeg. 1. 2. p. 672 ſq.
a) *Cleyer* de Medic. Sinic. P. II. §. 38.
b) *Hipp.* Progn. §. 3. p. 450. Coac. §. 3. p. 571.
c) Aph. IV. 48. p. 87. Coac. §. 1. p. 526.
d) *Proſp.* l. c. p. 342.
e) *Hipp.* Progn. §. 4. p. 451. *Gal.* in Progn. Comm. I. 26. p. 748. IV. *Celſ.* II. 6. p. 55.
f) *Hipp.* Aph. VII. 26. p. 104.

hunt g). Sin vero *manus* in febre acuta *contremiſcunt*, febrem longam et iudicationem intutam h), conuulſionem, delirium i), et narium haemorrhagiam k) portendunt. At *pedes tumere*, commune hydropis l) vitium eſt.

§. 903.

Digiti longis in morbis fere frigent m), in tabidis calent; in raphania n) ſi *ſtupent*, ſanitatem, *extremi recuruati* o) vero malum grauius oſtendunt, et ſi liuent ac plumbei p) videntur, funeſtum exitum et mortem propinquam: nam in extremis arteriis ſanguis reſtagnat. Idem fere de *vnguibus* ſentiendum eſt, ſi in febre acuta vel hydrope laborantibus accidunt. Attamen *pallidi* q) in acutis, ſi cetera ſigna conſentiunt, horrorem decretorium; in phthiſicis vero aeque atque *adunci* r) mortem portendunt. Saepe *digiti vehementer mouentur* s), id quod febrem validam, delirium propinquum et periculum vitae haud leue, in pueris etiam roſiones vermium deſignat. At ſi manus, genua et pedes calent, nares atque

g) *Lieutaud* Precis, T. I. Sect. I. p. 11.
h) *Hipp.* Iudic §. 8. p. 443.
i) L. Vict. Acut. §. 49. p. 308.
k) Ib. §. 48. p. 307. II.
l) *Galen.* in Progn. Comm. II. 2. p. 759.
m) Ib. t. 60. p. 785.
n) *Lentin* Beobachtung. n. 1. p. 79.
o) Ibid. p. 80.
p) *Hipp.* Aph. VIII. 12. p. 111. Progn. §. 8. p. 454. *Celſ.* II. 6. p. 55. *Huxham* Obſ. de Aëre 1740. p. 285. T. I.
q) *Hoffmann* Med. Rat. T. III. Sect. I. c. 15. §. 14. p. 345. et p. 352.
r) *Gal.* Loc. Affect. I. 5. p. 22. IV.
s) *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 433.

que aures frigent [t]), vtplurimum lienis obſtructio ſubeſſe ſolet.

v. CAMILL. BALDI Comm. de naturali ex vnguium inſpectione praeſagio, Bonon. 1629.

§. 904.

Huc etiam referenda videtur *cutis* in *vola corii inſtar tenſa et dura* [u]). Quae ſi iis ſuperuenit, quos inflammatio viſcerum, cum maxime vteri, occupat, ſcire licet, mortem appropinquare, eamque paucis diebus poſt adfuturam eſſe.

CAPVT X.

DE AEGRI CVBITV, VT SIGNO.

§. 905.

Decubitum aegri negligere, nefas et turpe medico eſt. Hinc enim coniectando adſequimur, qualis ſit virium vitae conſtantia vel infirmitas, ſiquidem varii in variis morbis corporis motus, variaque membrorum grauitas eſſe debet, et aeger ſurſum deorſum, prorſum retrorſum, ferri, ſupinus vel pronus cubare, interdum nullo modo ſe mouere, verſare, erigere, ſuſtinere poteſt, ideoque ex his multa elici ſigna poſſunt ad euentum morbi definiendum, v. c. delirium, neruorum diſtentio, haemorrhagia, abortus, partus, inflammatio, ſphacelus, aphthae, iudicatio, cet.

v. PROSPER. III. 2. p. 160 ſq.

FRID. HOFFMANN reſp. FEVERLIN Diſſ. de ſitu erecto in morbis periculoſis valde noxio, Hal. 1732.

BVECH-

t) *Hipp.* Epid. VI. Sect. II. p. 800.

u) Hanc in propria vxore obſeruauit Cl. PEZOLD Progn. Febr. Acut. c. 2. §. 55. p. 38 ſq.

BVECHNER Diſſ. de neceſſaria medici ad aegrot. cubitus attentione, Hal. 1753.

Ill. TRILLERI Clinotechnia Medica, Frf. et Lipſ. 1774.

§. 906.

Bonus eſt *decubitus*, qui a conſuetudine naturali non abhorret [v]), i. e. ſi aeger in vtrumque latus molliter cubat, prouti viſum eſt, ceruice, brachiis cruribusque paullulum reductis, quocunque ſe vertere, ex facili adſurgere, membra ſuſtinere, et corporis ſitum quam accommodatiſſimum [w]) quaerere poteſt. Etenim vbi in latus cubare [x]) non licet, locus affectus vel debilitas extrema indicatur.

§. 907.

Contra *malus* et haud raro *exitialis* eſt *cubitus*, qui ab iis, quos iam commemoraui, modis diſſentit, eoque magis deſperanda ſalus eſt, quo magis praeter conſuetudinem eſt. Huc refertur grauitas totius corporis [y]), ceruicis, ſpinae dorſi, brachiorum et crurum [z]), nulla cauſſa euidenti antegreſſa; cubitus, ſub quo mentum elatius vel ad pectus adpreſſum apparet, cubitus ſupinus [a]), extremis paſſis et diſperſis, cubitus pronus [b]), qui aut ventris dolorem, aut delirium, aut debilitatem peſtiferam ſubeſſe teſtatur; cubitus vero in alterutrum latus continuus [c]) inflammationis ſedem fere denunciat.

§. 908.

v) *Hipp.* Coac. §. 3. p. 571.
w) Progn. §. 3. p. 450. et §. 8. p. 454.
x) *Gal.* in Progn. Comm. I. 16 p. 743. IV.
y) *Hipp.* Progn. et Coac. l. cit.
z) *Gal.* in Progn. Comm. II. 7. p. 762.
a) *Hipp.* Progn. §. 3. p. 450. et *Gal.* in Comm. ad h. l.
b) Progn. §. 4. p. 450. Epid. V. 34 p 794. VII. 57. p. 876. *Galen.* in Progn. Com. I. 18. p. 741.
c) *Pezold* Progn. Febr. c. 2. §. 34. p. 25.

§. 908.

Malum etiam ſignum eſt, vbi aeger hiante ore ac multum dormit [d]), genubus contractis vel vehementer complicatis; id quod delirantium [e]) eſt, praeſertim ſi citra ſomnum incidit; vbi crebro ſitum mutat, certum anxietatis vel ventriculi affecti [f]) indicium; vbi brachia et crura nudat et inaequabiliter diſpergit [g]), eaque, etſi calor non ſubeſt, propendula [h]) et tanquam inanima habere geſtit, itemque ſtragula de pectore remouet; vbi aeger non delirus ad lectuli oram deuoluitur, vel, etſi ab amicis repoſitus, breui deorſum ad pedes delabitur [i]); Hoc enim debilitas ſumma, muſculorum vis marcida, ſucci neruoſi penuria, et ſi vna adſpectus languens, labra dependentia, puſillus animus, et coma accedunt, mors propinqua praenunciatur.

§. 909.

Peſſimum eſt, ſi aeger, quem vltima tenet infirmitas, ſurgere ac corpore erecto [k]) eſſe tentat, et niſi coërceatur, aut vere ſurgit, aut ſponda excidit; ſi ſub febre acuta vigente decumbere amplius recuſat, verum ſedere percupit, etſi caput titubat, et antrorſum in pectus vel humeros fertur, malo cum omine, praeſertim in pulmonum laterumque inflammatione [l]), in purpu-

d) *Hipp.* Progn. §. 3. p. 450.
e) *Galen.* l. c. p. 745.
f) Id. Comm. I. 19. p. 744.
g) *Celſ.* de Medic. II. 6. p. 55.
h) *Hipp.* Progn. et Coac. l. cit. et *Gal.* in Progn. Com. I. 19. p. 744.
i) *Celſ.* l. c. *Gal.* L. de Rigore, c. 3. p. 198. III. *Kloekhof* Diſſ. de ſtrepit. in pect. p. 171 ſq.
k) *Hipp.* Epid. VII. 5. p. 830. *Proſp.* l. c. p. 165.
l) *Hipp.* Progn. §. 4. p. 450. *Bagliu.* Prax. I. 9. §. 1. p. 34. *Zimmerm.* Erfahr. T. I. B. 3. c. 8. p. 434 ſq.

purpura puerperarum [m]) cet. Ex his enim ſpirandi difficultas haud leuis, anxietas, inquies, delirium [n]) et periculum colliguntur.

§. 910.

Tandem *mors* [o]) in propinquo eſt, ſi in acuto laterum dolore aeger male ſpirat, et inter horrendum pectoris ſtrepitum ſitu erecto eſſe voluit: ſubita enim praefocatio et apoplexia inſequuntur.

§. 911.

Quibus praemiſſis, cetera ſigna, quae a certo membrorum ſitu ac cubitu repetuntur, per ſe perſpicua futura arbitror. Sic *cubitus tumultuoſus* ſ. *inquietus* prae ceteris in primarum viarum cruditate, faſtidio, acrimonia, bile corrupta, rodente, putrida, dolore colico, inflammatione vel eryſipela horum viſcerum, itemque poſt materiae morboſae migrationem obſeruatur: At ſi in angina, pulmonum laterumque inflammatione, empyemate, phthiſi, tuſſi vel dyſpnoea [p]) incidit, pectoris et reſpiratus vitia; in delirio, phrenitide, ſopore, turbatam cerebri actionem; in febre acuta, ardente, continua, remittente, inflammatoria, periculum, anxietatem horrendam, et malam materiae ad interiora demigrationem, v. c. in variolis, morbillis, peticulis, purpura rel. praeſignificat.

§. 912.

Saepe etiam *caput pronum* [q]) ſub acuto morbo eſt, et in arthritide acuta ceteriſque dolorum generibus magnam et periculoſam anxietatem ſubeſſe teſtatur.

m) *Klein* Int. Clin. p. 217.
n) *Galen.* in Progn. Comm. I. 23. p. 745.
o) *Klein* l. c. p. 238.
p) *Gorter* Prax. L. III. Tit. 2. 170. p. 159.
q) *Zimmermann* l. et p. cit.

tur. At in infantibus et aegris moroſis minus terrere debet. Vt vero malum et exitioſum fere ſignum eſt, vbi ſub peripneumoniae et delirii finem *pedes inaequabiliter* et extra ſpondam *diſiiciuntur*, ſic ſcire licet, aegrum non periclitari r), vbi a dolore artuum et juncturarum, non a debilitate vltima vel rheumatiſmo, febris comite, proficiſcitur. Tunc ſpes euadendi ſupereſt.

§. 913.

Cubitus in affectum latus s) iis moleſtus eſt, quos ſpurius lateris dolor occupat, in ſanum vero nullo modo, vnaque aliquis punctionis dolentis, nec pulſantis inter reſpirandum ſenſus, dolor a compreſſu ingraueſcens, rigor in acceſſione nullus eſt. Hinc in iis, qui morbo articulario, haemorrhoidibus, hemicrania, malo hypochondriaco et hyſterico laborant, crebro accidit, et haud raro in abſceſſus muſculorum abdominis variaque mala grauiſſima deſinit. Hinc in hydrope pectoris t) et pericardii ſaepe anxietas incredibilis a cubitu profundo oritur, ſed ſignum illud fallax eſt: Si aqua in vtroque pulmone reſtagnat, cubitus aequabiliter difficilis eſt, minus tamen in latere affecto, tandemque in ſummo malo ſpina antrorſum inclinatur. Etiam is, ſi vomica pulmonum operta ſubeſt, in loco affecto moleſtiam et dolorem excitat, at intolerandus fere eſt, ſi in vtroque latere vitium inſidet.

CAPVT

r) *Kloekhof* l. c. p. 173.

s) *Klein* Int. Clin. p. 242.

t) *Zimmerm.* l. c. p. 435 ſq.

CAPVT XI.

DE MORIBVS AEGRI, VT SIGNIS.

§. 914.

Et *moribus* ſua ſigna in morbis conſtant, atque bonum cenſetur, ſi aeger ſibi conſcius eſt, nec a moribus, quos dum proſpera valitudine fruebatur, ſecutus eſt, nimium deflexiſſe videtur. Contrarium vero ſemper malum eſt.

Schol. Caue, ne ante, quam ſedulo aegrorum temperiem exploraueris, de eorum querimoniis iudices. In hac enim cauſſa eſt, quare alii nullo modo lamentant vel vultum moresque mutant, alii parum, multum, vehementer et quaſi cum furore quodam.

§. 915.

Huc referre licet, ſi aeger, cui a natura mitior leniorque animus eſt, aſpere reſpondet [u]), et ſe ſuosque amicos acerbius atque durius tractat; id quod in homine turbulento et imperioſo pertimeſcendum non eſt: ſi in morbis longis praeter conſuetudinem triſtis [v]) eſt, et a cauſſa leuiſſima lacrymatur: (mortem enim non euadit:) vel ſi praeter modum in dolore ſummo placidus et patientiſſimus [x]) eſt, aliter ac morbus requirit, v. c. in hydrope; vel in ſanguinis ſputo [y]) et vomica animum non abiicit, ſed ſemper, dum ſpirat, ſperat: id quod pulmones ſenſu priuari teſtatur: ſi quid ſtudioſius facit, et ſupra modum loquax

u) *Hipp.* Epid. VI. Sect. 7. p. 817.
v) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. n. 8. p. 5.
x) *Zimmerm.* l. c. p. 465.
y) Ibid.

quax [z]) vel taciturnus [a]) eſt: illud delirium, hoc ſoporem vel melancholiam indicat: ſi in febre acuta et maligna medico pulſum exploraturo manum quaſi tremulam ſubtrahit [b]); ſi falſis rerum imaginibus mens terretur atque turbatur, v. c. hoſtibus armatis, ſpectris, daemone malo, vel tibicines ſe audire [c]) putat, illosque expelli iubet, vel odores quosdam tetros et pondera incumbentia, grauia, calefacientia, refrigerantia, mordentia, incuſat; ſi adſidentium adſpectum auerſatus ad parietem et lecti oram vltimam deuoluitur; ſi eorum, quae multis cum precibus deſiderauit, protinus obliuiſcitur; vel aliquod membrum crebro fricat [d]): Tunc enim fere delirium ſubeſt.

§. 916.

Ad vltima ventum eſt, ſi aeger amicos et familiares non amplius agnoſcit, ſi digitis micat, floccos in veſte, feſtucas in ſtragulis legit, fimbrias diducit, vel in adiuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit [e]); ſi, extremis frigidis atque liuidis, motum, viſum, auditum amittit. In his mors ante portas eſt, niſi ſalutaria ſigna malis longe antiſtant.

v. SAM. AVG. WAGNER Diſſ. de crocidiſmo et carphologia, ſigno in morbis acutis plerumque letali, Witeb. 1757. Ill. TRILLER Exercit. IX. de morbo per ſapientiam mori, p. 508 ſq. T. I. Opuſc.

§. 917.

z) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 525.

a) *Galen.* Comm. III. in Epid. I. 1. p. 460. et Comm. III. in Ep. III. 88. p. 583. III.

b) *Bagliu.* Prax. I. p. 73.

c) *Lemoſ.* Opt Praed. Rat. III. 14. §. 1. p. 148. b.

d) *Galen.* Com. III. in I. Ep. l. cit.

e) Saepe debetur vitae generi, *Kloekhof.* diſſ. de ſtrepitu, Opuſc. p. 176. vel bili mordaci, HIPP. L. Dieb. Iudic. §. 3. p. 433. neque adeo timeri debet.

§. 917.

Haec *floccorum venatura* in morbis acutis ſaepe delirium mite f) praecedit, et vires vitae fractas, itemque periculum ſummum denotat. Idem ſentiendum eſt, ſi in moerore confectis indeque febricitantibus, in prima morbi acceſſione g), pulmonum inflammatione, dolore capitis acerbo, vel phrenitide h) incidit.

§. 918.

Praeter haec *aegrum* huc illuc *iactari et anxium* i) eſſe, grauis morbi teſtimonium eſt: Tunc fere magna mali vis et animi motio ſubeſt, et tantum non ſemper debilitatem, vigilias atque coctionem perturbatam oſtendit, et pro cauſſa varia k) haemorrhagias narium, ſputa cruenta et vomitum, deiectiones, ſyncopen, delirium, neruorum diſtentiones, ſudorem, eruptiones cutis et abſceſſus, in primis parotides, novam acceſſionem, iudicationem vel recidiuam, abortum, partum cet. denunciat. Quae anxietas, iactatio et moroſitas, ſi iuſto maior et praeter conſuetudinem eſt, eo magis aegrum fatigat, medicum vero terrere debet, ne quid oſcitanter agat.

v. PROSPER III. 4. p. 166 ſq. vbi ſimul monuit, apud HIPPOCRATEM veteresque medicos voc. δυσφορία, *anxietas*, *inquies*, *iactatio*, *implaciditas*, *taedium ſui* cet. ſibi fere reſpondere. De cauſſis huius anxietatis ibidem pluribus.

f) *Hipp.* Epid. IV. 10. p. 749. et VII. 7. p. 832.
g) Epid. III. Sect. 3. Aeg. 15.
h) Praed. I. 8. p. 476. Coac. §. 1. p. 527. et 529.
i) Progn. §. 3. p. 450.
k) *Gorter* Prax. L. III. Tit. I. 148. p. 133.

§. 919.

Dantur vero *duae* prae ceteris *anxietatis formae*, quarum altera ab pulmonum anguſtiis proficiſcitur, altera a praecordiis et ventre infimo. Illa ſpiratione difficili, pulſu vacillante, celeri, debili, inordinato, ſumma pectoris anguſtia, extremorum membrorum frigore cognoſcitur, et in febre ſemper ſiniſtri augurii eſt, quippe aut ſubita mors ſequitur, aut a reſtagnatione polypus, dirae et perpetuae cordis palpitationes, a leuiſſimo motu quaſi internecinae, dyſpnoea, crebra animi defectio naſcuntur. Huic vero pulſus et reſpiratio non adeo immutata, ſed horrendus oppreſſionis ad ſcrobiculum ſenſus ineſt, cuius cauſſa ni auferatur, peſſima quaeuis ominanda ſunt. Ex his perſpicuum eſt, *anxietatem hyſtericam et hypochondriacam* praecordia potiſſimum occupare, et in neruis fere ſolis inſidere.

§. 920.

Eſt ergo talis *anxietas* indicio, ſanguinem aut difficulter per cor, pulmones, ceteraque vaſa, cum maxime minora, itemque per venam portarum et arteriam coeliacam et meſentericam ſuperiorem [l]) permeare, aut prorſus traiici non poſſe, bilem corruptam et acrem vel quemuis humorem vitioſum et flatus in inteſtinis incluſos haerere, viſcera conuelli, et, ſi in morbis acutis incidit, iudicationem difficilem futuram. Hinc quia in febribus frequens eſt, *febrilis* dicitur, et incredibilis fere in iis eſt, in quibus febris breuis et recidiua [m]) exſpectari debet.

§. 921.

l) *Kloekhof* Hiſt. Epid. Febr. c. 3. p. 44.
m) *Kloekhof* l. cit.

§. 921.

Quare non immerito omnis *anxietas* a medicis *mala* [n]) eſſe ſtatuitur, excepta decretoria [o]) et quae a neruorum diſtentione eſt, v. c. in hyſtericis et hypochondriacis, quam tantum non ſemper mira vrinae albae profuſio comitatur. *Mediam* vero, nec niſi alia ſigna accedant, per ſe ſatis tutam cenſent, ſi a ventriculi vitio naſcitur, vnaque nauſea et vomitus [p]) vel aluus cita [q]) vrgent; ſi febri intermittenti vel aliis morbis [r]) cum faſtidio ſuperuenit, et poſt vomitum deſinit; ſi, febre continua vigente ac calore perinſigni, iactatio multa [s]) oritur, i. e. dum iudicatio, ſignis ſuis praenunciata, imminet; ſi varias cutis eruptiones acutas, v. c. variolas, morbillos, purpuram, antecedit, et, materia vitioſa ad cutim depoſita, cum aegri alleuamento mollitur et finitur.

§. 922.

Contra *mala* eſt et fere *exitioſa anxietas*, quae poſt exanthematum ad interiora demigrationem oritur, quae in vena portarum latet, et ob compreſſionem ac reſtagnationem vaſorum corruptionem, humidorum effuſionem, gangraenam, vomicas hepatis putridiſſimas, dyſenteriam olidiſſimam [t]) et mortem praeſignificat. Mala etiam eſt, quae praecordia quaſi conſtringit et coarctat, et cum ſpiratione tremula, ſingultu, languore, animae deliquio [u]) eſt; quae in fe-

 bre

n) *Hipp.* Praed. I. 5. p. 474. et §. 10. p. 477.
o) Epid. I. Sect. III. Aeg. 2. p. 674. III. Sect. II. Aeg. 5. p. 716. et Aeg. 12. p. 720.
p) *Galen.* in Praed. l. cit.
q) *Sarcone* Geſch. Neap. Krankh. T. I. §. 61. p. 68.
r) *Hipp.* Epid. VII. 3. p. 826.
s) Coac. §. 1. p. 530.
t) *Swieten* Comm. in *Boerh.* Aph. 632. p. 195. II.
u) *Huxham* de Aëre 1740. p. 235. I.

bre maligna ab initio vſque ad finem [v]) aeque concitata continuat; quae vomitu non leuatur [w]), verum augetur; et ſub qua partes extremae frigent [x]), nec recaleſcunt [y]); quae cum rigore, ſudore nullo vel malo, i. e. frigido et ſingula membra [z]) occupante, die decretorio [a]) et nulla egeſtione ſalutari [b]), virium infirmitate atque languore [c]) eſt, vel poſt iudicationem et tempus, quo febres decerni debent, ſubſiſtit [d]); quae in phrenitide [e]) vel peripneumonia [f]) cum intolerabili pectoris oppreſſione et crebra ſitus mutandi cupiditate copulatur, vel ex eryſipelate ac inflammatione ventriculi [g]) oritur, vel vulnus et percuſſionem [h]) inſequitur; denique quae dolori, circa inferiores partes orto, ſi ſubito deſiit [i]), ſuccedit.

§. 923.

Praeterea ſcire licet, *anxietatem immedicabilem* eſſe, quae cordi, grumoſo ſanguine pleno, vel calculo obducto, vel inflammato [k]) debetur; eam, quae ad variolas diſcretas [l]) accedit, phrenitidem portendere;

v) *Proſper* l. cit. p. 169.
w) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 525.
x) Progn. §. 7. p. 475. Coac. l. cit. Epid. VII. 9. p. 834.
y) Epid. I. Sect. III. Aeg. 2. p. 674. et III. Sect. II. Aeg. 12. p. 720.
z) Praed. l. cit. Epid. I. l. et p. cit.
a) Praed. I. 7. p. 475. Coac. §. 1. p. 525. I.
b) L. Vict. Acut. §. 21. p. 285. II. et *Galen.* ad h. l.
c) Epid. VII. 11. p. 837.
d) *Gorter* Prax. L. III. Tit. I. 148. p. 130.
e) *Hipp.* Praed. I. 4. p. 473.
f) *Swieten* Comm. in Aph. 632. p. 194. II.
g) *Gorter* l. cit.
h) *Hipp.* Epid. V. 24. p. 786.
i) Epid. III. Sect. 3. Aeg. 5. p. 733.
k) *Gorter* l. cit.
l) *Sydenham* Conſt. Epid. Sect. III. c. 2. p. 92. T. I.

dere; nocturnam ſuffocationem [m]), ſi crebro incidat, in malo corporis habitu et hydrope: tandem perniciem adferre, in febre acuta motum, iactationem, et ſomnum turbulentum [n]), itemque in infantibus tunc temporis aluum ſuppreſſam, vigiliam, calcitrationem, crebram coloris mutationem, et ruborem neruorum diſtentiones [o]); ſubitam vero anxietatem cum delirio [p]) haemorrhagiam, timorem et abiectionem animi [q]); in iis vero, qui ſpaſmis ſunt obnoxii, v. c. epilepticis, hyſtericis, hypochondriacis, nouam acceſſionem denunciare.

§. 924.

Omnium vero frequentiſſima et ſumma *anxietas moribundos* [r]) apprehendit, ipſamque mortem ſpiratio difficilis, denſa, cita, anhela, ſuſpiria crebra, pectoris ſtridor, pulſus debilis, vacillans, intermittens, magna ſitus erecti cupiditas et inquies vltima, pallor et frigus extremorum rel. antecedunt.

CAPVT XII.

DE MORTIS SIGNIS.

§. 925.

Eſt in prouerbio: *mors vltima linea rerum!* ſuntque homines ea naturae lege nati, vt

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum

 ad

m) *Vogel* Praen. Gott. Penſ. I. 46. p. 7.
n) *Hipp.* Coac. §. 1. p. 528.
o) Ib. p. 530.
p) Ib. §. 2. p. 537.
q) *Brendel* in Coac. Praenot. Penſ. I. n. 4. p. 174. T. I. Opp.
r) *Boerhaaue* Aph. 633. et *Swieten* ad h. l. p. 197. T. II.

ad vitae finem et ſuperos perueniant. Qui diſceſſus e vita cum varius ſit, tum eius indicia haud raro nec ſatis certa ſunt, nec placitis medicorum parent. Qua ex re forte accidit, vt alii ſatis certas finitae vitae mortisque emeritae notas dari affirmarent, alii negarent, alii denique media quaſi via ſibi procedendum exiſtimarent. At omnis diſſenſus materia facile tolli poſſe videtur, modo varia mortis genera, gradus, tempora cet. bene a ſe inuicem ſecernenda curaſſent. Detracta enim iſta cautione, perneceſſaria, vereor, ne medicorum in vtramque partem diſceptantium labor ſit irritus.

v. IAC. BENIGN. WINSLOW Diſſ. an mortis incertae ſigna minus incerta a chirurgicis, quam ab aliis experimentis? Pariſ. 1740. et rec. ad calc. ſeq. lib. p. 793.

IAQVES IEAN BRVHIER Abhandl. von der Vngewisheit der Kennzeichen des Todes, und dem Misbrauche, der mit übereilten Beerdigungen vorgeht, überſ. von IO. GOTTFR. IANCKE, Leipz. 1754.

LOVIS Lettres ſur la certitude de la mort, où l'on raſſure les citoïens de la crainte d'être enterrés vivans, avec des obſervations et des experiences ſur les noïés, à Paris 1752.

I. P. BRINCKMANN Beweis der Moeglichkeit, daſs einige Leute lebendig koennen begraben werden cet. Duſſeldorf 1772.

LOESECKE Semiot. c. 11 et 12. p. 101 ſq.

§. 926.

Eſt igitur naturae lege cautum, vt moriamur, ſed qua via et ratione id fiat, quibus indiciis cognoſcatur, hoc minus certum et fixum eſt, niſi diligenter diſtin-

diſtinguatur *mors naturalis* ſ. *ſenilis*, i. e. quae a ſenecta et hebetatis quibuscunque vitae membrorumque functionibus prouenit; *mors praeternaturalis* ſ. *morboſa*, eaque omnium mortium longe frequentiſſima; tandem *mors violenta*, i. e. ſi cui per naturae leges diutius victuro vitae vſura ſubito et per vim demitur, v. c. globi plumbei igniti vel gladii miniſterio, vel id genus inſtrumentis aliis. Quae cum a cauſſis variis varia eſſe debeat, conſequens eſſe videtur, vt illa *mors violenta* ſit aut *abſoluta*, ſ. *perfecta*, i. e. in qua vitam reſuſcitare nullo modo nullisque remediis licet, aut *imperfecta*, i. e. in qua vis vitae quaſi ſoporata intus delitescit, et aliorum opera excitari plerumque ſolet, v. c. in *ſubmerſis*, *laqueo iugulatis*, *vapore* maligno ſuffocatis, attonitis, frigore rigidis, hyſtericis ſyncope laborantibus, porro et in illis, qui *caſu graui* periiſſe, aut a globi bellici caput tranſeuntis impetu quaſi ſiderati fuiſſe putantur, qui poſt haemorrhagiam largam, apoplexiam, epilepſiam, catalepſin, morbos ſoporos, polypum cordis, catarrhum ſuffocantem, debilitatem ex partu cet. omnis vitae expertes viſi ſunt. Huc etiam aeſtimatio *vulneris letalis* pertinet: cuius ſigna ſcire quoniam ſaepe iudicis multum intereſt, neque hic praetereunda exiſtimamus.

Schol. Cl. BRINCKMANN l. c. Sect. II. §. 28. p. 90 ſeq. *mortem naturalem*, *violentam*, *ſubitam et morboſam* eſſe contendit. Sed haec, vt videtur, non ſatis accurate, quippe mors ſubita, me quidem iudice, violentae pars eſt, et certiſſima vis illatae index.

§. 927.

§. 927.

Sequitur vero *mors naturalis* ſ. *ſenilis* antegreſſam corporis vniuerſi duritiam, vaſculorum minimorum obliterationem, irritabilitatem Hallerianam et neruorum ſenſum aut ſublatum prorſus, aut certe plurimum imminutum, malam ſuccorum naturam et penuriam, puta, ſpiſſitudinem nimiam, acrimoniam, terrae abundantiam, ſolidorum muſculorumque rigorem, arterias in oſſeam fere naturam transformatas, indeque ſecretiones et egeſtiones retardatas, oculorum caligationem, ſenſus externos ac internos hebetiores et paene nullos, ſpinae curuationem et ſtaturae imminutionem, marcorem corporis vniuerſi, foedum oris hiatum et ſaliuae fluorem, pulſum intermittentem, rarum, durum, cet. Ad haec paullo ante mortem pedum frigus, reſpiratio lenta, laborioſa, interrupta, ſtertens, et anxia cor a motu quaſi quieſcens iterumque reuertens, tandem prorſum ceſſans et irreuocabilis accedunt. Quod, quia cum irritabilitate cordis irreparabili eſt, quae certe ſenibus aut nulla eſt, aut non poteſt excitari, pereat neceſſe eſt vita et neruorum ſenſus, ſubſequantur membrorum frigus et rigor, tandemque oriatur vera putredo, quae omnium omnino ſignorum mortis ſine dubio vnicum eſt et longe certiſſimum.

v. Ill. HALLER Elem. Phyſiol. T. VIII. Sect. III. p. 68 ſq.
BRINCKMANN l. c. Sect. II. p. 67 ſq.

§. 928.

Mors morboſa in antecedente morbi genere potiſſimum cernitur. Qui quo vehementius vrſit, quo maiora et truculentiora ſymptomata ſunt, quae aegrum exercuerunt, v. c. coma, obliuio, neruorum diſtentio et tendinum adſultus, ſyncope repetens,

egeſtio

egeſtio ſymptomatica, ſudor frigidus, reliquaque ſigna [s]) peſſima cet. eo certior ſublata reſpiratione, pulſu et calore naturali, ac morboſo, mors eſt, ſi in putridis morbis calor aliquis et flexus membrorum multus ab motu inteſtino et putredine incipiente aliquamdiu continuant, in ceteris vero frigus corporis vniuerſi et liuor, duritia perpetua, verusque rigor, odor cadauerofus, putredo et compagis reſolutio apparent et ſubſiſtunt. Qua viſa, de morte profecto nemo dubitat.

Schol. De reliquis mortis notis ſociis infra pluribus. Interim diffiteri non licet, non ſatis certa vel a medicis non curate notata eſſe, quibus vnumquodque morbi genus mortem intuliſſe putandum eſt. Alia enim in iis eſſe debent, qui febre inflammatoria pereunt; alia, ſi ex morbo longo. Pauca, ſed nondum ſatis indubitata et confirmata in Semiot. Special. ab auctoribus referuntur.

§. 929.

Quae *mortis futurae indicia* cum CELSVS [t]) curatius annotauit, eius verba huc adtuliſſe iuuabit. *Ad vltima iam ventum eſſe teſtantur nares acutae, collapſa tempora, oculi concaui, frigidae languidaeque aures et imis partibus leniter verſae, cutis circa frontem dura et intenta, color aut niger, aut perpallidus, multoque magis, ſi ita haec ſunt, vt neque vigilia praeceſſerit, neque ventris reſolutio, neque inedia. Ex quibus cauſſis interdum haec ſpecies oritur, ſed vno die finitur. Itaque diutius durans, mortis index eſt.* *Si*

s) *Proſp.* II. 15. p. 127. et *Klein* Int. Clin. p. 87. haec multis adduxit.

t) De Medic. II. 6. p. 53 ſequ. ed. *Krauſ.*

Si vero in morbo vetere iam triduo talis eſt, in propinquo mors eſt: magisque ſi praeter haec oculi quoque lumen refugiunt et illacrumant, quaeque in iis alba eſſe debent, rubeſcunt, atque in iisdem venulae pallent, pituitaque in iis innatans, nouiſſime angulis inhaereſcit, alterque ex his minor eſt, iique aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt; perque ſomnum palpebrae non committuntur, ſed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens aluus expreſſit, eaedemque palpebrae pallent, et idem pallor labra, et nares oculique, et palpebrae, et ſupercilia, aliquaue ex his peruertuntur; isque propter imbecillitatem iam non audit, aut non videt. Eadem mors denunciatur, vbi aeger ſupinus cubat, eique genua contracta ſunt; vbi deorſum ad pedes ſubinde delabitur: vbi brachia et crura nudat, et inaequabiliter diſpergit, neque iis calor ſubeſt: vbi hiat; vbi aſſidue dormit: vbi is, qui mentis ſuae non eſt, neque id facere ſanus ſolet, dentibus ſtridet: vbi vlcus, quod aut ante, aut in ipſo morbo natum eſt, aridum et aut pallidum, aut liuidum factum eſt. Illa quoque mortis indicia ſunt, vngues digitique pallidi, frigidus ſpiritus, aut ſi manibus quis in febre, et acuto morbo, vel inſania pulmonisue dolore, vel capitis, in veſte floccos legit, fimbriasue diducit, vel in adiuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit cet. Sub his ceterisque notis malis, quas paſſim commemorauimus, ſalus aegri in praecipiti eſſe debet.

v. PROSPER l. cit. et LOMM Obſ. Med. III. p. 315 ſequ. ed. *Wedel.*

AVG. HENR. FASCH de praedictione mortis, Ien. 1686.

CHRIST. VATER Diſſ. de praeſagiis vitae et mortis in aegrotis, Viteb. 1708.

FRID. HOFFMANN reſp. Cl. MATTHIAE Diſſ. de certo mortis in morbis praeſagio, Hal. 1730.

ANDR. EL. BVCHNER reſp. SELD Diſſ. de ſignis mortis prognoſticis, Hal. 1747.

§. 930.

Reſtat *mors violenta*, eaque ſatis frequens et multiplex, ideoque etiam varia eius indicia et aeſtimatio eſſe debent. Quae niſi curate a ſe inuicem ſepares et gradus definias, non poteris non confundi et incertior fieri. Hinc *ſubmerſorum*, *laqueo*, *vaporibus*, *frigore*, *venenis* rel. *interfectorum ſigna* potiora percenſere placet.

Schol. Iſtae mortes plerumque *imperfectae* ſunt, perraro *abſolutae*.

§. 931.

Recitantur *mortis aqua ſubmerſorum ſigna* permulta, ſed ea nec ſibi ſatis reſpondentia, nec omni exceptione maiora. Siue enim cauſſam mortis ſtatuas aquae in corpus aditum, ſiue cum PLATERO *u*) et LOVISIO eam, quae ſub vltima inſpiratione pulmones ingreditur, ſiue denique cum CAMERARIO et WALDSCHMIDIO *v*) denegatam aëris reciprocationem, de quo certe hodie nemo dubitat, id genus homines pro vere mortuis haberi non poſſunt, ſed tentanda ea ſunt remedia, quae recentiorum medicorum diligentia vbertim adduxit. Id vnum certum eſt, in quibus lingula conuellitur quaſique ſtringitur ante, quam corpus vndis ſubmergatur, neque in aſpera arteria et pulmo-

u) Obſeruat. Med. L. I. p. 170.

v) Ap. GVMMER Diſſ. de cauſſ. mort. ſubmerſor. Groning. 1761. p. 33. et LOVIS ſur la certitude des ſignes de la mort, Epitr. VI. p. 250 ſeq.

pulmonibus ſpuma redundat, vaſa non ſciſſa et caua a ſanguine reſtagnante fere libera ſunt, eos vt plurimum in vitam reuocari poſſe: Contra eos deſperandos videri, quorum pulmones magna aquae ſpumaeque vis occupat. In hac ergo obſcura rerum et temporis diuerſitate omnis iudicii infirmitas continetur. Quare niſi color liuidus atque luridus, odor cadauerofus et verae putredinis notae apparent, deſperandum vel ab opera temere deſiſtendum non eſt.

v. BRINCKMANN l. cit. Sect. IV. p. 168 ſequ. et p. 188.

DETHARDING de methodo ſubueniendi ſubmerſis per laryngotomum, Roſtoch. ſ. a. 4.

IAEGER reſp. EBERH. GMELIN diſſ. Experimenta de ſubmerſis, cum ſubiuncto examine phaenomenorum in iis obſeruandorum, Tubing. 1769.

ANT. DE HAEN Ratio Medend. T. XIII. c. 3. p. 192 ſequ.

CHAMPEAVX et FAISSOLE Experimenta et Obſeruata de mortis in demerſis, nec non comitum ſymptomatum cauſſa, Lugd. et verſ. germ. Gedan. 1772.

HENSLER Anzeige der vornehmſten Rettungsmittel cet.

IO. CHRIST. GVIL. REDLICH Diſſ. de ſubmerſorum reſuſcitatione, Lipſ. 1773. vbi praecipuae auctorum opiniones recenſentur, diiudicantur, confutantur.

§. 932.

Ex his etiam, ſi qua cadauera in aquis vel littore reperiuntur, definiri debet, iine miſeri *viui*, an *mortui* vndis ſubmerſi fuerint? Illorum enim bronchia ob vehementiorem aëris reciprocationem et operam

operam euadendi vtplurimum aqua ſpumans occupat, et pulmones exinde, nimium, quantum diſtenduntur, lingua intra dentes poſita, ſepto transuerſo deorſum inclinato, abdominis viſceribus extrorſum latis, et prae ceteris ventriculo w) aqua pleno; In his vero contraria quaeuis apparent. Attamen aquae hauſtae in ventriculo copia, tumor abdominis, cutis varie deſquamata cet. minus tuta indicia videntur, cum ſaepe deſunt.

v. LVDWIG Medicina Forenſ. P. II. Tr. 2. c. 2. Sect. 4. §. 304 ſequ. p. 118.

REDLICH l. cit. Sed iſta ſigna ſufficere negat HAENIVS Rat. Med. T. XV. c. 2. p. 26 ſeq. ait CHAMPEAVX l. cit.

§. 933.

De iis, qui, *faucibus laqueo praecluſis*, obiiſſe videntur, idem fere ſentiendum eſt. Hi enim, cum ſanguis pulmones permeare amplius non poteſt, et venae iugulares fortiter conſtrictae ſunt, apoplexia correpti moriuntur. Quare donec ignoramus, vaſcula cerebri ob denegatum ſanguinis reditum rupta eſſe, ſpes aliqua vitae ſupereſt, at ea nulla eſt, ſi vniuerſum corpus reſolutum eſt, et vrina ſponte ſua redditur; tandem incerta eſt, vbi laqueus fauces ſub gutture arcte adſtrinxit cum magnarum venarum laeſione.

v. BRINCKMANN l. cit. p. 128. et p. 194 ſequ. LVDWIG l. cit. §. 307. p. 119.

STOLTE Diff. de morte ſuſpenſorum, Groning. 1766.

§. 934.

w) Sic *Lentin* Beobachtung einiger Krankheit. n. 10 et 11. p. 118 ſequ. Spuma tamen ſi nulla in aſpera arteria eſt, nec nota eſſe poteſt, ſub hoc auctore, hominem mortuum in vndas deiectum eſſe.

§. 934.

Iſti miſeri *viui*, an *mortui ſuſpenſi* fuerint, ex eo potiſſimum colligitur, quod priores oſtendant ſanguinem ſupra funem reſtagnantem locumque deturpatum, faciem extumidam, ſubcaeruleam, liuidam, oculos exſtantiores, quaſique e ſede naturali deiectos, ſpumam oris ſanguinolentam, venas capitis et cerebri bene completas, pulmones expanſos, cor anterius ſanguine refertum rel. poſteriores vero non item.

v. LVDWIG l. c. Sect. II. §. 260 ſequ. p. 100. FASEL. Elem. Medic. Forenſ. P. I. Sect. 2. c. 2. Sect. 3. §. 181. p. 76 ſequ.

§. 935.

In *infantibus recens natis* indicia *ſuffocationis* minus certa ſunt: In his tamen eniteſcunt et magnam ſuſpicionem mouent facies tumens, rubra, liuida, ſpuma oris, lingua tumidula et prominula, maculae liuidae et ſugillationes colli, auriculae cordis anterioris ſanguine abundantes, pulmones liuidi et ſanguine ſuffuſi, venae iugulares et piae matris vaſcula cruore turgida, funiculus vmbilici, aëre per pulmones nondum meabili, inhumaniter compreſſus, mucus copioſus, fauces et aſperam arteriam occupans, vel peregrina quaeuis corpora intruſa, v. c. cineres calidi, deiectio praeceps in vndas, fontes, cloacas, vapor ſulphuris hauſtus naribus, perinſignis thoracis compreſſio, vera nuchae luxatio, variae caluariae laeſiones, denique pulmones minus denſi, albidiores, integri, non ſubſidentes.

v. Cl. CAMPERI Gerichtl. und Anat. Abhandl. ueber die Zeichen des Lebens u. Todes bei neugebohrnen Kindern, cuius verſio proxime apud BAERSTECHERVM, bibliopolam Cliuienſem, proſtabit.

§. 936.

§. 936.

Neque ſemper ſatis certum eſt, *infantes in vtero viuant*, nec ne. Huc tamen artis obſtetriciae magiſtri referunt motionis abſentiam, abdomen non vlterius excreſcens, agitationem vehementem antegreſſam, horrorem et frigus matris, mammas molliuſculas, detumeſcentes atque collapſas, ſerum copioſius x) profundentes. Nam ſub his ſignis *foetus mortuus* fere ſubeſt. Quare ſi ad iudices iſta res deferenda eſt, prae ceteris attendi debent *putredo manifeſta* cum cuticula abſcedente, habitus corporis flaccus, marcidus, rugoſus, abdomen collapſum, maculae cutis liuidae et ſtigmata diſcolora, inter quae nulla laeſionis externae indicia apparent, placenta ſubmollis, tabo quaſi diffluens, exſucca, funiculus vmbilici contractus, corrugatus, ob putredinem lacerabilis y), tandem profluens e matris genitalibus putris liquor. Ceterae vero notae haud raro fallaces ſunt.

§. 937.

Infantes, qui *nutricum incuria* pereunt, plerumque apoplexia vel ſuffocatione pereunt. Hinc, quoad eius fieri poſſit, iisdem remediis ſuſcitandi videntur. Contra *mors irreuocabilis* putanda eſt, ſi toti, quanti quanti ſunt, in latitudinem complanati ſunt, ſi ſanguis ex ore atque naribus copioſus effluxit, et quaedam viſcera, ſine quibus vita conſiſtere non poteſt, vehementer laeſi ſunt.

§. 938.

Mors, a *vaporum* qualiumcunque exſpirationibus oriunda, eſt quaſi quaedam ſenſuum abrogatio. Hinc in metallicis, qui *aura peſtilenti* (Schwaden) pe-

 reunt,

x) *Roederer* Elem. Art. Obſtetr. p. 165.

y) *Ludwig* l. c. §. 240. p. 92 ſequ.

reunt, magna pulmonum irritatio, vaſorumque ruptio, ſanguis ore naribusque fluens, cor et pulmones grumis referti atque conſtricti *z*) apparent: At iis, quos *carbonum candentium vapor* interficit, dolor capitis vehemens, ſpiratio difficilis, anxietas horrenda, ſenſuum externorum et internorum hebetudo, cerebri compreſſio, ſopor, tandemque mors ſuperuenit, et poſt haec membranae inflammatae, ſinus ſanguine redundantes, corporis ſuperficies maculis liuidis interſtincta reperiuntur. Eadem fere mortis notarumque ratio eſt, ſi qui ab *liquorum fermenteſcentium exſpirationibus* vel *concluſis ſepulturarum et cauernarum ſubterranearum* quarumcunque *vaporibus putridis* exſtinguuntur. Nam eos anxietas ob compreſſas pulmonum anguſtias aëremque immeabilem et neruorum diſtentio tenet, et ſubita mors aufert. Huc etiam mortes a *vapore fuſoriarum plumbi fodinarum*, *parietum recens dealbatorum*, *florum fragrantia* cet. pertinent.

v. Iournal Oeconom. 1760. Gazette Salutaire 1761. Sammlung auserleſener Wahrnehmung. Strasb. B. V. p. 8 ſequ.

BRINCKMANN l. cit. p. 200. et Ill. TRILLER Diſſ. de morte ſubita ex nimio violarum odore, p. 237. T. I. Opuſcul.

§. 939.

Attoniti tantum non omnes ſuffocati obeunt, ideoque iisdem ſignis iudicantur, vita ſuperſtes futura ſit, nec ne. Inſunt enim illis ſanguis extra cerebri vaſa miſſus et in durae matris ſinubus aquae inſtar fluidus ac reſolutus, vaſcula membranarum externa cruore atro et craſſo repleta, maculae ſubrubrae,

z) *Loeſecke* Semiot. c. 12. §. 230. p. 120. *Brinckm.* l. c. p. 152. et p. 197.

brae, liuidae, nigrae, lympha ſuperne coacta, magna ſeri vis in cerebri cauis diffuſa, ima caluariae pars perforata, et vniuerſum cerebrum vna cum membranis ſuccingentibus in pulticulam veluti reſolutum, immo atro humore perfuſum, crebrae in pulmonibus maculae, nec iis abſimiles, quas ſupra commemorauimus, itemque collapſi et quaſi ambuſti pulmones, vaſa ſanguine vacua, contra cordis ventriculi modo confertiſſimi, modo vacui rel. Iam vero cum fulguritorum et de caelo tactorum mors debetur vehementi neruorum laeſioni per materiam electricam, concitatam a), perſpicuum eſt, vitam eorum vtplurimum eſſe irreuocabilem, artis medicinalis vero auxilia et miniſteria quaeuis irrita, niſi mors a terrore vel exſpiratione ſulphuris, ſaluis externis corporis partibus, profecta fuerit. Tunc enim aliqua ſpes ſupereſt.

v. BRINCKMANN l. c. p. 138. et 203 ſequ.

IO. GVIL. VOLMAR Diſſ. de fulmine tactis, Argent. 1765.

ANDR. EL. BVCHNER Diſſ. de morte in fulmine tactis, Hal. 1766.

BIDERMANN Diſſ. de cauſſa mortis fulmine tactorum, Lipſ. 1768.

§. 940.

Frigore pereuntium mors fere ſomnus aliquis altus eſt, et ſaepiſſime medicorum miniſterio abigitur, etſi diu mortui videntur. In iis vero, qui *caſu grauiori* obiiſſe putantur, haud raro propter terrorem et commune ſentiendi inſtrumentum vehementer concuſſum vita quaſi intus concluſa latet, ideoque ex facili reuocari poteſt. Itemque mors, quam a *globi bellici tranſitu* oriri dicunt, vera ſuffo-

a) *Bidermann* l. c. §. 16. p. 23.

catio eſt. Etenim, aëre externo ſic impulſo fortiter et rarefacto, at interno inerti vel reſiduo paene nullo, collabeſiant pulmones, et motio omnis pereat neceſſe eſt. Qua de re nec iſta mors ſemper certa eſt.

§. 941.

Mors a laetitia, *moerore*, *timore*, *ira* cet. interdum vera eſt, interdum non niſi longa nec morti abſimilis animae defectio. Hinc medici eſt prouidere, ne quem cito exitio raptum et conclamatum iudicet, qui quaſi ſoporatus eſt.

v. IO. PETR. EBERHARD Diſſ. de morte ſubita abſque vllo manifeſto laeſionis in corp. ſigno, Hal. 1764.

§. 942.

Huc etiam referenda *lipothymia* et *ſyncope* videtur, quae poſt apoplexiam, epilepſiam, neruorum diſtentiones, catalepſin, cordis polypum, aſthma conuulſiuum, malum hyſtericum, morbos ſoporos rel. mortem mentitur. In his enim, bene monente GALENO b), etſi vniuerſum corpus pallet, et membra frigent ac rigent, ſaepius vita quaſi ſemiſepulta intus deliteſcit, et adhuc ſuſcitari poteſt, ideoque omnia artis auxilia adhibuiſſe, quam miſeros temere perdidiſſe praeſtat. Quare nec *feminae hyſtericae*, in quibus defectio animae veraque ſyncope ſaepenumero per biduum et vltra c) conſiſtunt, inconſultius humandae ſunt, niſi putredo d) iam appareat, ne quae viuae ſepeliantur, vt olim crebro e) factum fuiſſe

b) Praeſag. ex Pulſ. I. 4. p. 416. IV.
c) *Galen.* Loc. Affect. VI. 5. BRINCKMANN l. cit. p. 148 ſequ. GAVBII Pathol. §. 783. p. 423. ed. Lipſ. Iournal des Savans 1748.
d) *Riuer.* Opp. Med. p. 381.
e) *Welſch.* Obſ. Med. Epiſagm. 100. p. 67 ſequ.

fuiſſe videtur. Et ſi qua *grauida* f) in ſyncopen letalem incidit, tentandum prius eſt, quid ars valeat, quam a medicis deſeratur, et vbi ſectione caeſarea opus eſt, prouideri debet, ne aliter, ac ſi viueret, peragatur.

§. 943.

Sequuntur *venenorum ſigna*, quibus fata accelerari poſſunt. Quae ſiue rodendo, ſiue ſtupefaciendo corpus afficiant, ſemper per ſe mortifera ſunt, eaque effugere poſſe, homini datum non eſt, niſi aliae res adiunctae peſtem illam auertant.

v. FASELIVS l. cit. P. I. Sect. II. c. 2. Sect. I. p. 51.
TEICHMEYER l. cit. c. 20. Quaeſt. 7. p. 176.
LINDESTOLP de venenis et BACCIVS de venenis p. 21.
LIEVTAVD Precis de la Medecine pratique, T. I. Sect. 1. p. 186 ſequ.
MORGAGNI de Sedib. et Cauſſ. Morb. per anat. indagat. Epiſt. 59. p. 373 ſq. T. II. ed. Venet.
IO. DAV. HAHN Or. de vſu venenorum in medicina, Traiect. 1773.
THOM. PERCIVAL Obſervations and Experiments on the poiſons of Lead, Lond. 1774. 8.

§. 944.

Suſpicari ergo *mortem a veneno rodente*, cum maxime *arſenico*, licet, ſi protinus, ac cibus vel potio ſumta eſt, dolores acerbiſſimi et torſiones ventriculi horrendae, ſitis ingens et clamoſa, faucium et oris ſtomachi ardor, ſingultus continuus, nauſea, vomitus, cholera mucoſa vel cruenta, aluus cita et ſanguinolenta, in qua materia corrupta excernitur, ileus, anxietas propter ſanguinem copioſius ad

 atria

f) *Teichmeyer* Inſtit. Med. Legal. c. 3. p. 7.

atria cordis confluentem intolerabilis, vertigo, viſus acies hebetata, aurium tinnitus, febris, pulſus primum durus et inflammatorius, deinde debilis, intermittens, conuulſiuus, ſpiratio difficilis, anxia, citatior, deliria leniora, mox grauia, crebra animi deliquia, ſudor vniuerſi corporis largus et frigidus, facies pallida, vera mortis imago, membrorum frigus ac tremor, immanes neruorum diſtentiones incidunt, et inter haec mors exoptata venit. Poſt accedunt vngues vacillantes, liuidi, nigri, dorſum inde a ſcapula vſque ad praecordia caeruleum, facies turpis et lurida, labra et fauces tumidiores, cruentae, liuidae, vehementer mutatae, lingua extumida et quaſi aduſta, abdomen derepente, horrendum, quantum intumeſcens, putredo ſubita et cuticula in tabum diffluens, maculis liuidis foeda, foetor corporis cadauerofus, oris, faucium, ventriculi, inteſtinorum inflammatio, roſio, deſtructio, gangraena et ſphacelus aut praeſens, aut imminens, certe in ſuperficie interna maculae multae, ſugillatae, praerubrae, liuidae, nigrae, hinc inde ſparſae, certae corruptionis talis indices, magna pituitae albae ſpumoſaeque copia in ventriculo, interdum et membranae interaneorum ſubmolles, fluentes, lacerabiles, putreſcentes, itemque liquorem putridum in abdominis cauum profundentes. Neque negligenda reliquiarum exploratio eſt, quippe hac via veneni genus ſaepe detegitur, ideoque, bene monente Cl. BOSIO g), hae prae ceteris attendi debent, ne qua in re medicus deliquiſſe videatur.

§. 945.

Minus certum medici de *venenis lentis*, indeque petendis ſignis iudicium eſt, quoniam quaſi per inſidias

g) Progr. de Diagnoſi veneni ingeſti et ſponte in corp. geniti, Lipſ. 1774. p. 13.

inſidias agunt, et ſenſim pedetentimque in languorem, marcorem, ac mortem coniiciunt. Quo in numero collocantur variae *plumbi calces*. Quae cum vaſcula ventriculi et lactea, nec non meſenterii glandulas clandeſtine, at arcte conſtringunt, et imperuia efficiunt, vnde lenta tabes oritur, perſpicuum eſt, ea ſaepe medici ſcientiam fruſtrari, nec licere ei edocere, vere quis iſto veneno mortuus ſit, nec ne. Mira enim paeneque incredibilis, ſi fides habenda auctoribus eſt, compoſitionum multitudo eſt, et ex eo genere ipſum *arſenicum*, modo exigua quantitate et aqua multa dilutum offertur, maximeque perinfamis *aqua della Toffana* ſ. *Toffanina*, *aqua del Peteſino*, *aqua mirabilis* (l'eau mirable), *puluis ſucceſſionis* (poudre de ſucceſſion), *puluis febrifugus* empiricorum germanorum, *tinctura* febrifuga cet.

v. MOEHSEN Beſchreibung einer Berlin. Medaillenſammlung, T. I. p. 148 ſeq. qui *aquam Toffanam* arſenico conflatam experimentis certis approbauit. cf. LE BRET Magazin T. IV.

STAHL Anchiater ſ. Venenum pro remedio venditum febrifugum nequiſſimum, in eius Opuſc. Chymico-Phyſ. Med. p. 430 ſequ.

IOS. LANZONI Opp. T. I. p. 69. Lauſ. 1738.

§. 946.

Poſt *venenum*, cui *vis ſtupefaciendi* ineſt, hauſtum oritur nauſea, vomitus, vertigo, lethargus, delirium ferox et neruorum diſtentio, et poſt *cicutam* [h]) ſubitus haud raro ſtupor, vertigo, oculorum caligatio, obliuio, delirium, conuulſio, ſingultus, vomitus, viſcerum ardor et dolor, inflatio regionis epigaſtricae, ſanguinis per aures fluor, oris ſpuma, et peſſima quaeuis indicia. At tardius et ſaepe duodecim horis poſt, vbi quis *fungos venenatos* come-

h) *Lieutaud* Precis, T. I. Sect. 1. p. 189.

comederat, inſequuntur nauſea, vomitus horrendi, cholera, deiectiones, vrinae cruentae, morbus cardiacus, et ventris tormina, ſitis ardens, anxietas, inflatio praecordiorum, extremarum partium frigus, pulſus frequens, concitatus, vehementiſſimus, ſic, vt haud raro ipſum arteriae magnae vel coeliacae ſucuſſum ſentire liceat. Quae fungi reliquiae niſi penitus egeruntur, ingratus ille ſenſus, quem barbare crampum appellant, neruorum reſolutio, membrorum contractura et corporis vniuerſi languor ſubſequuntur.

§. 947.

Mors ab morſu et veneno viperarum, cum maxime *crotali*, fit, vbi ſanguinem contaminauit. In loco affecto, ſtatim ac beſtiola momordit hominem, oriuntur bina puncta rubra, vehemens dolor, tumor magnus, ſubruber, breuique liuidus, partes propinquae intumeſcentes, facies primum pallida, poſt ſenſim pedetentimque liueſcens, et ictericorum non abſimilis, pulſus celer, paruus, et haud raro intermittens, tremor corporis vniuerſi, anxietas ſumma, moeſtitia, inquies, horror, palpitatio cordis, vomitus acer et bilioſus, ſudor frigidus, irritabilitas deiecta, neruorum diſtentio vel reſolutio, tandemque, niſi ſuccurratur, mors, quam teterrimus et intolerandus odor excipit.

v. Oſſervazioni intorno alle Vipere, fatte da FR. REDI, in Fiorenza 1664. 4.

MOS. CHARAS Experimenta circa viperam, in T. III. Opp. Gen. 1684. p. 155 ſequ.

NICHOLLS Expoſitio mechanica venenorum Tentam. I. de vipera, acc. Cl. ARESKINI Obſeruat. Anat. De viperis, et Cl. NICHOLLS Anat. Deſcriptio earum viperae et ſerpentis caudiſoni partium, quae pertinent ad eorum venenum.

FEL.

FEL. FONTANA Ricerche fiſiche ſopra il veneno della vipera, Lucc. 1767.

§. 948.

Reliquum eſt, vt paucis *de morte a vulneribus* ediſſeramus, quae, vt inter omnes conſtat, aut *abſolute* talis eſt, aut *ſub conditione*. Prior adeſſe dicitur, ſi medelam non admittit, ſed ſemper fereque ſubito iugulat, nulla alia cauſſa manifeſta accedente, aut vbi vitium quoddam inueteratum iungitur, v. c. aneuryſma ruptum, apoplexia rel. ſi partes ad vitam ſuſtinendam perneceſſariae laeduntur, vel diſcinduntur; ſi, vaſis maioribus apertis, ſanguis in caua vbertim effunditur, nec arte medicinali cohiberi vel euocari poteſt: Poſterior vero, vbi mors a quauis cauſſa alia aduentitia, non a vulnere, proficiſcitur.

§. 949.

Sunt igitur *abſolute letalia vulnera*, quae caput internum, ſinus durae matris et arterias maiores afficiunt, cerebrum et cerebellum, medullam oblongatam et ſpinalem profundius intrant, et adiunctam habent effuſionem humidi cuiuscunque non auferendi, v. c. in ventriculis cerebri, baſi caluariae, vnde lenta, ſed certa mors; quae oſſa temporum, cribroſum vel orbitam inferiorem permeant. At *per accidens letalia* putant, ſi partes capitis externas, integumenta, oſſa, faciem infeſtant, aut certe, vbi intra feruntur, cerebrum illaeſum relinquunt; Hinc vulnera durae matris, ſaluis ſinubus et maiori arteria, perhorreſcenda non ſunt.

§. 950.

Idem de *colli vulneribus* ſentiendum eſt. Semper enim et per ſe vitam tollunt, quae venas iugulares internas, arteriam temporum et vertebrarum, maxillarem internam, ſublingualem, neruum octaui paris, intercoſtalem magnum, phrenicos collo decur-

decurrentes, plexum ex medulla ſpinali ortum et ad brachium accedentem laedunt, guttur diſcindunt, intro quaſi reuertente arteria ſciſſa, vel vehementer percutiunt ac deſtruunt, denique omnes primae et ſecundae vertebrae colli luxationes. Contra alia res eſt, vbi externae venae iugulares et arteriae eae, quae ad tempora pertinent, itemque ſtomachus extra et leuiter vulnerantur. In his enim ars multum valet.

§. 951.

Praeter haec *abſolute letale vulnus cordis* [i]) eſt, ex quo intra breue temporis ſpatium immenſa ſanguinis vis profunditur, nec fluor coërceri poteſt, cum auricularum, ventriculorum, arteriarum venarumue magnarum, itemque coronariarum et venae ſine pari, arteriae ſubclauiae, axillaris, mammariae internae integritas ſublata eſt. Sub his enim laeſionibus vita ſuperſtes nullo modo eſſe poteſt, a leuiori cordis vulnere [k]) ſubortaque inflammatione mors biduum forte trahi, non abigi.

§. 952.

Similis ratio *vulnerum* eſt, quae *vaſis maioribus* in quo demum cunque loco inacceſſo inferuntur: Nam perraro ſtringi comprimiue poſſunt, ſi vel externa ſunt, ac ſanguis ſiſti, perraro animae defectio et vera ſyncope in magnarum arteriarum vulneratione et copioſis vteri haemorrhagiis [l]) ſaluti fuit. *Per accidens* iugulant, ſi arteriae intercoſtales vel pericardii diſcinduntur.

§. 953.

Eadem ratio *vulnerum* eſt, quae *thoracem* ibique collocatas partes offendunt. Hinc *vulnera ſtomachi*,

i) *Galen*. Loc. Affect. V. 1. p. 112. IV. k) Ibid.

l) *Gaub*. Pathol. §. 783. p. 423. Iournal des Savans 1748. *Brinckmann* l. c. §. 49. p. 141. et 156 ſeq.

machi [m]), tracheae ſubclauicalis et bronchiorum magna, pulmonum, ſi vaſa maiora aperiuntur, vel via aëris meabilis ſubito praecluditur, ſepti transuerſi in parte tendinea, ductus thoracici, denique neruorum cardiacorum, phrenicorum, intercoſtalium, paris vagi cet. ſemper per ſe homines tollunt. Huc etiam pertinent magnae pectoris parietum contuſiones et laeſiones, quae cum arteriarum intercoſtalium laceratione ſunt, vel ſi qua vulnera vtrumque cauum permeant ac deſtruunt.

§. 954.

Contra *ſub conditione* vim vitae necemque inferunt, quae ſepti transuerſi muſculos eorumque ſuperficiem externam attingunt, in quibus ſimplex luxatio vel fractura coſtarum eſt, vel alterutrum latus apertum et perfoſſum.

§. 955.

Quod ad *viſcera abdominis* attinet, ea timere debemus vulnera, quae magno cum ſanguinis non ſiſtendi, nec facile euocandi, ſed putreſcentis profluuio eueniunt, v. c. in omento et hepate, praeſertim ſi profundius immiſſum telum eſt, et ſimul ad ductum hepaticum, cyſticum et communem ſ. choledochum, veſiculam felleam, venam portarum et arteriam iecoris rel. pertinet, itemque vbi qua ruptio facta eſt, qualia hepatis et ſplenis [n]) exempla proſtant, quae ventriculum eo loco, per quem nerui vel vaſa copioſa diſcurrunt, quaſi diffringunt, et alimenta in communem ventrem deponunt, i. e. vulnera extremi ventriculi, fundi, curuationis magnae vel vtriusque lateris; quae inteſtinum tenue verſus pylorum et meſenterium penitus diſcindunt; quae ſucci

m) *Boerhaaue* Hiſt. rar. ſed atroc. morbi, p. 48 ſequ. ed. *Lugd.*

n) *Pohl* Progr. de liene rupto, Lipſ. 1758.

ſucci alibilis receptaculum, arteriam magnam, venam cauam inferiorem, neruos abdominis maiores, pancreatis glandulam, meſenterii vaſa inſignia, ſanguinem vel ſuccum alibilem continentia; quae renes et cum iis iunctos meatus liquoris obſcoeni ſic afficiunt, vt is euocari nequeat; tandem quae vterum grauidum magna cum vi ac impetu diſrumpunt.

§. 956.

Minus mortifera et non niſi cum pluribus ſignis malis copulata habentor, quae integumenta muſculosue abdominis externos, lineam albam, vmbilicum vel anulum diſiiciunt, itemque interius adiguntur, illaeſis viſceribus et vaſis quibusque; id quod etiam de iecinoris, lienis, omenti, renum, veſicae vulnuſculis, nec non de iis, quae ad inteſtina tenuia atque craſſa procul a ventriculo pertinent, aut non omnem compagem reſoluunt. De genitalibus ſexus potioris externis laeſis, compreſſis, colliſis, vulneratis, idem iudicato.

§. 957.

Vulnera extremarum corporis partium periculoſa non ſunt et ſecurius infliguntur, praeter illud, quod propius a trunco vaſculum laedit, ideoque ſimul prohibet, quo minus ſanguis ſiſti poſſit: Tunc gangraena in propinquo eſt. Hinc etiam violentae capitis, pectoris et abdominis percuſſiones, contuſiones graues, ſugillationes, foeda plurimorum muſculorum laceratio, articuli prope ab pectore vel abdomine laeſio, itemque *vulnera*, quae *telo venenato* dantur, vtplurimum funeſta ſunt, quippe gangraena vitae clauſulam imponit.

§. 958.

Ex his perſpicuum eſt, *vulnus per accidens letale* haberi oportere, vbi quis ſibi ſolus relinquitur et ſine chirurgorum auxilio. Quo pertinent ea capi-

tis

tis vulnera, quae terebrae miniſterio auferri et poterant, et debebant; porro quae in vaſis magnis vel viſceribus, in conſpectum medici venientibus, accidunt, et medicamentis fere parent; in quibus, quod tuto fieri poterat, humidum et peregrina corpora non euocantur; tandem quae per incuriam aegri, per errorem vel imperitiam medici atque chirurgi, per culpam amicorum et familiarium, vel per acceſſum noui morbi, v. c. phthiſeos, vomicae cet. interficiunt. Negligenda tamen in his non ſunt aegri aetas, et temperies, ſymptomata, quae vulneri comitantur, inſtrumentum, quo vulnus inflictum eſt, tempus, ſub quo mors inſecuta eſt, medendi via et ratio rel. ne quid indiligenter vel illiberaliter fiat. Nam mors ſubita poſt vulnerationem non ſemper vera et vnica mortis cauſſa putanda eſt.

§. 959.

Quibus praemiſſis, ex facili de illa ſignorum mortis lite, quam ſuperius commemorandam duximus, iudicari poterit. Ceterae notae vt mortem certiorem reddere poſſunt, ita eam vere adeſſe ſola, me quidem iudice, *putredo* denunciat. Quae vbi incidit ocyus ſerius, quippe haec ex morbi natura, inſtrumentorum vi et magnitudine, virium vitae et irritabilis cordis conſtantia, e loco affecto, ab adſpiratione aëris puri, vel impuri, frigidi vel calidi, ab aetate et ſexu vario cet. potiſſimum pendent, conſentaneum et conſequens eſt, vt de vera ſempiternaque hominis morte dubitare amplius non liceat. Etenim tunc temporis vna cutis liuor et nigror, odor cadaueroſus, vermes hoſpites aduentitii et putredinis fautores, accedant neceſſe eſt. At donec iſta putredo afuerit, miſeros negligere atque deſerere nefas eſt, et etiamſi ſaepe omnis medici opera irrita ſit, tamen et

aliquot

aliquot diebus poſt multi in vitam quaſi ab inferis ſuſcitati reuixerunt.

§. 960.

Caue tamen, ne cetera indicia, quae vtplurimum moribundis ac vere mortuis inſunt, temere ſpernas. Quo referuntur oculorum obſcuratio et tunica cornea pituita alba ſuffuſa, ſublata functionum omnium vis, diſtentio pectoris ne minima quidem, vel vaſculis impoſitis internoſcenda, membrorum rigor, isque ſaepenumero ſenſim pedetentimque ſubſequens o), haud raro flexibilitas et mollitudo vel poſt fata conſiſtens, v. c. in vampyris, interdum et calor, qui ab motu humorum inteſtino augeſcente, v. c. in morbis putridis, a vaſis magnis laeſis p), a putredine incipiente atque odore ſuo ſatis cognoſcendo oritur; maculae cutis liuidae, non vlceroſae, et, horrendum, quantum foetentes, frigus incredibile, vis ſtimulorum et punctionum, ferramentorum, cauteriorum, ignis q), fricationum r) inefficax et omnis opera irrita cet. In tanta enim mortium diuerſitate notarumque fallacia praeſtat crudelem eſſe medicum, quam aliquos viuos per negligentiam, ſtultitiam, praeiudicatarum opinionum vanitatem ſepeliendos curaſſe. Hinc ſolutis corporis compagibus et in puluerem breui dehiſcentibus, animo vero ad Deum immortalem, vnde profectus erat, reuerſo, dedecet nos pietatis iuſtae eſſe immemores, et defunctis illud poetae apprecemur: *Molliter oſſa cubent!*

o) Hamburg. Magaz. B. 10. St. 5. p. 535.
p) *Brinckmann* l. c. p. 106.
q) *Lanciſ.* de mort. ſubit. L. II. 5. n. 11.
r) Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 8. p. 159.

Tabu-

TABVLAE I.
QVAE PVLSVS SINENSIVM
EX
CLEYERO
REPRAESENTAT,
EXPLICATIO.

Fig. 1.

Modus Sinenſium medicorum pulſus explorandi: ſtatuuntque illi tres locos, qui appellantur

1. *Cún* 2. *Quoañ* 3. *Chĕ.*

Fig. 2. *Septem pulſus externi* in tribus locis vtriusque manus morbos indicantes.

a. Pulſus *Feu* i. e. natans: Hunc digitus percipit deorſum deflectere, et ad ſuperficiem abundare, vti folium ceparum molliter depreſſum ſe ſurſum eleuat.

b. Pulſus *Keu* i. e. in medio ruptus et in extremis plenus eſt ſimilis natanti, ſed quia ſine viribus in medio deficit et eſt vacuus, habet duo capita.

c. Pulſus *Hié* i. e. acuto-creber eſt tactus, qualis fit ab vnione rotando decurrente, etſi rurſus palpes locum, cadens ictus videtur, et nec ingredi, nec egredi.

d. Pulſus *Xĕ* i. e. plenus et ſolidus, cum eleuatur, habet exceſſum: Aliqui eundem cum longo eſſe dicunt.

e. Pulſus *Hieñ* i. e. chordae extenſae ſimilis.

f. Pulſus *Kień* i. e. intenſus excedit, et, cum eleuatur, valde celer eſt, aſſimilatur torrentis curſui intento.

g. Pulſus *Huḿ* i. e. exundans infra valde magnus eſt, cum eleuatur, excedit.

Fig. 3. *Octo pulſus interni.*

a. Pulſus *Vi* i. e. paruus: Ictus eius eſt, qui cum quaeritur, abit, et venit, modo videtur eſſe, modo non; prorſus ita ſe habet, ac ſi filum ſericum palpes.

b. Pulſus *Chiń* i. e. profundus, deorſum videtur percipi, ſed vbi eleuatur, non apparet; prope oſſa deprehenditur, inſtar mollis goſſypii.

c. Pulſus *Huoń* i. e. remiſſus, ex magno et tardo componitur, tardus et lentus eſt ictus, ad digitum cum accedit, abſcedit.

d. Pulſus *Cŷ* i. e. obtuſo-rarus, eſſe infra videtur, ſed vbi eleuatur, non percipitur, initio vacuus, in fine plenus ſimilis videtur, ac ſi quis cultro ſuperficiem arundinis ſaepius rodit.

e. Pulſus *Chî* i. e. tardus, digitus non niſi fortiter applicatus illum reperit: nam eſt occultior: Tardus dicitur, quia vnica ſpiratione tres ictus tantum habet.

f. Pulſus *Foĭ* i. e. cadens, diligenter eſt perquirendus, ad oſſium fortem tactum reperitur; eſt ictus inſtar demerſae rei et mox emergentis rei.

g. Pulſus *Yú* i. e. mollis, ſubtiliſſimus et debiliſſimus eſt, cum reperis, mox abiiſſe videtur, et elabenti ſimilis, repente fallit, plane eſt, ac ſi tangeres goſſypium intra aquam.

h. Pul-

h. Pulſus *Niĕ* i. e. debilis, digitus ab illo, ſicut a lana, leuiſſimo attactu afficitur ad pellem et carnes, molliſſimus, forti facta impreſſione euaneſcit.

Fig. 4. Nouem viarum pulſus ſ. Extraordinarii.

a. Pulſus *Cham̃* i. e. longus, a calore primigenio etiam proprio loco egreditur ſimilis haſtae vibratae.

b. Pulſus *Tuòn* i. e. breuis, ab humido radicali deficiens, nec pertingens ad locum proprium, ſimilis grano oryzae.

c. Pulſus *Hiũ* i. e. vacuus ab humido radicali; cum eleuatur, non pertingit, ſimilis eſt fili ſerici globo.

d. Pulſus *ŏ* i. e. celer a calore primigenio.

e. Pulſus *Kiĕ* i. e. alligatus ab humido radicali, eſt creber et cumulatim veniens et ſiſtens, dein rediens.

f. Pulſus *Taỳ* i. e. vicarius, ab humido radicali, nititur ſe eleuare, ſed non poteſt, violenter ſe ſubinde eleuat.

g. Pulſus *Kieñ* i. e. trahentis ab humido radicali, non inuenitur, niſi valde premas.

h. Pulſus *Tum̃* i. e. motus ab humido radicali, cum eleuatur, euaneſcit.

i. Pulſus *Sý* i. e. ſubtilis ab humido radicali, recedit et venit valde paruus, videtur, ac ſi goſſypium tangas.

Hi in antiquo aliquo codice adiiciuntur:

k. Pulſus *Tay* i. e. magnus a calore primigenio.

l. Pulſus *Hú* i. e. frequens a calore primigenio.

Fig. 5. *Sedecim pulſus monſtroſi ſ. mortales*, ex modernis et antiquis codicibus.

1. Pulſus *Hiâ Yerê mĕ* i. e. ranae ſaltantis pulſus. Spatio vnius ſpirationis nunquam integer apparet, ſemel tantum pulſat.
2. Pulſus *Yú Yú* i. e. piſcis caudae immotae pulſus, qui mouet digitum, vt piſcis natans mouet caput immota cauda, redit, deinde ſiſtit.
3. Pulſus *Yeń taō* i. e. abſconditi gladii. Vnica ſpiratione duos ictus tantum dat, apparet et diſparet celeriter, vti gladius qui ſubito vibratur et mox euaneſcit.
4. Pulſus *Jeū lieñ* i. e. verſi floris pulſus: *Lieñ* eſt flos in aqua creſcens, Luſitanice dicitur *golfaon*. Vnica ſpiratione ſemel tantum pulſat, initio paruus, poſtea oblique deſcendit.
5. Pulſus *Kem Xań fi* i. e. iuſculi natantis pinguedo, ſeu ſicuti iuſculum pingue ſurſum ebulliens. Vnica ſpiratione duodecim ictus dat, dein ſiſtit, initio paruus, dein magnus, ſemper tamen debilis.
6. Pulſus *Chám Keù* i. e. calicis orificium. Vnica ſpiratione octo vel nouem ictus dat, duo capita ſeu labia, ſeu extrema tantum attingit, in medio vacuus.
7. Pulſus *Ciŏ Chui* i. e. auis vel gallinae roſtro carpentis grana. Vnica ſpiratione interdum tres, vel octo, vel nouem ictus dat; cum veniunt, ſunt celeres et digitum pungunt.
8. Pulſus *Vŏ teû* i. e. domus ſtillicidium cadens a tecto. Vnica ſpiratione tres ictus habet, et curſum abrumpit; cum adueniunt, pleni ſunt, cum abeunt, debiliſſimi.

9. Pul-

9. Pulſus *Tam̃ Xĕ* i. e. proiecti lapidis, ſ. ictus, quem facit lapis proiectus. Vnica ſpiratione vel duabus vnicum tantum dat ictum.

10. Pulſus *Kiài Sŏ* i. e. ſolutae chordae. Multis ſpirationibus vnum dat ictum.

11. Pulſus *Sié Kieú* i. e. herbarum ſic dictarum pulſus. Vna ſpiratione nouem vel decem dat ictus, deficere comperitur; et, cum eleuatur, impleri.

12. Pulſus *Tú uoñ* i. e. terrae globulis ſimilis. Vna ſpiratione nouem vel decem dat ictus, pulſus percipitur plenus et magnus, nec principium habet, nec terminum.

13. Pulſus *Faú pá* i. e. euertens ac deſtruens, ſimilis duabus fabis in aqua natantibus. Vna ſpiratione ſeptem vel octo habet ictus; cum venit, eſt plenus; cum abit, eſt tardus, poſt horam moritur in delirio febris.

14. Pulſus *Tá Kiĕ* i. e. poli pulſus. Vna ſpiratione dat duos ictus; cum venit, eſt magnus; cum abit, eſt plenus.

15. Pulſus *Kiai tŏ* i. e. diſſoluentis lumbos, ſimilis motui complicantis aliquid. Vna ſpiratione dat decem ictus, dein ſiſtit, paruus ſine capite, nec poteſt redire.

16. Pulſus *Tŏ xi* i. e. auferens cadauer, ſimilis clauicymbalo, aut chordae perſonantis ictus intenſo. Vnica ſpiratione dat vnum ictum vel tres, nec ſiſtunt, vel octo, et deinde ſiſtunt, cum veniunt creberrimi; cum abeunt, minus celeres ſunt.

TABVLAE II.

QVAE

CL. FOVQVETI PVLSVS ORGANICOS

REPRAESENTAT,

EXPLICATIO.

Fig. 1.

Modus explorandi pulſus organicos docetur.

Fig. 2. Pulſus cephalicus ſ. capitalis ſimplex.

Fig. 3. Pulſus pectoralis ſimplex.

Fig. 4. Pulſus gutturalis ſimplex.

Fig. 5. Pulſus naſalis ſimplex.

Fig. 6. Pulſus inferior ſ. ventralis, abdominalis, epigaſtricus, inteſtinalis *Fouqueti.*

Fig. 7. Alia pulſus inteſtinalis ſpecies.

Fig. 8. Pulſus ſtomachalis ſimplex ſ. Pulſus vomitus *Bordeuii*, gaſtricus *Wetſchii.*

Fig. 9. Pulſus vterinus ſimplex ſ. menſtruus.

Fig. 10. Pulſus vterini ſpecies apud Cl. *Fouquetum.*

Fig. 11. Alia eiusdem pulſus vterini forma, eaque, auctore Cl. *Fouqueto*, in iunioribus, delicatulis, neruoſis et in melancholiam pronis perfrequens.

Fig. 12. Pulſus hepaticus ſimplex.

Fig. 13. Pulſus ſplenicus ſimplex.

Fig. 14. Pulſus haemorrhoidalis ſimplex.

Fig. 15. Pulſus dyſentericus.

INDEX.


Tab. I.
Fig. 1.
1
2
3
Fig. 2.
a b c d e f g
Fig. 3.
a b c d e f g h
Fig. 4.
a b c d e f
g h i k l
Fig. 5.
1 2 3 4
5 6 7 8
9 10 11 12
13 14 15 16


Tab.II.
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15

INDEX.

A.

Abdominis tumor, qui eius pulſus ſecundum Sinenſes 70. quid indicet, ſi in deiectione crebra motus nullus perſentiſcitur 619. ſi frigidum eſt ib.

Abortio, frequens quid indicet 440.

Abſceſſus decretorii, quid denotent 483. quando in acutis morbis exſpectandi ib. notae abſceſſus futuri in ſuperioribus corporis partibus 484. in inferioribus 485. boni et decretorii, qui 486. mali ib.

Achores, retrogradi peſſimi 567.

Actiones, quatenus ſanitatem indicant 25. vitales 26. animales 27 et 194. naturales 28. 304. ſexus 29. quatenus morbum 40. actiones primarum viarum laeſae, vt ſigna 304 ſequ. ſecundarum viarum 342 ſequ. ſexus 423. potioris ib. ſequioris 429 ſequ.

Aetas, quae ſigna ſanitatis praebet 20. infantilis ib. puerilis 21. iuuenilis ib. adoleſcentum 22. virilis et ſenectutis viridis ib. decrepitae 23. aetas aetatem corrigit ib. aetatum pulſus ſecundum Galenum 115.

Affectuum pulſus varii ſecundum Galenum 117.

Algor v. Frigus.

Altus pulſus qui 113.

Aluus ſoluta quid indicet 337. quid nimia, pauca ib. quid inſcio et inuito aegro depoſita 339. qualis ſanorum 328. notae perliquidae et mollis ib. aquoſae ib. contractae 329. durae ib. perliquida quando mala ib. quid denotet aluus tarda 336. adſtricta et ſuppreſſa ib. decretoria 509.

Amauroſis, eius notae 250.

Amoris pulſus 117.

Ἀναισθησία, v. Senſus vacuitas.

Angina, proprius eius pulſus 121. quae eius ex collo ſigna 608.

Animi deliquium, periculoſum in morbis 234. imminentis ſigna ib.

Anni tempora, eorum pulſus ſecundum Galenum 118.

Anxietas, quid in morbis ſignificet 629 ſequ. duae eius ſpecies, et cuiusque notae 630. quae anxietas mala 631. media ib. immedicabilis 632. qualis in moribundis 633.

Aphonia, in morbis ſemper mala 230. media 231.

Aphthae, earum ſigna 589 ſequ.

Appetitus, eius in morbis vis 311. conſiſtens 312. deficiens in ſano ib. in febribus ib. in conualeſcentibus reuertens bonus ib. deficiens in ebrioſis periculoſus 313. nimius ſemper malus ib. quid in ſanis vel febris vigore denunciet 313. peruerſus 314.

Ἀψυχίη *Hippocratis*, quid denunciet 236.

Ardor ventriculi, quid denotet 316.

Auditus, eius in morbis vis et poteſtas 255 ſequ. *difficilis* notae 257.

Aures, quae ſanae 36. earum *ſuſurrus*, quid denunciet 255. vlceratae et manantes 579.

Aurium ſordes, earum notae 579.

Auriculae, earum varia in morbis ſigna 579.

B.

Bilis, eius notae in morbis 326 ſequ.

Bordeuii diuiſio pulſuum 130. criticus 133. non criticus 134. eius naſalis quis 140.

Bulimos, eius pulſus 122.

C.

Cacochymia, vnde cognoſcatur 539. ſeroſa ib. pituitoſa 540. atrabilaria ib. acida 541. muriatica ib. alcalina volatilis ib. rancida et biliosa 542. ſpecificae ib.

Calculus, eius indicia 417.

Calor, eius variae formae 552. quando bonus vel malus 553 ſequ. blandus fere malus augur 555. quid in variis morbis portendat ib. alternans cum frigore 559 ſequ.

Caprizans pulſus, qui 99. eius ſignificatio 104.

Caput, quod ſanum 27 et 35. Signa male affecti 569.

Carphologia v. Floccorum venatura.

Carus, eius notae 266.

Catochus et Catalepſis, eorum pulſus 119 ſequ.

Cephalaea, mala 288.

Ceruix, dura et dolens quid denunciet 608. quid inſudans ib.

Chloroſis, eius notae 574.

Circumnuens pulſus, quis 114.

Clauus, qui metuendus 288.

Coctio quid 8 et 466. quae bona 467. eſt duplex ib. indicia coctionis bonae 468.

Colica, qui eius pulſus ex Sinenſium doctrina 70.

Collum, eius ſigna 607. ſi procerum vel craſſum et breue eſt ib. ſi arteria, quae huc pertingit, vehementer appellitur ib. ſi collum dolet a tenſione vel inuer-

inuerſura 608. quae exinde ſigna in angina repetenda ib.

Color, in facie reſpondens pulſui ſecundum Sinenſes 61. *oculorum* quid notet 246. quid vniuerſi corporis 560. quando bonus 561. notae coloris albi et pallidi ib. rubri 562. flaui 563. viridis 565. liuidi et nigri ib. quid in naeuis maternis valeat ib.

Coma vigil, quid indicet 265. *coma ſomnolentum* quid 266. *coma placidum* quid ib.

Comitialis morbus, qui eius pulſus ſecundum Sinenſes 69.

Conceptio, v. Grauiditas.

Conuulſio, quid indicet 220. futurae ſigna ib. quando bona vel mala 221 ſequ. quid potiora eius genera denuncient 223. quae ſingulorum membrorum ib.

Conuulſiuus pulſus quis 99. ſignificatio 104.

Cor, quando ſanum 36. quid eius deſtructionem denotet ſecundum Sinenſes 62.

Corpus, eius habitus, vt ſignum 542 ſequ. quid denunciet bene valenti ſimile vel diſſimile in morbis acutis 544.

Criſis, v. Iudicatio.

Cruditas quid 8 et 464. eius notae 465.

Cubitus, in morbis negligi non debet 622. qui bonus 623. qui malus et exitialis 623 ſequ. qui peſſimus 624. qui mortis praenuncius 625. quid indicet cubitus tumultuoſus ib. cum capite prono ib. vel pedibus disiectis 626. in affectum latus ib.

Cutis vlcerata poſt ſudores, quid denotet 364. quid mador 560. vel ſiccitas ib. quid tenſa in vola corii inſtar et dura 622.

D.

Debilitas poſt morbos graues, ab irritabilitate eſt 199. quid ſignificet 224 ſequ. peſſima, quando 225.

Decreta medicorum generalia de ſignis 13 ſequ.

Decubitus, v. Cubitus.

Decurtatus pulſus, v. myurus.

Deglutitio, eius in morbis ſigna 308 ſequ. bona vel mala 309. in ſcorbuticis et hypochondriacis 310. ſonora peſſima 310.

Deiectio, quae bona 327 ſequ. mala 328. quid indicet viſcida et pituitoſa 330. mucoſa ib. alba ib. chyloſa et pinguis 331. purulenta ib. viridis ſ. crocea ib. flaua 332. fuſca ib. nigra et liuida ib. ſpumans 333. praeruſa ib. cruenta 334. bene colorata 335. odora et foetens ib. putrida et cadaueroſa ib. decretoria 509. ſymptomatica 510.

Delirium, qui eius pulſus ſecundum Sinenſes 69. quid delirium indicet 272. ſigna imminentis 273. futuri 274. praeſagia ex delirio ſemper mala 275. ſigna delirii acuti et vehementis ib. in febrium acutarum vigore ib. mitis atque continui 276. longi ib. continui et ferocis ib. moderati, taciturni ib. ceterarum delirii formarum 277. deliria periculoſa, quae 278. eorum, quae a debilitate, notae 279. peſſima ſpecies, elatio animi ib.

Dentes, eorum notae 590. ſi glutinoſo humore inficiuntur ib. arent ib. ſtrident vel conuelluntur ib. corrumpuntur vel dolent 591. ſi difficulter erumpunt ib.

Diarrhoea, eius pulſus ſecundum Sinenſes 70. eius notae 337. quae bona vel mala 338. quae letalis ib.

Dicrotus pulſus 97. eius ſignificatio 101. ſecundum Solanum 131.

Dies decretorii, irritabilitati debentur 200 ſequ. vere dantur 448 ſequ. ſunt pares et impares 449. quomodo numerandi 451. in his ſeptimus eminet 452. qui pares dicuntur, qui impares 453. quomodo quisque decernit ib. eorum diuiſio 456. indicum poteſtas ib. intercalares, qui 457 ſequ. cauſſae dierum decretoriorum 460. boni vel mali ſunt ib. his

his continetur vis medici 462. et diuiſio variorum ſtadiorum 463.

Digeſtio, quae mala 325. in acutis 326. in conualeſcentibus ib.

Digiti, eorum notae, ſi frigent, calent, ſtupent 621. ſi videntur recuruati ib. liuidi vel plumbei ib.

Diplopia, quid notet 244.

Dolor, eius in morbis vis 283. 301. variae formae ib. qui minus malus 284. qui peſſimus 285. dolor capitis quid denotet ib. quid cum variis ſignis iunctus 286 ſequ. quid fixus 287. quae a loco dolente capitis repetuntur ſigna 288. dolor verticis et temporum ib. aurium 289. qui periculoſi ib. ceruicis ib. faucium 290. pectoris ib. ſcapulae 291. mammae ib. laterum ib. dorſi 292. ventris ib. praecordiorum 293. ſcrobiculi cordis 294. oris ventriculi 295. quando is dolor malus 296. dolor inteſtinorum ib. lumborum 297 ſequ. veſicae 299. dolor a calculo 300. ad partum ſpurius ib. penis ib. podicis ib. extremorum 300 ſequ. quid, ſi ſubito remittit 301.

Δορκαδίζων *pulſus*, v. caprizans.

Dorſum, eius in morbis inſpectio neceſſaria 609. quid indicent maculae hic enatae ib. in longis deſquamatum non metui debet ib.

Dyſenteria, eius pulſus ſecundum Sinenſes 70.

E.

Ἔκλυσις v. exſolutio.

Emphyſema, quid indicet 551.

Ἐφίδρωσις, quid denunciet 357.

Exanthemata, varii generis ſunt 488. quando decretoria 489. ſymptomatica 490. generalia de his medicorum decreta ib. quid indicent volatica infantum 567. quid diuturna ib. in ſcorbuticis 568.

Exſolutio, quid indicet 236.

Extremi-

Extremitates, ſanae quae 37. quae hoc nomine comprehendendae 619. quae in morbis bene ominoſae ib. quae malae 620 ſequ.

F.

Facies et pulſus ſibi reſpondent ex doctrina Sinenſium 61. quid denotet rubra 562. variae eius formae 570. quid portendat in morbis ſana 571. mire contorta 572. florida et roſea ib. rubore fugaci ſuffuſa 573. rubra et inſudans ib. cadaueroſa ib. pallida 574. et tenuata 575. flaua ib. liuida 576. lurida et plumbea ib. turgida ib. flacca et tenuata 577. moroſa et auſtera 578. anxia ib. triſtis, meditabunda, ſubridens ib. Hippocratica 606. huius notae ib.

Fames, quae metuenda 314. letalis 315. canina, quid deſignet 315.

Faſtidium, eius ſigna 315. periculoſum, quando 316.

Fatuitas, quid 280. ſemper mala ib. praeſertim in perſpicacioribus 281. inſanabilis, quae ib.

Fauces, quid deſignent graciles, dolentes, vlceratae 605. aſperatae ib. cum ſuffocatione iunctae ib. in angina tumidae et inflammatae ib.

Febris alba amatoria, eius notae 574.

Febris maligna, eius ſigna ſecundum Sinenſes 68 ſequ. maligna a fermento calido et frigido 69. febrium auctor irritabilitas 199.

Feces, v. Deiectio.

Feriens bis pulſus, v. dicrotus.

Flatus, qui bonus vel malus 317. creber in acutis 318. foetens ib.

Floccorum venatus, quid denunciet 628 ſequ.

Foetor, eius in morbis notae 252.

Formicans pulſus, quis 98. eius ſignificatus 105.

Fouquetus, eius deſcriptio pulſus non critici 134. organici notae 135 ſequ. eius epigaſtrici, qui 153.

Frigus,

Frigus, quid in morbis indicet 556. quid varii eius gradus ib. quando bonum vel malum ib. quid ſi varia membra occupet 557. extrema 558. alternans cum calore 559.

Frons, eius in morbis vis 580. ſigna ex collapſa et contracta ib. pallida ib. rubente et calida 581. rubore fugaci ſuffuſa ib. liuida ib. puſtulis deturpata ib. dolente 582.

G.

Galenus, eius de pulſibus doctrina 110 ſequ. eius hac de re merita 114. primus inuentor pulſuum organicorum 122.

Gangraena decretoria, quando exſpectanda 482.

Gaſtricus pulſus, v. pulſus organici.

Genae, earum ſigna, ſi rubent 585. ſi maculis contaminantur 586.

Gingiuae, earum varia ſigna in morbis 592.

Graciloſcens pulſus, v. myurus.

Grauiditas, eius potiora ſigna 438. magna in aeſtimanda eorum vi cautio 439. falſae grauiditatis indicia ib. ſi ducitur 441.

Guſtus, eius notae in morbis 253. nullus vel alienus, ingratus ib. amarus, dulcis, vrinoſus, acidus, ſalſus, intolerandus 254. aeruginoſus ib. foetens 255.

Gutta ſerena, v. Amauroſis.

H.

Habitus corporis bonus quis 37 ſequ. eius varia ſigna 542 ſequ. athleticus malus eſt 543.

Haemantica, fallax eſt 536.

Haemoptyſis decretoria, an detur 498.

Haemorrhagia, eius pulſus ſecundum Sinenſes 70. ſaepe in acutis morbis decretoria 492. quando metuenda ib. potiores eius viae ib. potiora ſigna ib. notae

notae haemorrhagiae narium futurae 493. decretoriae 495. ſymptomaticae 495 ſequ.

Haemorrhoides decretoriae, earumque ſigna 499.

Hecticus pulſus 99. eius ſignificatio 104.

Hemicrania, quando mala 288.

Hepar ſanum, quando 37. eius pulſus ſecundum Sinenſes 66. et deſtructio 67.

Hippocrates, quid ap. eum τεκμήριον et σημεῖον 7.

Horror, quid 201. eius ſigna ib. bonus, quando 202. malus 203. horror qualis ſingularum febrium eſt 204 ſequ. in continua 205. in putrida 206. in exanthematicis ib. inflammatoriis 207.

Humores, eorum motus ſignum valitudinis 26. etiam multitudo 27. qui ſani 30. deficientium ſigna 539.

Hydrops, qui pulſus ſecundum Sinenſes eum indicent 71. ſecundum Galenum 122.

Hyſtericae, earum pulſus ſecundum Galenum 122.

I.

Icterus, eius pulſus ſecundum Galenum 122. quando in acutis bonus et decretorius 563. eius notae ib. quando malus 564.

Idioſyncraſia, ab irritabilitate eſt 198 ſequ.

Inciduus pulſus Solani, v. vndoſus, et *Solanus*.

Incontinentia vrinae 397.

Inferior pulſus 145.

Inflammatio, eius pulſus 119.

Innuens pulſus, v. circumnuens.

Inſomnia, in morbis ſemper mala 269. cautiones in his praeſagiis ib. ſunt grata vel ingrata, eorumque ſigna 270. turbulentorum notae 270 ſequ.

Intercïſus pulſus, v. dicrotus.

Intercurrens pulſus, qui 97. ſignificatus 101.

Intermittens pulſus, quid ſecundum Solanum indicet 131 ſequ.

Inteſtina ſana, quae 37.

Iris opaca, quid ſignificet 249.

Irritabilitas naturalis, quae bona 28. eius natura 195 ſequ. hac firmatur facilis neruorum diſtentio in pueris, feminis 197. affectuum vis ib. pulſuum crebritas et mutatio 198. ipſa idioſyncraſia ib. febrium auctor eſt 199. et debilitatis poſt morbos graues ib. variorum ſub vario caelo morborum 200. in ea forte cauſſa latet, cur variolae ſemel hominem inuadunt 200. glutini debetur ib. firmior ab hac doctrina de diebus decretoriis eſt 200 ſequ.

Iudicatio morborum, irritabilitati debetur 200. quomodo fieri debeat 445. quid ſit 469. variae eius ſpecies 470. quando futura iudicatio 471 ſequ. quando nulla exſpectanda 472. notae imminentis et futurae 473. certae et ſalutaris 475. bonae, nec ſemper tutae ib. exitioſae 477. iudicationis modi 481. per gangraenam 482. per abſceſſus, ſuppurationem, exanthemata 483. per expulſionem humidorum 491 ſequ. per haemorrhagias 492 ſequ. per ſanguinis ſputa 498. menſes ib. haemorrhoides 499. mictum cruentum 500. ſudorem ib ſaliuae fluorem et ſputa 503 ſequ. vrinam 505 ſequ. vomitum 507. deiectionem 509. per coniunctionem plurium egeſtionum 510.

K.

Καρδιαγμὸς, quid ſignificet 295.

Καρδιαλγία, eius notae 295.

Kiao pulſus apud Sinenſes qui, eorumque ſignificatus 51 ſequ.

L.

Labia, eorum vis in morbis 586. ſi tremula ſunt ib. alba, arida, diſtorta, reſoluta cet. 587. vlcerata ib. tumida ib.

Lacrumae, earum in morbis ſigna 247 ſequ. *pituitoſae* 248. ex glandula lacrumali notae ib.

Lactatio, quid ſignificet nimia 443. deficiens ib. impotentia lactandi 444.

Laſſitudo, quid denunciet 226. quando bona vel mala ib.

Lectio veterum commendanda 10.

Lethargus, eius notae 267. periculoſus ib.

Lethargicorum pulſus, qualis 119.

Leuitas corporis, ſignum ſanitatis 27.

Li pulſus Sinenſium, qui, eorumque ſignificatus 53.

Lingua, eius inſpectio in aegris perneceſſaria 592. varie mutata 594. notae linguae rubrae ib. cruentae ib. pallidae et albae 595. flauae ſ. viridis Hippocratis 596.illioſae ib. fuſcae, puniceae, plumbeae, liuidae ib. nigrae 597. et varie compoſitae ib. tumidae 598. contractae 599. humidae et mollis ib. durae, horridae, aſperae, ſcabrae ib. ſiccae 600. aduſtae ib. mucoſae, ſordidae ib. malum ſaporem referentis ib. foetorem reddere viſae 601. fiſſae, vlceratae, biſulcae 602. bulloſae vel puſtuloſae ib. tremulae 603. conuulſae ib. reſolutae 604. ardentis, frigidae ib. quid augurandum, ſi lingua ſine ſenſu ac guſtu eſt ib. in his ſignis ſpectari debet tempus et modus coniunctionis ib.

Lippitudo, quid denunciet 248.

Lyſis, quando exſpectanda 478.

M.

Macies, v. Macritudo.

Macritudo, in morbis ſubita peſſima 548. quando non adeo metuenda ib.

Maculae, earum color in acutis notandus 563.

Mador cutis, quid denunciet 560.

Malacia, quid indicet 314.

Malignitas morbi, quid 518 ſequ. vnde petenda eius ſigna 519. communia ſigna 520. et certae perniciei 521. potiora 522.

Manducatio, eius in morbis vis 308.

Manus tremor, quid denunciet 621.

Marceſcentium pulſus, v. Tabidi.

Maxilla, quid indicet eius diſtentio 586.

Medici, eorum mores quoad praeſagia 2 ſequ. ſola ſignorum ſcientia magni 4. veteres hac de re clari 9 ſequ.

Membrorum motus, facilis bonus 228.

Memoria deleta, v. Obliuio.

Menſtrua, v. Purgatio.

Mentis conſtantia, in morbis ſemper bona 271. cautiones in praedicendo 272.

Mentum, eius in morbis ſignificatio 587.

Meteoriſmus ventris, quid 618. quid in variis morbis portendat ib.

Mictus cruentus, eius notae 416. interdum decretorius 500.

Mola, eius notae 440. variae formae ib.

Morbi varii ſub vario caelo ab irritabilitate dimanant 200. morbi letalis notae 279. malus eius exitus, quando 461. recidiui 512 ſequ.

Mores aegri, ſemper attendendi 627. varia eorum ſigna ib. ſub quibus mors exſpectanda 628 ſequ.

Morientium pulſus 106.

Mortis ſigna ſecundum Sinenſes 56 ſequ. eius hora in acutis, quomodo definienda 462. an in morbi decremento accidere poſſit 480. an eius ſigna incerta 634. diſtinguenda eſt mors naturalis, morboſa, violenta 635. violenta varii generis eſt ib. notae mortis ſenilis 636. morboſae ib. mortis futurae 637. violentae 638. ſigna mortis aqua ſubmerſorum 639. viui, an mortui vndis ſubmerſi ſint 638. ſigna eorum, qui faucibus laqueo praecluſis obierunt 641. viui, an mortui ſuſpenſi 642. indicia ſuffoca-

ſuffocationis in infantibus recens natis ib. an in vtero viuant 643. ſi incuria nutricum perierunt ib. ſigna mortis a vaporibus ib. carbonibus 644. ceteris effluuiis ib. attonitorum ib. frigore pereuntium 645. ex caſu grauiori ib. a globi bellici tranſitu ib. ab commotionibus animi 646. ex lipothymia et ſyncope ib. mortis a venenis ſigna 647. ab arſenico ib. ab venenis lentis 648. eorum ſigna minus certa ib. ab plumbi calcibus 649. a venenis ſtupefacientibus ib. a cicuta et fungis venenatis ib. ab morſu viperarum 650. a vulneribus 651 ſequ. iſta mors duplicis generis ib. mortis certiſſimum et vnicum ſignum putredo 655. at cetera indicia non negligenda 656. iſtorum recenſus ib.

Motus tonicus, quid 194. eius diuiſio 195. facilis membrorum motus bonus 228.

Muſculi, quae ſigna ſanitatis praebeant 27.

Μυρμηκίζων pulſus, v. formicans.

Myurus pulſus, qui 96. ſigna 101.

N.

Naeui materni, quid eorum mutatus color denunciet 565.

Nares, notae ex pallidis et frigidis 582. rubris ib. prurientibus 583. ex earum foetore ib. ab vlceribus ib. polypo ib. quid denuncient nares peruerſae 584. diductio alarum ib. pinnae graciles et tenuatae, compreſſae, contractae, acutae cet. 584.

Nauſea, eius notae 318. in febre acuta ineunte non metuenda 319. quae mala ib. in grauidis ib. ſpirituum potoribus ib.

O.

Obliuio, eius in morbis notae 282. quando peſſima ib. inſanabilis ib. ſanabilis 283.

Oculus, qui ſanus 35. qui bonus in morbis 242. quid ſignificet *hebes* ib. *caligans* 243. ſi quis *aliter videt* ib. varii *oculi motus et ſplendores* 244. *diplopia* ib. *bulbus oculi eminulus*, quid denunciet 244. cetera eius vitia 245. *circulus ſub oculo*, eiusque *color* varius, quid ſignificet 246. qui oculi peſſimi 250 ſeq.

Odor, eius in morbis notae 251 ſequ. *ſublatus* ib. *amiſſus* 252. *faetida redolens*, quid ſignificet 252. *putridus* et *cadaueroſus* ib. *odor alienus* 253.

Oedema pulmonum, v. Pulmones.

Olfactus, eius in morbis notae 251 ſequ.

Organici pulſus, v. Pulſus.

Orthopnoea, eius pulſus 121.

Os, eius notae, ſi amarum eſt 588. graueolet ib. hiat vel artius clauditur ib. diſtorquetur vel conuellitur ib. tumet 589. ſpumat vel vlceratur ib. aphthis tenetur ib.

Oſcitatio, quid denotet 228. in febricitantibus 229. in haemorrhagiis ib. in ceteris morbis 230.

P.

Palpebrae, variae earum formae, quid annuncient 247.

Palpitatio, quid deſignet 240. in quibus perhorreſcenda ib. quae medicabilis vel immedicabilis 241.

Parotides decretoriae, quae bonae vel malae 487.

Partus inſtantis ſigna 441. facilis 442. difficilis ib. eius purgamenta 442 ſequ. ſuppreſſa ib.

Pauor, vbi malus 217. quibus ineſt ib.

Pectus, eius *pulſus* ſecundum Sinenſes 63. in eo ſtrepitus 233. quadratum et hiſpidum 610. eius notae, ſi non tumet nec dolet 610. ſi praecalidum eſt vel rubet ib. ſi male coloratur ib.

Penis impotentia, quid indicet 424. quid flaccus ib. facile arrectus iterumque deſidens 425. nimis et perpetuo arrectus ib. conuulſus ib. breuior vel longior 426.

Percuſſio thoracis, v. Thorax.

Peripneumonicorum pulſus, qualis 120.

Perturbatio critica, quid 479. vnde cognoſcenda ib.

Peticulae, quae bonae vel malae 609.

Phreneticorum pulſus, qualis 120.

Phthiſicorum pulſus ſecundum Galenum 121.

Pica, quid ſignificet 314.

Pinguitudo, virorum et adultiorum eſt 546 ſequ. eius noxae 547.

Plethora, eius in vniuerſum notae 537. et verae ſanguineae ib. verae obeſae 538. ſpuriae ib. febrilis 539.

Pleuriticorum pulſus, quis ſecundum Galenum 120.

Ponderis ſenſus circa digeſtionis inſtrumenta, quid denotet 325.

Praecordia, eorum in morbis magna vis 614. quae bona 615. quid denuncient tumida et mollia ib. varie tenſa 616. dolentia, grauia, ib. quae mala et exitioſa ſint ib. quid portendant ſublimia, reuulſa, exſtantiora, dura, calida 617.

Praedictio, in ea cautiones adhibendae 10 ſequ.

Priapiſmus, eius notae 425.

Pruritus genitalium, quid indicet 411. vnde 566. interdum decretorius ib.

Pubertas, eius in viris notae 424. quid denunciet, ſi tunc labes venerea effloreſcat ib. in mulieribus ſigna 430.

Pulmones, qui ſani 36. eorum pulſus ſecundum Sinenſes 63. quando indicet deſtructionem 64. eorum oedema malum 551.

Pulſus ſanus quis 36. ſignum in morbis 41 ſequ. multiplicis generis ib. a variis auctoribus varie deſcripti 42. pulſus *Sinenſium* 43 ſeq. eorum pulſus praecipui 46 ſequ. ſignificatio 49 ſequ. alia pulſuum diuiſio 51. pulſus nouem viarum 54 ſequ. vitae ac mortis 56. celer, inaequalis, intermittens, quid ſecundum eos ſignificent 57 ſeq pulſus vernus, aeſtatis, autumni, hiemis 58. anni temporum ib. ſexus, praeſertim ſequioris 59. foetus et grauiditatis ib. ſenum 60. pulſus quinque principalium corp. partium 61. cordis et pericardii ib. pulmonum et meditullii pectoris 63. ſtomachicus, eiusque ſigna 64. hepaticus 66. renalis, quid indicet 67. pulſus febris malignae 68. haemorrhagiae, ſpirationis difficilis, vermium, dyſenteriae 70. iudicium de his Sinenſium pulſibus 72.

Pulſus cognitio perneceſſaria 72. eius diuiſio 73 ſequ. celer et tardus, quis 73. quid ſignificent 78 ſequ. longus et breuis, altus, profundus, latus, anguſtus, frequens, et rarus, qui 74. rari ſigna 81. fortis et debilis, qui 75. quid denotent 81 ſequ. quid ſignificent 84 ſequ. vehemens et exilis 75. magnus et paruus ib. plenus et vacuus 75. vndoſus quis 76. 97. quid indicet 76. durus et mollis 76. quid notent 86 ſequ. εὔρυθμος et ἄρυθμος, aequalis, inaequalis, intermittens, qui 77. ſigna 88 ſequ. ordinati et inordinati 77. crepitans 78. cautiones, quoad pulſus inaequales 89 ſequ. ſigna inaequalis 91. intermittentis 92. deficientis 93 ſequ. pulſuum varia coniunctio et ſignificatio 94 ſequ. pulſus inaequales ſingulares 96. eorum ſigna 100 ſequ. de pulſibus inaequalibus cautiones 105 ſequ. pulſus ſanus, quid in morbis denunciet 106. pulſus morientium 106. pulſus in morbis, qui boni maliue 107. cautiones quoad explorationem pulſuum 107 ſequ.

Pulſus Galenici, qui qualesue 110 ſequ. eorum diuiſio 111. inaequales, qui 112 ſequ.

Pulſus organici 125 ſequ. difficulter cognoſcuntur et explicantur 127. cautiones ad explorandum et iudicandum neceſſariae 128 ſequ. eorum auctores etiam reliquos pulſus, in primis Galenicos, ſtatuunt 130. pulſuum iſtorum diuiſio ib. criticus Bordeuii 133. non criticus ſ. irritationis 134. organicus ib. eius notae 135 ſequ. proprietates ſubſidiariae 136. criticus triplex 137. quae criticam euacuationem denotent 137 ſequ. critici, vbi fiant 138. ſuperior eſt et inferior ib. ſuperioris ſigna 139. tres eius ſpecies ſunt ib. pulſus pectoralis ſimplex, quis et eius ſignificatio 140 ſequ. gutturalis ſimplex 141 ſequ. naſalis ſimplex eiusque ſigna 142 ſequ. cephalicus 143. eius ſigna 145. pulſus inferior, eiusque formae 145. eius proprietates ib. ſtomachalis ſimplex 146. cardiac ſ. ſtomachicus ſuperior et gaſtricus inferior 147. inteſtinalis ſimplex 148. eius ſpecies pulſus hydropis abdominis ſ. aſcitis 149. dyſentericus 150. haemorrhoidalis ſimplex 151. hepaticus ſimplex 152. ſplenicus ſimplex 153. vterinus ſimplex 154. differentia eius a naſali et inteſtinali ib. haemorrhagiarum pulſus 156. ſigna pulſus vterini ſimplicis 156. pulſus grauidarum et partus purgamentorum 157. veſicae ſ. vrinae ſimplex 158. ſudoris decretorii 159 ſequ. organicus vnius lateris 160. pulſus compoſiti 160 ſequ. pulſus ſuperiores omnes iuncti, quid indicent 161 ſequ. ſuperiores et inferiores iuncti 162. pulſus ſuppurationis 163. pulſus irritationis ſ. non criticus 164 ſeq. iunctus cum decretorio 166. in morbis acutis boni malique exitus 166 ſequ. in febre maligna 167. in morbis ſingulis 168 ſequ. pulſus conualeſcentium et morientium 170. poſt balnea frigida et calida ib. poſt medicamenta 171 ſequ. iudicium de pulſibus organicis 172 ſequ.

Pupilla, eius varie mutatae notae 249.

Purgamenta partus, v. Partus.

Purgatio menſtrua, eius ſigna ante pubertatem 430. praecocis ib. deficientis 431. in grauidis 432. ſi

nimia ib. decolorata 433. decretoria, eiusque notae 498 ſequ.

Putredo, vnicum et certiſſimum mortis ſignum 655.

R.

Recidiui morbi, qui 512 ſequ. quando praeſagiendi 513 ſequ. quando periculoſi 516. minus terribiles 517. tuti ib. et longis morbis recurſus ſui ſunt 518.

Reciprocus pulſus, quis ſecundum Galenum 113. quotuplicis generis ib.

Renes, ſani qui 37. eorum pulſus ſecundum Sinenſes 67. deſtructio 68.

Reſolutio neruorum, quid de variis eius formis ſentiendum 228.

Reſolutorum pulſus 121.

Reſpiratio, quae ſanitatem indicet 27. difficilem, quae indicant ſecundum Sinenſes 70. reſpirationis praeſtantia 173. varii eius modi 174 ſequ. ſigna reſpirationis celeris 176 ſequ. tardae 177. frequentis ib. rarae et magnae 178. paruae 179. fortis 180. altae et ſublimis ib. facilis 181. difficilis ib. ſonorae, clangentis, ſuſpirioſae, luctuoſae 183. ſtertoroſae 184. ſuffocatiuae ib. dolentis et non dolentis 185. aequalis et inaequalis ib. intermittentis et interruptae 186. calidae et frigidae ib. foetentis 187. naturalis reſpiratio ib. reſpiratio compoſita 188 ſequ. cautiones neceſſariae 192 ſequ.

Rigor, quid 208. eius ſigna ib. boni 209. mali ib. peſſimi 210. in hypochondriacis et hyſtericis ib.

Riſus, quid ſignificet 213.

Ructus, quid indicet 317 et 328. cum flatu iunctus 317. in laeuitate inteſtinorum ib.

S.

Saliua, eius vtilitas 342. nimia, quid indicet ib. quando bonus vel malus eius fluor 343. multae indicia ib.

ib. deficientis 344 ſequ. tenacis, tenuioris 345. ſapidae ib. viridis 345. decretoriae 503.

Sanguis, eius ſtillae in morbis ſemper malae 496. ſigna ex ſanguine fallaciſſima 522. ſanguis ſanus, quis 524. ſubſtillus 525. praetenuis ib. non coagulans ib. craſſus 526. in ſerum et craſſamentum diffluens ib. cruſta varia tectus 527. inflammatoria cute tectus 527. et ſubflaua ib. ſanorum adſimilis 530. craſſamentum eius rubrum et reſolutum ib. rubor eius, vnde ib. variae eius formae et indicia 530 ſequ. pallidus et albus 532. croceus et viridis ib. bulloſus 533. ſpumans ib. foetens ib. in febribus acutis variis, qualis 535. eius ſigna incerta 536.

Sanguinis ſerum, deficiens, quid indicet 533. quid multum et pellucidum ib. flauum vel croceum 534. varie coloratum ib. rodens ib. pingue 535. variegatum ib. ſubdulce, amarum, foetens ib.

Sanitas, quid 19. eius ſigna ib. ab aetate 20 ſequ. ab actionibus 25 ſequ. ab temperie 30 ſequ. ab ſingulis corporis partibus 34 ſequ.

Sanorum pulſus ſecundum Galenum 115.

Sapor, v. *Guſtus*.

Satyriaſis, eius ſigna 425.

Scabies, eius varii gradus et ſigna 568.

Σκωληκίζων pulſus, v. vermiculans.

Semen, eius vitia et ſigna 427. copioſa effuſio 428. incontinentia ib.

Semiotice, quid 1. eius neceſſitas, vtilitas 2. iucunditas 3. ſemiotice phyſiologica, quid 19 ſequ. pathologica, quid 39.

Senſus externi, qui ſani 27. *interni* 28. *externorum* ſigna 241 ſequ. internorum 261 ſequ.

Senſus vacuitas, eius ſigna mala 260. 302. *nimius*, quid deſignet 260. exquiſitior in morbis malus 284.

Serpentinus pulſus ib. eius ſignificatio 105.

Serratus pulſus, quis 100. eius ſignificatio 105.

Serum ſanguinis, v. Sanguis.

Sexus morbi 423. potioris ib.

Siccitas corporis, eius in morbis vis 560.

Signa, quoad illa quid obſeruandum medico 4. varii generis ſunt 4 ſequ. ſigna anamneſtica, eorumque vtilitas 7. diagnoſtica 8. prognoſtica 9. quomodo adhibenda a medico ib. generalia a ſingularibus ſecernenda 11. ſigna aetatum, v. Aetas.

Sinenſes, eorum de pulſibus doctrina 43 ſequ. tres locos, quibus explorandi ſunt, ſtatuunt 44. quid indicent 45. cautiones 46. v. rel. ſub voc. *Pulſus*.

Singultus, quid denunciet 214. non adeo malus, qui 215. periculoſus ib.

Sitis, quid in morbis indicet 305. modum excedens ib. quae bona vel mala 306. vitioſa 307. deficiens 308.

Solani de pulſu obſeruationes 131. ſigna dicroti et intermittentis ib. incidui 132. iudicium de eius decretis 132 ſequ.

Somnus, eius pulſus 118. eius notae in morbis 261 ſeq. turbulenti, ſine vel cum virium inſtauratione, multi et profundi 262. bonus vel malus, qui 263.

Sopor, in morbis ſaepe malus 263. variae eius notae 264. malus, qui ib. mortiferus 265. periodicus ib.

Sputatio crebra, quid denotet 344.

Sputum, quid 345. facilis ſpuitio, quid indicet 346. quid ſero vel nihil exſpuere 347. quid dolorem releuans ib. copioſum vel paucum ib. ſubito ſuppreſſum 348. in tabidis ib. nullum ib. tenue, crudum, craſſum, viſcidum, glutinoſum 349. pituitoſum, praealbum, ſubaridum 350. ſincerum ib. ſapidum 351. foetidum ib. varie coloratum 352. notae purulenti 353. flaui ib. male colorati ib. hoc quando minus periculoſum ib. quid denotet cruentum

tum 354. cum multa tuſſi expectoratum ib. figuratum 355. bonum vel malum ib. peſſimum 356. decretorium 504 ſequ. quibus in morbis eueniat 505.

Stabilis pulſus v. hecticus.

Statura, eius ſubitum incrementum, malum 544. excelſioris noxae 545. in pueris ib. adoleſcentibus 546.

Sterilitas, quae inſanabilis 444. periculoſa ib. temporaria ib.

Sternutamentum, quid in morbis indicet 211. quod bonum ib. malum 212.

Stomachus, eius pulſus ſecundum Sinenſes 64. et deſtructio 65. quis ſecundum Galenum 121 ſequ.

Strepitus in pectore, quid in morbis indicet 233. inter potandum 310.

Struthius, eius de pulſibus merita 123. eius diuiſio 124. habet etiam multa de pulſibus organicis ib.

Stupor, quid 259. eius notae 260. in variis morbis 301. ſemper malus 302.

Stuprum violentum, non datur 437. eius indicia 438.

Succus nutritius, v. Digeſtio.

Sudor, eius variae formae 358. generalis fere bonus 359. ſingulorum membrorum non ſemper ib. manus et pedis in ſanis ib. in his, quid denunciet 360. vernus et autumnalis ib. copioſus in acutis 361. qui bonus vel malus 362. colliquatiuus 363. coloratus ib. ſanguineus, croceus ib. pinguis, viſcidus, foetens ib. acidus 364. nidoroſus ib. calidus vel frigidus ib. ſubito ſuppreſſus vel deficiens 365. decretorius 500. ſymptomaticus et malus 501. itemque anglicus 502.

Superior pulſus 139 ſequ.

Suppuratorum pulſus 120. ſecundum inuentores pulſuum organicorum 163.

Surditas, eius notae 257 ſequ. poſt migrationem materiae 258. *purulentorum* 259. ſanabilis vel inſanabilis 259.

Suſurrus aurium, vnde 255. quid notet 256. malus, qui ib.

Syncope, quid portendat 234. quae timenda 235. eius ſigna 235.

T.

Tabidorum pulſus 120.

Tactus, varia eius ſigna 259 ſequ. *deprauatus*, quid indicet 260. *amiſſio* ib.

Τεκμήριον, v. Hippocrates.

Temperies, index ſanitatis 30 ſeq. ſanguinea, quae ib. eius ſigna 31. phlegmatica ib. eius ſigna 32. cholerica, eiusque ſigna ib. melancholica, eiusque ſigna 33.

Tempora, notae exinde in morbis petendae 578 ſeq.

Tendinum ſaltus, quando timendus 218. bonus ib. malus 219.

Teneſmus, quid denunciet 339.

Teſticuli, eius vitia et ſigna 426.

Thorax, quae exinde ſigna petenda 609 ſeq. eius percuſſio, qualis 611. ſonitus varius ib. quomodo inueſtigandus et aeſtimandus ib. quid indicet ſonus inaequalis et obſcurus 612. quando apparere debeat et quibus in morbis ib. quid in diuturnis ſignificet morbis ib. qualis ſonus, ſi cetera humida extrauaſata 613. quando nullus eſt ib. hydropem pectoris deſignat ib. et hydropem pericardii 614. ſanguinem reſtagnantem et aneuryſma ib.

Tinea, quid ſignificet 567.

Torpor, vt plurimum malus 227.

Tranſpiratio, in morbis ſemper bona 357. quid indicet parca ib. ſuppreſſa ib.

Tremens pulſus, quid 99. eius ſignificatio 104.

Tremor, quid denunciet 237. qui malus 238. a potu 239. mortiferus ib.

Tumor corporis, ſemper malus 549. quid ſi partes occupat, denotet ib. tumor cutis ib. faciei 550. ventris ib. pedum 551. tibiae vel malleoli ib. pulmonum ib.

Tuſſis, eius ſigna 213. quae potiſſimum metuenda 214.

V.

Variolae, cur non niſi ſemel inuadant 200.

Venenum, qui poſt id pulſus ſequitur ex Sinenſium doctrina 70.

Ventriculus ſanus, quis 37. eius ardor 316.

Ventris inflatio, v. Meteoriſmus.

Vermes, qui eorum pulſus ſecundum Sinenſes 70. eorum notae 340 ſeq.

Vermiculans pulſus 98. eius ſignificatio 103.

Vertigo, quid 302. quae mala 303.

Vibratus pulſus, quis 99. ſigna eius 104.

Vigilia, quae portendat 267. quid diu conſiſtens 268. in conualeſcentibus ib. eius in ceteris morbis notae ib.

Virginitas, eius notae fere incertae ac falſae 434. certiores 435. quae diuiſio et cautio adhibenda ib.

Viſus, eius vis et poteſtas 242 ſeq.

Vita longa, quando ſperanda 38. eius pulſus 66.

Vitae genus, eius in ſanitatem vis 24.

Vlcera oculorum, periculoſa 250. eius vis in acutis 569.

Vndoſus,

Vndoſus pulſus, quis 97. quid indicet 102.

Vndulans pulſus, quid 98. eius ſignificatio 102.

Vngues, eorum in morbis ſigna 621. ſi pallidi ſunt ib. adunci ib. ſi vehementer mouentur ib.

Vomitus, bonus 320 ſeq. malus 321. anceps 322. peſſimus et letalis ib. notae vomitus pituitoſi, crocei, viridis, bilioſi, aeruginoſi cet. 323. rubri et cruenti 324. vomitus ſanorum 320. decretorius 507. eius ſigna 508. *Vomitus pulſus*, v. Pulſus organici.

Vox rauca, eius in morbis ſignificatio 233. *acuta*, ceteraque eius vitia, ib. *Vocis defectio*, v. Aphonia.

Vrina, eius in morbis vis 365. cautiones 365. 420. varia genera 366. naturalis, quae ib. in morbis bona vel mala, quae 367. ſignorum ex vrina diuiſio 367 ſeq. ſigna ex ſapore ac ſono ridicula 369. vrina tenuis 370. cruda et incocta 372. pellucida 373. craſſa ib. quando mala 375. turbida, cuius variae ſpecies 375. ſigna 376. iumentaria 377. oleoſa ſ. pinguis 378. alba 379. flaua ſ. crocea 381. fulua ſ. aurea 382. aurantia ib. citrina 383. viridis 384 ſeq. praſina 385. rubra ib. quae mala 386 ſeq. ſubrubra 387. rutilans ſ. rufa veterum 388. roſea ib. rubea ib. latericia 389. nigra ib. non ſemper mala 390. quaenam mortifera ib. cineracea 391. vinea et paſſea 392. veneta ib. oleacea ib. liuida ib. varia et inconſtans ſemper mala ib. item iterato mutatus color malus 393. ſigna ex odore ib. ex copia 394. multa in ſanis 395. malae et ſymptomaticae vrinae, quae ib. vrina pauca 396. mala 397. vrinae incontinentia ib. inuito aegro miſſa ib. ſuppreſſa 398. eius ſtillicidium ib. ſanorum ſimillima 420. decretoria 505 ſeq. eius notae ib.

Vrinae contenta et commixta, quid ſignificent 399 ſequ. nubecula 400. varie colorata ib. enaeorema 402. corona et bulla, an certae eius notae 403. ſedimentum varium 403. in ſanis 404. in morbis, quando

do bonum vel malum eſt ib. quae ſedimenta peſſima ap. veteres ib. quid indicent tenue, album 405. croceum 406. rubrum ib. nigrum 407. farinaceum ib. latericium 408. in conualeſcentibus ib. oroboides ib. polentam referens 409. ſandarachoides ib. ſputiforme ib. laminoſum, pinguedinoſum cet. ib. diuulſum 410. copioſum ib. aequale ib. exiguum ib. deficiens ib.

Vrinae permiſtae partes, quid denuncient 411. ſabulum et arena ib. corpuſcula arenae ſimillima et ſplendentia 412. quid ſint 413. carunculae et membranae ib. furfures 414. ſquamulae ib. mucus 415. ſanguis ib. pus 417. vnde proueniat 418. ſemen ib. ſpuma ib. bullae 419. vermes ib.

Vroſcopia turpis 422.

Vulnera oculorum, ſemper periculoſa 250. quae letalia 651. abſolute vel ſub conditione ib. et 654 ſequ. vulnera colli, quae mortifera 651 ſeq. cordis abſolute letalia 652. et vaſorum maiorum ib. item thoracis et ſtomachi ib. quae conditionate 653. in viſceribus abdominis, quae metuenda ib. quae minus 654. quid de iis ſentiendum, quae extremis membris inferuntur ib.

Errata.

P. 2. l. 9. fore lege futurum. P. 44. l. 17. Reyereo l. Cleyero. P. 53. l. 22. tempus l. temporis. P. 56. l. 18. fore l. futuram. P. 80. l. 11. anguſtia l. anguſtiam. P. 84. l. 6. paruiſſimus l. minimus. P. 100. l. 1. at l. ab. P. 119. l. 22. vehentiſſimus l. vehementiſſimus. P. 126. l. 4. Lugue l. Luques, ſimiliterque p. 132. P. 138. l. 3. poſt, perturbatae, adde, indicia. P. 155. l. 13. teſte l. teſtis. P. 160. l. 22. familiaris iſte l. familiares illius. P. 161. l. 9. iridicationes l. iudicationes. P. 177. l. 9. poſt vim, adde, illatam. P. 194. l. 7. poterit l. poſſit. P. 199. lin. 29. contianae l. nicotianae. P. 205. l. 22. horrendas l. horrendam. P. 235. l. 11. debentur l. debetur. P. 242. l. 11. fidiſſima leg. fidiſſimi. P. 255. l. 4. communes leg. communis. P. 263. n. tt. Durel. l. Duret. P. 281. l. 5. perſpicaciores leg. perſpicacioris. P. 303. l. 14. poſt, peſſimus, adde, morbus. P. 321. l. 10. acuturam leg. acutarum. P. 326. l. 4. concoctio leg. vbi concoctio. P. 361. l. 17. inſequitur l. inſequuntur. P. 382. lin. 24. efferitur l. egeritur. P. 386. l. 25. fore l. futuram. P. 416. l. 11. aegri leg. aegris. P. 438. lin. 13. horror - anxietas - moeror l. horrorem, anxietatem, moerorem. P. 446. lin. 12. poſt vſque, adde, ad. P. 453. lin. 20. iudicium perrarum l. iudicationem perraram. P. 460. lin. 3. adſectis l g. adſeclis, et lin. 5. Aepino leg. Alpino. P. 463. lin. 25. decertoriorum leg decretoriorum. P. 466. lin. 7. ſecuritarem l. ſecuritatem. P. 467. ad not. x. adde, Pathol. Gen. P. IV. c. 5. p. 178. P. 471. l. 24. Morb. leg. Medend. P. 486. l. 16. ab leg. ad. P. 517. l. 10. expellatur leg. expellantur P. 544. l. 1. tactus leg. factus. P. 545. l 29. cruſtra leg. cruſta. P. 549. l. 17. putida l. putrida. P. 614. l. 5. percuſſa leg. percuſſo.